UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In Cusquensi Collegio Sacræ Theologiæ Primarij Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Dispvtatio VII [i.e. XII]. De prædicamento ad aloquid, seu Relationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95892

Visual Library

DISPVTATIO XII.

De prædicamento ad aliquid seu Relationis.

QVÆSTIO I.

Variæ acceptiones, & nomina Relationis ponuntur.

1 QVINQVE nominibus afficitur, appellaturque hoc prædicamentum, quod teste D. Augustino *lib. decem cathegoriar. cap.* 11. latine ad, aliquid græce, πρός τι censetur; de quo Aristoteles in Dialectica *lib. de cathegor. & in metaphys. lib.* 5. *c.* 15. latissime egit.

2 Primo vocatur nomine ad aliquid, vt denotetur teste D. Thoma 5. *met. lect.* 17. totum esse huius prædicamenti esse ad aliud se habere; nullo enim modo possumus intelligere relationem, quin aliud distinctum ab ipsa intelligamus, tanquam terminum essentialem tendentiæ illius in ordine ad quem habet totum suum esse essentiale, ratione cuius Augustinus Nyphus *lib.* 5. *met. disp.* 12. *cap.* 2. relativa, inquit, è quibus relatio dicitur ab Aristotele ad aliquid dicuntur, eo quod non possit alterum correlativorum intelligi, quin & alterum intelligatur, & propterea Aristoteles in prædicamentis ait relativa dici; πρός τε τα τοι αυτακλεγεται, οσα αυτα αφε εστιν, ετερωνειναικλεγε ται υοπωσ ηναλλοσπρο ετερον, id est, ea vero dicuntur ad aliquid quæ id, quod sunt aliorum esse aut ad aliud esse dicuntur.

3 Petrus Gregorius Tolosanus, tam connexa sunt, inquit relativa cum alijs, eaque est natura illorum, vt vno illorum posito, aliud ponatur, & vno sublato, tollatur, & alterum; tunc ergo inquit D. Augustinus *lib. de decem cathegor. cap.* 11. & vere, & proprie ad aliquid dicitur, cum sub vno ortu, atque occasu, & id quod iungitur, & cui iungitur, invenitur, vt puta, servus, & Dominus, vtrumque vel simul est, vel simul non est, etenim cum Dominus dixeris, necessario existet & servus, cum vero Dominum substuleris, nec servus apparet.

4 Quibus consonat D. Isidorus *originum lib.* 11. dum ait: relatio est, quæ refertur ad aliquid; cum enim dicitur filius demonstratur, & Pater; hæc relativa simul incipiunt, nam servus, & Dominus vno tempore exordium nominis sumunt, nec aliquando invenitur Dominus prius servo, cum autem à D. Augustino dicitur, & à Gregorio Tolosano affertur, quod posito vno relativo ponatur, & aliud, & vno sublato auferatur, & aliud intelligendum est de positione, & ablatione relativi, quatenus relativum est, non autem de absoluto esse talis relativi, nam mortuo patre, remanet substantia absoluta filij: sed non remanet filius quatenus filius relative; cum enim perit caro paterna, perit relativa ratio filij, vt scribit D. Chrysostomus *in posteriorib. homilijs super matheum homilia* 33. *in cap.* 20. *Mathei.*

5 Hinc fit, relativa videri habere quandam quasi vnam communem naturam, quia vno sublato alterum non subsistit, nec scientia sine scibili, nec opinio sine opinabili est, & è contra, quamobrem apud Iurisconsultos etiam relativum est in eo, quod refert, & eiusdem naturæ correlativa censentur apud Papinianū *in lege* 77. *asse. toto de hæredibus instituendis lib.* 28. *tit.* 5. & apud Marcianum Iurisconsultum *in lege* 18. *cum servus de conditionibus, & institutionum lib.* 28. *tit.* 7. quare cum natura vnius relativi ita ab alio dependeat in esse, & ad aliud totum suum esse habeat iure optimo ab Aristotele hoc prædicamentum ad aliquid nominatur; quod confirmat D. Augustinus *lib. decem cathegor. cap.* 1. ibi. Ad aliquid; ergo cathegoriam vocamus eam, quæ id, quod est, dicitur ex altero sine cuius societate esse non possit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione descendit, vt maius minoris dicitur maius claret igitur ad aliquid non suâ vi; sed alterius coniunctione consistere.

6 Etiam dicitur ad aliquid, quia relativa non solum in esse, vt authores supra relati asserunt: sed etiam in sui cognitione maximo necessitudinis, ac connexionis vinculo inter sese connectuntur, ac colligantur, nam qui determinate, & definite novit vnum relativorum, necesse est vt per consequens noscat, & alterum; qui novit enim quid sit Pater, & cur ita dicatur, novit statim quid filius, & quare ita dictus: sic de reliquis. Quamobrem, & circumfertur illa vulgaris paræmia, cognito vno relativorum, cognosci, & alterum, & correlativorum eandem esse disciplinam. Si enim dicas Dominum, statim necessario consequens est vt scias cuius sit Dominus, & habere servum. Quod, & in contrarijs verum est, quia relativa etiam contrarietatem admittunt, vt primo axiomate diximus, & vtrumque tam de contrariorum, quam relativorum mutua cognitione ex altero eorum, tradit Aristoteles. 5. *Ethicorum*, & Caius Iurisconsultus *in l.* 1. *de his, qui sunt sui, vel alieni iuris libr.* 1. *π. tit.* 6. videamus, inquit, de his personis, quæ alieno iuri subiectæ sunt: nam si cognoverimus, quæ istæ personæ sint, simul intelligemus, quæ sui iuris sunt, & Iustinianus *in* §. 1. *de tutelis, lib.* 1. *institutio. iuris civil. tit.* 13. ex personis, inquit, quæ in potestate nostra sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione, quædam neutro iure tenentur. Videamus ergo de ijs, quæ in tutela, vel curatione sunt, ita intelligemus cæteras personas, quæ neutro genere tenentur, facit *l. qui accusare ff. de accusat.* item §. 1. *de his, qui sunt sui vel alieni iuris in instit. civil. lib.* 1. Item 1. *Pomponius* § *sed & is, ff. de procurat.* & aliæ similes. Considerare itaque debemus, ad quid referatur actio, vel oratio nostra; nam per eam cõsiderationem multum variatur rerum, & actionum tractatio, vt qui explanaturus est facultates naturales, oportet considereret primum ad quid sibi proponat, num spectet, vel ad facultatem hominis, vel brutorum vel alicuius horum. vel inanimatorum dirigatur intentio, ni errorem committere velit, vt scribit Galenus *tom.* 5. *lib.* 3. *de naturalib. facultat. cap.* 2. & 4.

7 Secundo vocatur hoc prædicamentum ordo, hebraicè ערך, vel מורך, & tandem מערכה; græcè κατακοσμησ ισπαξισ, aut συνταξις, vel ομαλθσ, ordo nihil aliud est secundum D. Augustinum *lib.* 19. *de civit. Dei* quam partium, disparium que rerum sua cuique loco tribuens dispositio, quibus

consonat Cicero *officior.* 1. 19. dicens, ordo est compositio rerum aptis, & accommodatis locis, vel vt Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. est digestio, & in suo cuiusque rei loco collocatio; ordo autem ab ore dicitur, vt inquit Isidorus, quia quod ordino ore in locum redigo proprium, hoc est ore pronuntio, qui cuique locus esse debeat, & ore digero seu vnumquodque ore in suum locum dirigo, ac dispono hoc vel illud in tali, vel tali loco cum proportione, quod clare expressit Virgilius *Ecloga* 1. *vers.* 15.

Insere nunc Melibæe pyros pone ordine vites.

8 Hoc est fructiferas arbores suis, aptisque locis dispone vt culturæ, & pulchritudini deserviant, quod alibi Cicero *de senectute* 55. profert ibi: pulchrum videtur dirigere in quincuncem arborum ordines, qui ordo adeo necessarius est, vt sine illo res omnes funditus corruant, & labantur, vt ait Alter.

Ordine servato mundus servatur, at illo

9 *Neglecto pessum totus, & orbis abit;*

Machina perpetuo cœlestis ab ordine pendet.

10 Et Boëtius *metro* 6. *lib.* 1. sic quod præcipiti via certum deserat ordinem.

Latos non habet exitus.

11 Sumitur aliquando ordo pro eo, quod vulgus statum vocat Hispane *Estado, y dignidad*, Cicero *tertia in Verrem*; Marcum Octavium hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, virtute. Vitruvius *in præfatione lib. secundi*; Dinocrates, inquit, Architectus cum Alexander rerum potiretur, profectus à Macedonia ad exercitum Regis, à propinquis, & amicis tulit ad primos ordines, &c. eodem modo vtitur Virgilius 5. *Æneidos* 49.

Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni.

12 Vbi servius ordine ab omni; idest ex omni qualitate dignitatum, quod apud Romanos in legatione mittenda hodie quoque servatur. Ordo amplissimus Senatorius vocatur à Cicerone pro domo sua ad Pontifices; quid cum Senatum pro me non modo propugnare amplissimum ordinem, sed etiam plorare, & supplicare mutata veste prohiberent. Statius similiter loquitur 5. *Silvarum* 1. præstantior ordo Tribuni.

Et Horatius 3. *carminum Hode* 3. & 8. quieti ordines Deorum.

13 Hinc evenit, vt Sacerdotium, quæ maior omnium dignitas est, ratione cuius dixit D. Petrus genus electum regale sacerdotium ordinis nomine insigniatur, ac proinde qui sacerdotio initiatur ad sactum ordinem promotus dicitur, & admissus, pueri, inquit Gregorius *epist. ad Columb.* ad sactos ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant. Et Origenes super Levit. agnoscat vnusquisque ordinem, ac dignitatis statum, & quid dignum sit eo ordine, quem suscipit, intelligat, & libret actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque, & habitum moderetur, vt cum ordinis sui professione, & dignitate conveniat, ne audiat dici ad se à Deo, propter vos blasphematur nomen meum inter gentes.

14 Ratio autem, quare Dialectici hoc prædicamentum Relationis, ordinem vocaverint est, quia sicut ordo in tota sua significatione non potest vllo modo salvari sine multis, inter quæ sit, quod patet ex Gregorio Nazianseno *in oratione funebri pro laudibus Basilij*, dicente cum multa ordo exigat, quibus conservetur, quæque maxima afficiat pulchritudine, quis in vno dicat, posse talem ordinem consistere; quod confirmat Cicero, siquidem quotiescumque de ordine loquitur, asserit, inter multa consistere, & conservari; vnde *lib.* 2. *de natura Deorum*, ordo ait sempiternus rerum omnium cœlestium, & 2. *de Oratore*, ordo argumentorum in dicendo plurimum potest; & 1. *de Divinatione*, ordo inquit, seriesque causarum, & Virgilius 7. Æneidos. 9.

Maior rerum mihi nascitur ordo;

Et 5. Æneidos. 24.

Terno consurgunt ordine remi.

Tandem Statius. 8. Thebai. 2.

Dispositi in turmas iterum, legemque severi
Ordines.

Itaque ordo, sive significet dispositionem in loco, petit plura, quæ sic disponantur necessario, sive significet dignitatem necessario exigit plures, inter quos emineat tali dignitate præditus, sed etiam relatio necessario petit duo, fundamentum nimirum, & terminum sine quibus nec fieri, nec esse, nec conservari potest vllo modo, igitur æquo iure ordo vocatur. 15

Tertio vocatur respectus, est autem respectus, vt optime adnotant Doctores à respiciendo, seu respectando, apud Ciceronem vero non solum significat retroaspectum, sed etiam rationem, & observantiam vnius personæ in aliam Hispane, *quenta, o respeto.* Tullius, cum respectum non haberem ad Senatum, & ad bonos; & Livius, sed factione respectuque rerum privatarum quæ semper officere, officientque publicis consilijs, &c. eos namque quos observamus, quasi respicimus, cum nos cohibemus ab aliquo malo, quod aggredi volebamus; addit Cellius in suo Thesauro, respectus logos ratio, qua ad aliquid agendum movemur, Martialis *lib.* 11. 43. 16

Sit pudor, & tandem veri respectus, & æqui.

Cicero *ad Brutum.* Meus quidem animus in acie est, neque respectum vllum quærit, nisi me vtilitas civitatis forte converterit; significat etiam respectus aspicere aliud, seu in aliud oculos conjicere, hinc physosophi, vt advertit Hurtado, respectum, & relationem sine discrimine vsurpant; nam quod ad aliud refertur illud aspicit, vt pater filium, & quasi illi sistitur è regione. 17

Vltimo appellatur hoc prædicamentum relatio, id est actus referēdi, ἀναφορὰ ἐπαναφορὰ, à verbo *refero* suum originem ducens, quod idem significat, quod retrorsum fero, hebraice נשׂא. græce, ἀγάγω, hispane; *tornar, a traer lo llevado*, Cicero *ad Atticum* epistolam ad me referri volo, Auster me in Italiam retulit; aliquando ponitur pro eo quod vulgo dicimus, proponere, vnde relatio propositio erit, dicimus enim, vt advertit Ambrosius Calepinus, referre rem aliquam ad Senatum ἀναφέρειν πρὸς τὸν συγκλητον. Cicero 2. *Catilinar.* reliquis autem de rebus constituendis, mutandis, agendis iam ad Senatum referemus, hoc est in Senatu agitandas, decernendasque proponemus. Virgilius 3. *Æneidos.* 18

Delectos populi proceres, primumque parentem,
Monstra Deum refero.

Aliquando sumitur pro nuntio, narro, vt Virgilius 3. *Æneidos.* 19

Referes ergo hæc, & nuncium ibis pelida geni-
tori.

Inde relatio narrationem alicuius rei significat, relatum vero est ipsa res narrata, quæ significatio est Tullio perfamiliaris, sicut est familiare ipsi Ciceroni verbum, *refero* vsurpare pro 20

dirigere.

dirigere, seu in aliud tendere, tanquam in finem, omnia, inquit, ad eorum voluntatem dicta factaque referantur; relatio autem erit ipsa directio, seu ratio, per quam res in aliud dirigitur. Vnde constat semper respicere aliud, quia vero collatio, vel directio est ad aliud, ea ratione prædicamentum hoc ad aliud, & relationis nominatur.

QVÆSTIO II.

Vtrum relatio distinguatur à suo fundamento.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum proponuntur.

1 PRIMA sententia negat, relationem distingui in re aliqua distinctione actuali à suo fundamento: sed tantum distinctione rationis, habente in rebus fundamentum aliquod: hanc sententiam patrocinantur multi Theologi, præsertim Nominales *in* 1. *dist.* 30. Okam *quæst.* 1. *dist.* 31. Gregorius & Ægydius *in* 1. *dist.* 26. eandem tenet Herveus; ex neoteris ex parte consentit P. Vazq. *tom.* 2. *in primam p. disp.* 153. qui *in initio capitis secundi* ait, creationem esse relationem creaturæ ad creatorem, & *cap.* 3. hæc verba profert: probabilior sententia est relationem creationis non distingui realiter à substantia creaturæ, vt optime convincit Scotus *q. illa* 5. §. *ad quæstionē istam*; hac ratione, quotiescunque relatio, & substantia, seu absolutum ita se habent, vt vnum sine alio etiam de potentia absoluta Dei, nequeat esse, non possunt distingui realiter, aut saltem nullum habemus argumentum ad probandam distinctionem realem inter ea: sed ita se habent relatio creationis, & creatura: ergo non possumus asserere ex natura rei distingui. Dixi ex parte consentire P. Vazq. quia de alijs relationibus videtur asserere distingui ex natura rei à fundamento.

2 Clarius autem Pater Suarez defendit hanc sententiam 2. *tom. metaphys. disp.* 47. *sect.* 2. *num.* 22. vbi hæc profert verba. Inter has ergo sententias mihi maxime probatur quinta, quam Hervæus, & nonnulli alij Thomistæ docuere, à quorum sensu fere nihil discrepant Nominales, & Aristoteles, & D. Thomas multum favent; hæc tamen sententia ita est interpretanda, vt non intelligatur rationem formalem relationis esse nihil, aut denominationem relativam esse mere extrinsecam sumptam ab aliqua forma absoluta: iuxta hunc enim sensum omnino ea verteretur, & è medio tolleretur reale prædicamentum ad aliquid: sed intelligendum est relationem quidem dicere formam aliquam realem, & intrinsece denominantem proprium relativum, quod constituit; illam vero non esse rem aliquam, aut modum ex natura rei distinctum ab omni forma absoluta; sed esse in re formam aliquam absolutam non tamen absolute sumptam: sed vt respicientem aliam, quam denominatio relativa includit seu connotat. Ita vt similitudo, v. g. aliqua forma realis sit existens in re, quæ denominatur similis, illa tamen non sit in re distincta ab albedine quantum ad id, quod ponit in re, quæ dicitur similis: sed solum quantum ad terminum, quem connotat, & ita similitudo in re non est aliud quam ipsamet albedo, vt respiciens aliam albedinem, tanquam eiusdem, seu similis rationis. Atque hæc distinctio rationis sufficit tum ad diversas loquendi formas, tum etiam ad prædicamentorum distinctionem: nam vt supra diximus prædicamentalis distinctio interdum est sola distinctio rationis cum aliquo fundamento in re, vt de actione, etiam & passione, & de alijs prædicamentis inferius dicemus. Atque hæc sententia magis declarabitur, tum ex solutionibus argumentorum, tum etiam ex sequentibus sectionibus: sic explicata sententia probatur.

3 Primo ex Damasceno *in sua dialectica, cap.* 50. vbi sic ait: Oportet, ea, quæ ad aliquid dicuntur; prius ad aliud prædicamentum reduci, tanquam separatim considerata, & tunc demum, vt habitudinem, & affectionem ad alterum habentia ad ea, quæ ad aliquid sunt referri; quippe prius aliquid sine habitudine, ac relatione esse necesse est, ac tunc habitudinem in ipso considerare; sic ille.

4 Secundo probatur verbis D. Thomæ *opusc.* 48. *cap.* 2. *de ad aliquid*, vbi sic ait. Cum autem dico quod similitudo sortis habet albedinem eius vt fundamentum, non est intelligendum, quod similitudo sortis sit aliqua res in sorte alia ab ipsa albedine; sed solum est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum; si enim similitudo adderet supra albedinem sortis aliquam rem nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione vt patet; nam siquis in India fieret modo albus, fieret similis mihi, & ego sibi nulla in me facta mutatione; similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter sit in me, vt patet: sic ille.

5 Quibus verbis D. Thomas non solum profert suam sententiam: sed etiam ratione de mutatione in illis inclusa probat efficaciter illam: quæ ratio tam probat de distinctione reali, quam modali; nam etiam si non vt res: sed solum vt modus distingueretur relatio, non posset sine aliqua reali mutatione fieri in subiecto; atqui ex verbis Divi Thomæ fit sine mutatione vlla: ergo relatio nec realiter, neque ex natura rei distinguitur à suo fundamento.

6 Dices adhuc posse responderi à D. Thoma non affirmari identitatem relationis, & fundamenti; tum, quia illud de mutatione intelligitur de motu per se, qui non datur ad relationem, tum quia modus ex eo quod modus sit, & non res, non est alia res à suo fundamento.

7 Contra, quia D. Thomas clare indicat identitatem illis verbis, sed solum est ipsa albedo. Ad id, quod dicitur de motu per se respondeti potest, D. Thomam omnem mutationem negasse illis verbis, nullo modo, &c. at mutatio per accidens est vere mutatio sicut Navarchus vere mutatur in navi: ergo non solum motum per se, sed etiam mutationem per accidens, negat vt patet ex illo simili, quo vtitur, videlicet, quia ex eo quod in India homo fiat albus, cur ego mutabor in Hispania; vnde concludit illis verbis, nulla in me facta mutatione. Videns autem Angelicus Doctor quid inde sequeretur, id objcit, & explicat distinctionem

stinctionem relationis per terminum, & non per aliquid in fundamento.

8 Ad id de modo dici potest apud antiquos non fuisse tam exactam disputationem de modis, & rebus, & quidem variatio intrinseci modi mutatio est; imo motus localis, non nisi ad modum terminatur. Deinde septem vltima prædicamenta modi sunt, & non res, quæ tamen re esse differentia affirmat Sanctus Tho. *eo cap. 3.*

9 Tertio probatur ratione, quia omnis forma constituens aliquod subiectum formaliter tale vt quod, debet habere in se vt quo illam rationem, quam tribuit; sed si relatio identitatis distingueretur ex natura rei à Petro, non haberet, vt quo effectum formalem, quem tribuit Petro: ergo non distinguitur ex natura rei à Petro. Minor sic probatur. Relatio identitatis vt distincta ab ipso fundamento non habet vt quo identitatem fundamenti cum termino, quod sic probatur. Relatio identitatis est ratio, qua duo individua sunt idem in specie; sed si relatio identitatis distingueretur à suo fundamento, non posset esse ratio, propter quam vnum individuum sit idem cum alio in specie: ergo ea relatio non distinguitur à suo fundamento; probo minorem. In Petro, & Paulo relatio ab illis distincta non est idem cum illis vt quo: ergo non est ratio, ob quam illi sint idem vt quod; consequentia patet ex dictis. Probo antecedens, quia relatio illa cum sit accidens est distincta intrinsece à Petro, & Paulo: ergo non potest esse ratio identificandi Petrum cum Paulo, quia forma, quæ non est identitas aliquorum, non potest esse ratio, quare alia sint idem.

10 Quarto: si relatio identitatis esset distincta realiter à Petro, daretur processus in infinitum relationum realium, quod est absurdum: ergo non distinguitur. Probo antecedens. Relatio, quæ est in Petro, est diversa ab essentia Petri: ergo dicit relationem diversitatis ad illam. Item hæc secunda relatio est diversa à relatione identitatis Pauli: ergo dicit aliam relationem diversitatis; hæc tertia etiam est diversa ab essentia Petri: ergo dicet aliquam diversitatem: ergo proceditur in infinitum.

11 Confirmatur, Relatio non potest separari à fundamento posito termino: ergo non distinguitur à fundamento. Probo antecedens, existentes Petrus, & Paulus cum albedine in eodem gradu sunt necessario similes, nec possunt divinitus non esse similes; similia enim teste Aristotele sunt, quorum qualitas est vna, idest, eiusdem speciei, illę autem qualitates essent vna, nam essent eiusdem speciei: ergo subiecta illas habentia haberent definitionem similium: ergo relatio non est separabilis à fundamento posito termino.

12 Quinto, ad hoc vt aliqua dicantur formaliter dissimilia, non est necessarius modus aliquis à parte rei distinctus: ergo neque ad hoc vt formaliter similia dicantur; consequentia est evidens à paritate rationis. Antecedens sic probo, in frigido, & calido, quæ dissimilia in qualitatibus sunt; sed dissimilitudo hæc formaliter provenit ab ipsis harum qualitatum entitatibus: ergo frustra modus distinctus additur. Minor sic probatur, qualitates istæ sunt essentialiter contrariæ: ergo subiecta illas habentia per solas earum entitates dissimilantur. Constat antecedens; nam calor per id formaliter est contrarius frigori, per quod formaliter potest expellere frigus à subiecto; sed calor expellit frigus formaliter à subiecto per suam propriam præcisam entitatem, & non per modum sibi realiter superadditum, sive sit absolutus, sive relatio, quia relatio non est ratio agendi, sed referendi: ergo per solam, & præcisam suam entitatem contrariatur illi: ergo per solam illam est formaliter dissimilis, seu dissimilatur. Vnde sine necessitate modus ille confingitur.

Sexto, & sumamus quantitatem vnius palmi, & 13
alteram quantitatem semipalmi. Istæ duæ quantitates per suas entitates præciso alio modo sunt inæquales: ergo per suas entitates præciso alio modo habent relationem inæqualitatis. Patet Antecedens, quia vnus palmus per suam entitatē excedit semipalmum, & semipalmus per suam entitatem exceditur à palmo: ergo palmus, & semipalmus per suas entitates præciso alio modo constituunt relationem inæqualitatis. Patet antecedens, quia palmus per suam entitatem includit formaliter plures partes, quam semipalmus: ergo palmus per suam entitatem excedit semipalmum.

Dices, eas duas quantitates esse inæquales fun- 14
damentaliter, & non formaliter, constitui autem formaliter inæquales relatione ab vtraque distincta.

Contra; quia hic non distinguitur inæqualitas 15
fundamentalis à formali: sed per te sunt inæquales fundamentaliter: ergo, & formaliter; probo maiorem, quia inæqualitas formalis est forma formaliter includens plures partes, quam alia, quæ pluralitas non habetur fundamentaliter, sed formaliter: at inæqualitas formalis est formalis pluralitas, & paucitas palmorum: ergo. Maior patet. Quia palmus in se habet partes plures semipalmo. Minor non eget probatione. Explicatur: Sumo illam inæqualitatem fundamentalem; rogo vtrum per illam palmus sit actu maior semipalmo, vel non: hoc secundum dici non potest; nam palmus per se continet plures partes semipalmo: ergo actu est maior; & relatio, quam tu fingis, non facit palmum maiorem, quia illi nihil addit, quo sit maior; sed potius supponit excessum, quo superat semipalmum: ergo sine isto modo palmus est maior actu: ergo sine isto modo est actu inæqualis. Patet consequentia, quia ratio, per quam vna quantitas aliam excedit actu, & est illa maior est inæqualitas.

Septimo, si relatio distingueretur à suo funda- 16
mento, non posset esse sine efficientia: inquiro ergo an illa efficientia sit ab ipso termino in fundamentum, vel ab ipso fundamento in seipsum per naturalem resultantiam. Primum non potest dici; si autem dicatur secundum; sic vrgeo, quia talis resultantia, & qualiscunque efficientia non potest esse sine concursu Dei, quem ipse potest suspendere, & quamvis ponamus illum suspendere, & consequenter nullam intervenire resultantiam realem; tunc autem sequeretur duas albedines esse similes, & non similes; essent similes, quia retinerent eandem vnitatem in albedine: non essent similes ob defectum relationis similitudinis.

Secunda sententia potest esse assertium, 17
relationem esse denominationem extrinsecam, huius sententiæ nullum video authorem ex his qui sua opera typis mandarunt, & ideo breviter probanda est hæc sententia, quia denominatio relationis sine aliqua mutatione intrinseca fundamenti resultat in illa expositione terminis; sed quæ hoc modo se habet, est denominatio extrinseca;

extrinseca : ergo relatio est talis denominatio.

18 Secundo, quia sicut se habet positio visionis in oculo ad obiecti visi denominationem, sic se habet positio termini ad denominationem relati in fundamento ; sed denominatio visi est denominatio extrinseca : ergo etiam dominatio relati.

19 Confirmatur, quia illa denominatio, quæ sumitur ab aliquo extrinseco est extrinseca in denominato ; sed denominatio relati sumitur ab extrinseco : ergo est extrinseca denominatio.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur, & probatur, authoritate.

20 PRima conclusio : omnis relatio prædicamentalis distinguitur à parte rei à suo fundamento ; hanc sententiam defendunt fere omnes Thomistæ, Caietanus, 1. *p. q.* 28. *art.* 2. & ibidem Bañez. Ferrara, 4. *lib. contra Gent. cap.* 14. Soto *q.* 2. *huius prædicamenti*, Capreolus *in* 1. *distinct.* 3. *q.* 1. Scotus *in* 2. *dist.* 1. *q.* 5. *& in* 3. *dist.* 8. *q.* 1. P. Fonseca, 5. *lib. met. cap.* 10. *q.* 2. *sect.* 1. P. Rubius, *c.* 7. *de ad aliquid*, *q.* 14.

21 Probatur primo authoritate Aristotelis *lib.* 5. *phys. tex.* 10. vbi sic ait. Si igitur in substantiam, & qualitatem, & vbi, & id, quod ad aliquid est, & quantum, & agere aut pati, cathegoriæ sunt divisæ, tres sint motus necesse est per se, & eius, quod quantum est, & eius, quod quale, & eum, qui in loco fit ; in substantia autem motus non est ; at neque in eo, quod est ad aliquid. Ita eorum motus ex accidente est ; vbi vt optime advertit D. Thomas, & communis Schola, Aristoteles docet, fundamentum relationis, quod est quale, & quantum fieri per motum per se. Relationem autem, seu ad aliquid non fieri per motum per se, sed per motum realem per accidens, id est, qui vere à parte rei est ; nam agens de substantia, & ad aliquid, vt patet ex textu, & Verbis adductis, ait : & eorum motus ex accidenti est, vbi Philosophus eodem tenore, & eadem vniversalitate, eodemque individuo nomine motus loquitur de motu, per quem producitur substantia, & de motu, per quem fit relatio ; sed substantia licet non producatur per motum successivum, qui per se motus vocatur ab Aristotele, producitur tamen per realem mutationem, quæ motus per accidens dicitur : ergo similiter in sententia Aristotelis, licet relatio non producatur per motum realem successivum, qui vocatur per se, producetur tamen per mutationem realem, quæ per accidens potest esse successiva : & sicut motus substantiæ (quæ est fundamentum, & subiectum, quantitatis, & qualitatis) quia per accidens est successivus, licet per se instantaneus, distinguitur à parte rei à mutatione per se successiva quantitatis, & qualitatis quæ recipiuntur in substantia. Ita similiter motus per accidens, per quem producitur relatio, quia per accidens est, distinguetur ex natura rei à motu per se qualitatis, & quantitatis, in quibus talis relatio fundatur, & recipitur.

22 Tunc sic, duæ actiones, seu motus realiter distincti vnus per se successivus, & ideo per se motus, & alter per accidens successivus, ac proinde per accidens motus, non possunt terminari ad eandem entitatem realiter producendam ; sed necesse est, vt terminentur ad duos terminos à parte rei distinctos : sed ad relationem, & ad fundamentum illius v. g. qualitatem, & quantitatem, terminantur duo motus realiter distincti, vnus per se, & alius per accidens : ergo relatio, & fundamentum non sunt idem à parte rei, sed potius distinguentur ex natura rei : consequentia suppositis maiori, & minori est evidens. Minor patet ex nuper dictis. Maior sic demonstratur ex illo evidenti axiomate, frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora ; atqui vna, & eadem res sufficienter potest produci per vnicum fieri seu per vnicum motum : ergo frustra, & superflui essent duo motus realiter distincti ad vnam, & eandem entitatem producendam ; nam factum esse, & fieri habent hanc proportionem vt vnico facto esse correspondeat vnicum fieri, & ideo ad ens non terminatur distincta actio realiter ab ea, quæ terminatur ad substantiam, & in homine non terminantur plures realiter distinctæ actiones ad vivens, corpus, animal, rationale, quia hæc omnia prædicata identificantur realiter inter se, & non distinguuntur ; è contra vero substantia, & quantitas terminant duas actiones realiter distinctas, vnam, quæ est per se motus ; & alteram, quæ est per accidens talis : ergo duæ actiones, seu motus realiter distincti, &c.

23 Dices, distinctionem rationis, quæ intercedit inter fundamentum, & relationem sufficere, vt terminent duas actiones productivas realiter distinctas.

24 Sed contra, quia sicut relatio, & entitas fundamenti sunt idem realiter, licet distinguantur ratione, ita similiter possunt per eandem realiter actionem produci, dum tamen per rationem distinguatur talis actio in duas.

25 Vrgetur, quia animal, & rationale distinguuntur ratione, & nihilominus non possunt produci per duas actiones realiter distinctas ; pluralitas enim rationis nihil facit ad pluralitatem realem in actionibus, nec talis distinctio rationis in termino vllo modo conducit ad distinctionem realem in actione.

26 Illa præcipua maior sic efficaciter confirmatur ; nam entitas, quæ terminat motum per se, est per se producibilis, & entitas, quæ terminat motum per accidens in ea ratione, qua est per accidens, est per accidens producibilis, sive absolute, sive successive ; atqui entitas per se producibilis, & per accidens producibilis ; vel aliter, entitas successive producibilis per se, & entitas instantanee producibilis per se distinguuntur realiter, vt videre est in figura, quæ per accidens producitur, & in quantitate, quæ per se producitur : quod etiam patet manifeste in luce, & in specie impressa, quæ per se instantanee producuntur, & in calore, qui per se successive producitur ; quæ omnia distinguuntur realiter, quia formalitates tam diversæ, & tam diversos modos producendi exigentes ex natura sua, non possunt in eandem entitatem realiter coincidere, præcipue cum sint formalitates, non ad cognitionem pertinentes, per quam fingitur ens rationis, sed ad productionem realem, qua realiter ante omne opus rationis existit, ac proinde ante omne ens rationis : ergo entitas, quę terminat motum per se, & entitas quæ terminat motum per accidens, distinguuntur à parte rei ; atqui relatio, & fundamentum sunt huiusmodi ;

modi : ergo distinguuntur ex natura rei.

27 Secundo probatur hoc ipsum alijs verbis Aristotelis, 5. & 6. *met.* qua circunferuntur communi illo axiomate Dialecticorum, omniumque Philosophorum : posito fundamento, & termino resultat relatio prædicamentalis, id est posito fundamento, & termino emanat, fitque per emanationem, aut actionem resultantiæ à fundamento in se ipsum relatio prædicamentalis, vbi actionem illam, per quam relatio producitur, quamque supra vocaverat Aristoteles motum realem per accidens, appellat nunc resultantiam seu emanationem absolute, ac simpliciter, hoc est realem, quibus positis sic argumentor.

28 Quando per realem resultantiam, & emanationem fit aliqua realitas in aliquo subiecto, illa realitas distinguitur à subiecto in quo resultat, seu emanat ; vt videre est in frigiditate respectu aquæ, in subsistentia respectu naturæ, quæ quia emanant à suis subiectis, distinguuntur à parte rei ab illis ; idem enim non potest resultare à se ipso, nec dimanare, aut produci, quia quidquid producitur ab alio producitur, vt est evidens axioma in metaphysica, per quod evidenter demonstratur existentia Dei, nec emanatio, & resultantia realis potest esse alicuius entis rationis : sed relatio resultat in fundamento posito termino, vt ait axioma Aristotelis : ergo producitur in fundamento per emanationem, & resultantiam ab ipso : ergo relatio distinguitur à fundamento ex natura rei.

29 Maior illa sic demonstratur. Illa distinguuntur à parte rei, inter quæ datur ratio effectus, & causæ ; sed inter resultans, seu emanans, & illud, à quo resultat, datur suo modo ratio effectus, & causæ, illud enim quod resultat ab aliquo, & per emanationem, seu resultantiam fit ab eo, est suo modo effectus illius, à quo resultat, vt frigiditas est effectus suo modo aquæ, figura quantitatis, subsistentia naturæ : ergo realitas, quæ resultat, & fit per emanationem ab aliquo, distinguitur à parte rei ab eo, à quo resultat.

30 Confirmatur ex ipso Aristotele 5. *met. tex.* 20. vbi ait ; omne relativum consequi ad aliquod absolutum à parte rei : ergo est posterius natura à parte rei, quia est consequutio media dependentia emanationis, & resultantiæ : ergo distinguitur relatio ab absoluto, in quo fundatur, quia illud, quod est posterius natura, & consequitur ad aliquod media dependentia, & emanatione distinguitur realiter ab eo ad quod consequitur, & à quo dependet, vt ex terminis patet.

31 Item 12. *met. tex.* 19. ait Aristoteles, prædicamentum ad aliquid, & prædicamentum substantiæ habere propria, & distincta principia, & 5. *met. tex.* 14. docet prædicamentum ad aliquid, & prædicamentum substantiæ esse plura entia realia, ex quibus sic colligo ; ea, quæ non distinguuntur à parte rei, nec habent distincta principia propria, nec sunt plura entia realia, sed potius vnum ens reale ; quis enim potest dicere, divinitatem, & relationem paternitatis esse plura absolute realia ; Item ens, & substantiam esse plura entia ; sed relatio vt ex illis verbis patet, habet propria, & distincta principia à substantia, & prædicamentum relationis, & substantia, &c. sunt plura entia à parte rei : ergo relatio distinguitur à parte rei à cæteris prædicamentis.

SVBSECTIO I.

Auctoritate Divi Thomæ efficaciter probatur conclusio.

PRobatur secundo authoritate D. Thomæ 1, 32 *p. q.* 28. *art.* 2. *ad* 2. vbi expresse nostram sententiam docet his verbis. Ad secundum dicendum, quod sicut in rebus creatis in illo, quod dicitur relative, non solum est invenire respectum ad alterum ; sed etiam aliquid absolutum, ita & in Deo ; sed tamen aliter, & aliter ; nam id quod invenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res : in Deo autem non est alia res : sed vna, & eadem, & paulo post : non sequitur, inquit, quod in Deo præter relationem sit aliquid aliud secundum rem : sed solum considerata nominum ratione. Sic Angelicus Doctor, in creatis absolutum, seu fundamentum relationis est alia res ab ipsa relatione, quæ fundatur immediate in ipso absoluto secundum Divum Thomam : ergo ex sententia Angelici Doctoris distinguitur fundamentum à parte rei à relatione, quæ fundatur in ipso.

Dices, esse aliam rem formaliter, aut per intellectum seu per rationem, non vero à parte rei, ac proinde solum per rationem, & non à parte rei distingui fundamentum à relatione. 33

Sed contra evidenter, quia in hoc loco, vbi 34 Angelicus Doctor dicit, quod in creaturis est alia res fundamentum à relatione, ponit discrimen, & differentiam inter relationes divinas, & creatas (illis verbis : sed tamen aliter, & aliter ; nam id, quod invenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res, in Deo autem non est alia res, sed vna, & eadem) in hoc, quod in creatis fundamentum sit aliud à relatione ; in divinis vero non ; sed si in creatis ex mente ipsius absolutum esset alia res solum formaliter, & per rationem, & non à parte rei, nullum esset discrimen assignatum à D. Thoma inter relationes divinas & creatas : ergo si D. Thomas rectum discrimen tradidit, dicendum est secundum mentem ipsius absolutum, quod fundat relationem creatam non solum esse aliam rem per intellectum, & formaliter à relatione, sed etiam à parte rei, ac proinde non solum distingui per rationem à relatione, sed etiam à parte rei. Hæc minor sic probatur, quia etiam divina essentia, seu absolutum divinum distinguitur formaliter, & secundum rationem, ac proinde est alia res per rationem à relationibus, quæ sunt in illa ex mente, & verbis expressis D. Thomæ, nam ipse Doctor in corpore huius articuli, paulo antequam hoc discrimen tribueret, dixit ; & sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo, est idem essentiæ secundum rem, & non differt, nisi secundum intelligentiæ rationem, provt in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ : patet ergo quod in Deo non est aliud esse relationis, & esse essentiæ, sed vnum, & idem, quod etiam docuit illis verbis supra citatis, ibi : non sequitur quod in Deo præter relationem sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione, &c.

Quibus verbis evidenter docet relationem di-

vinam

vinam, & creatam convenire in hoc, quod veraque distinguatur ab absoluto in quo est, per rationem, ac proinde absolutum esse aliam rem formaliter à respectivo: ergo secundum D. Thomam non differunt in distinctione rationis, nec in eo, quod sit alia res per rationem absolutum creatum à relatione creata; siquidem conveniunt in hoc ipso, quia ratio conveniendi duorum non est ratio differendi inter illa: ergo discriminantur in alia distinctione; sed non est alia, nisi quæ datur à parte rei: ergo vt verificetur hoc discrimen, & suum finem consequatur D. Thomas in illo tribuendo absolutum creatum, non solum est alia res secundum rationem, sed etiam à parte rei à relatione, alias inepte procederet D. Thomas discriminando relationes divinas à creatis; si quidem assignaret pro discrimine rationem in qua conveniunt, & non in qua differunt; sicut v. g. inepte procederet, qui volens discriminare, & differentiam tribuere inter equum, & hominem diceret, homo distinguitur ab equo in hoc, quod homo est vivens sensibile, & tota ratio huius ineptæ differentiæ esset, quia tribueret pro ratione differentiæ rationem, in qua conveniunt, & non differunt equus, & homo: ergo si D. Thomas assignat discrimẽ inter relationes divinas, & creatas ex vi distinctionis rationis relationis ab absoluto, assignabit sine dubio id, in quo conveniunt potius quam differant, cum tam relationibus creatis, quam increatis doceat Angelicus Doctor convenire distinctionem rationis ab absoluto, in quo sunt: ergo non recte procederet, ne igitur hoc absurdum imputetur tanto Doctori, dicendum nobis est pro discrimine inter relationes creatas, & divinas assignasse distinctionem à parte rei, & alicitatem, quæ datur ex natura rei inter absolutum creatum, & relationem creatam, & minime convenit relationibus divinis respectu absoluti, in quo sunt.

35 Quæ omnia clarissime patefiunt ex verbis ipsius Doctoris, quæ *in dicto articulo 2. ad 2. in fine* profert; vbi se explicans de qua alicitate loquatur, iam non dicit est alia res, sed est aliquid aliud secundum rem, id est aliquid aliud à parte rei: Illa enim verba, secundum rem, & à parte rei synonima sunt apud D. Thomam: ergo si secundum D. Thomam absolutum, seu fundamentum creatum est aliquid aliud secundum rem à relatione erit distinctum à parte rei ab illa, & non solum per rationem; vbi data opera vsus est vocabulis clarissimis, ne fallacibus interpretationibus aliqui sua verba, & mentem tenebris offunderent; ac ne tandem verba prædicta aliquam obscuritatis dubitationem paterentur, quam patiebantur illa verba, est alia res; nam potest dici animal est alia res à rationali, videlicet alia res per intellectum, vel per rationem, & tamen non potest dici, animal est aliquid aliud secundum rem à rationali, quia hoc denotat, distingui realiter; sicut de Deo potest dici iustitia est alia res à misericordia, scilicet per intellectum, & per rationem, & nihilominus non potest dici, iustitia est aliquid aliud secundum rem à misericordia, quia hic modus loquendi exprimit distinctionem à parte rei, & hæc nullo modo datur inter iustitiam, & misericordiam: ratio autem discriminis in his modis loquendi est, quia in primo illud nomen res non cadit supra distinctionem, sed supra fundamentum; in secundis autem verbis illud, secundum rem non cadit supra fundamentum, sed supra distinctionem significatam per illud nomen aliud, cui immediate coniungitur terminus secundum rem, vt denotet talem distinctionem esse à parte rei, & non per rationem.

Ergo si D. Thomas vt discriminet relationes 36
creatas à Divinis, sic ait; vnde non sequitur, quod in Deo præter relationem sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione; sicut sequitur in creatis, vbi fundamentum est aliquid aliud secundum rem, necessario, ac evidenter sequitur ex verbis D. Thomæ, relationem creatam distingui à parte rei à suo fundemento.

Totum hoc amplius vrgent, & explicant verba 37
ipsius Doctoris, *q. 8. de potentia Dei, art. 2.* vbi sic ait; substantia creata non potest sibi identificare relationem, quæ est definita ad tale genus, in quo differt à substantia, & essentia Dei; quæ cum sit infinita, & supra omnia genera, potest alia sibi identificare. In quibus verbis clarissime docet D. Thomas, solam essentiam divinam propter suam infinitam sibi identificare relationem realem, substantiam vero creatam, quia finita est, non posse, quid clarius?

Nec valet dicere, ideo id asseruisse D. Thomam, 38
quia iudicabat Angelicus Doctor, nullam relationem immediate fundari in substantia, & natura creata, sed in accidentibus, vt in quantitate, quæ realiter distinguuntur à substantia, ac per consequens relationes, quæ in illis immediate fundantur.

Non enim hoc valet dici, quia certissimum est 39
in sententia D. Thomæ aliquas relationes immediate in natura, & substantia fundari, quod patet manifeste ex his verbis, quæ profert ipse Angelicus Doctor *1. p. q. 28. art. 1.* ea, quæ dicuntur ad aliquid significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud, qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rei; vtpote quando aliquæ duæ res secundum naturam suam ad invicem ordinatæ sunt, & invicem inclinationem habent, huiusmodi relationes oportet esse reales; sicut in corpore gravi est inclinatio, & ordo ad locum medium; vnde respectus quidam est in ipso gravi respectu loci medij, & in forma respectu materiæ, & similiter est de alijs huiusmodi. Clarius autem hanc veritatem declarat Angelicus Doctor *q. 7. de potentia, art. 9. ad 4.* his verbis: Creatura refertur ad Deum secundum suam substantiam; sicut secundum causam relationis, secundum vero relationem ipsam formaliter; sicut aliquid dicitur simile secundum qualitatem causaliter secundum similitudinem formaliter. Sic ille; vbi comparat relationem similitudinis cum relatione creaturæ ad Creatorem quoad fundamentum immediatum in hoc, quod sicut relatio similitudinis fundatur in qualitate, ita relatio creaturæ in substantia illius; sed relatio similitudinis immediate fundatur in qualitate, & ideo qualitas est causa illius: ergo relatio creaturæ ad creatorem immediate fundatur in substantia creata; siquidem D. Thomas asserit ita esse causam creaturæ relationis substantiam creatam, sicut qualitas est causa relationis similitudinis.

Dices, sufficere ad hoc vt sit causa, esse media- 40
tum fundamentum.

Contra, quia si ex eo solum quod mediate fun- 41
daretur relatio creaturæ in substantia, vocaretur à D. Thoma substantia causa relationis creaturæ, etiam substantia esset causa secundum D. Tho-

mam relationis similitudinis, quia etiam mediante qualitate fundatur relatio similitudinis in substantia, & nihilominus ait, qualitatem esse causam similitudinis, & non substantiam, substantiam vero esse causam relationis creaturę ad creatorem: ergo in sententia Divi Thom. relatio creaturæ cum fundatur mediate, sed immediate in substantia, cum non mediantibus accidentibus, sed immediate à Deo creetur substantia creata.

42 Item adverte illa verba secundum substantiam, &c. & illa; sicut aliquid dicitur simile, &c. quibus aperte docet, substantiale fundamentum, & qualitatem esse absolute, & simpliciter causas relationum quæ in ipsis fundantur; sed causa, & effectus distinguuntur à parte rei: ergo in sententia D. Thomæ relatio, & fundamentum à parte rei distinguuntur.

43 Idem docet Angelicus Doctor *quæst. 3. de potentia, articul. 3. & 1. p. quæst. 28. articul. 1. ad 2.* expresse docet relationem identitatis specificæ ita immediate fundari in substantia, sicut similitudo in qualitate, & æqualitas in quantitate; quod repetit eisdem pene verbis *opusc. 48. cap. 3.* dum ait: in vno vero, id est in substantia fundatur identitas, & in quantitate æqualitas, & paulo ante in eodem capite sic ait; nihil tamen obstat, quin relatio possit fundari immediate in substantia; creatura enim secundum suam essentiam non per aliquid sibi additum refertur ad Creatorem, cum non per aliquid superadditum fundet relationem creaturæ: ergo ex sententia D. Thomæ relatio immediate fundatur in substantia.

44 Præterea, idem D. Thomas *4. lib. contra Gent. c. 14.* ait, quod relatio creata sic inhæret subiecto, vt faciat compositionem realem cum illo: relatio vero Divina non faciat; sed non datur compositio realis, nisi inter distincta realiter: compositio enim est distinctorum vnio, & compositio realis distinctorum realiter vnio: ergo inter relationem, & fundamentum datur distinctio realis, si quidem datur compositio realis inter illa. Item eodem loco ait sic relatio realiter adveniens substantię; sed nihil sibi realiter advenit: ergo relatio non est idem cum substantia. Tandem *3. p. q. 16. art. 6. & in primo distinctione 26. q. 2. art. 2. ad 3. & 8. de potentia, art. 2. ad 1.* expresse docet, relationem, & fundamentum distingui à parte rei.

SVBSECTIO II.

Prima ratio pro nostra conclusione ponitur.

45 NVlla entitas creata potest transire de contradictorio intrinsecè negativo in contradictorium positivum intrinsecum realiter sine reali, & intrinseca mutatione illius: sed Petrus, qui antequam genuisset filium, non erat Pater intrinsecè, & postquam genuit, seu habuit illum est intrinsecè Pater, transit de contradictorio negativo intrinseco in contradictorium positivum realiter: ergo talis transitus non est sine mutatione intrinseca reali entitatis Petri.

46 Tunc sic. Non potest dari mutatio intrinseca realis in aliquo de negativo in positivum, sine eo quod detur aliquid intrinsecum reale positivum de novo, quod antea non erat realiter in illo subiecto, quod mutatur realiter: sed Petrus mutatur per talem transitum de non esse Patris ad esse Patris intrinsecè: ergo habet nunc de novo realiter aliquid intrinsecum positivum, quod antea non habebat realiter: atqui tale positivum intrinsecum non est aliud, nisi relatio paternitatis, cum non mutetur ad aliud positivum intrinsecum, nisi ad esse Patris, quod formaliter, & essentialiter constituitur per relationem paternitatis: ergo relatio paternitatis datur de novo relatio nunc in Petro generato filio, quæ antea non erat realiter in Petro: ergo evidenter sequitur, relationem paternitatis distingui à parte rei, seu ex natura rei à Petro, qui est fundamentum talis paternitatis: hæc consequentia sic demonstratur, quia id, quod de novo advenit alicui ante talem adventum existenti distinguitur ex natura rei ab illo, cui advenit; sed relatio paternitatis advenit Petro ante adventum relationis existenti: ergo relatio paternitatis distinguitur ex natura rei à Petro. Maior est evidens primo, quia idem non potest sibi ipsi realiter advenire; ideo enim lux distinguitur realiter à pariete, & homine, quia advenit realiter illis, & ideo rationale non potest advenire realiter homini, quia identificatur cum homine: ergo quidquid advenit realiter alteri à parte rei distinguitur ab illo, cum addatur realiter illi, cui advenit.

Secundo sic probatur, quia quando aliquod 47
prædicatum de novo advenit realiter alicui subiecto existenti ante tale prædicatum sub negatione illius, evidenter sequitur tale subiectum fuisse sine tali prædicato, quando erat sub negatione illius, alias idem esset sub affirmatione, & negatione eiusdem, quod implicat contradictionem; sed illud, quod aliquando realiter est sine alio distinguitur realiter ab illo; ergo relatio distinguitur à parte rei à Petro, & Petrus à relatione paternitatis, quæ fundatur in ipso, quia Petrus existit sine relatione paternitatis sub negatione talis relationis de novo advenientis illi: hæc minor est principium evidens in metaphysica, quia idem non potest esse sine seipso.

Tertio sic probatur, quia subiectum illud, cui 48
de novo advenit relatio paternitatis prius extitit sub negatione paternitatis, quam ipsa paternitas existeret: sed idem non potest prius existere, quam idem ipsum existat: ergo subiectum illud non est idem cum paternitate à parte rei, sed potius distinguitur ab illa.

Maior prima, & præcipua sic probatur. Non 49
potest transire aliqua creatura realiter, seu à parte rei de contradictorio negativo ad positivum intrinsecum reale, sine eo quod talis creatura aliter se habeat intrinsecè à parte rei nunc, quam antea se habebat; sed mutari intrinsecè à parte rei nihil aliud est, quam aliter se habere nunc, ac antea se habebat talis creatura, vt patet ex definitione mutationis, quam tradidit Aristoteles 2. *physic. & 3. met.* ergo nulla entitas creata potest transire realiter de contradictorio negativo intrinseco in positivum intrinsecum sine mutatione intrinseca illius.

Hæc maior est certa, quia non potest entitas 50
creata transire de negatione ad formam positivam intrinsecam, quin habeat talis entitas per illum transitum intrinsecè de novo aliquid positivum, quod antea non habebat; sed habere nunc de novo aliquid positivum intrinsecum, quod antea non habebat, dum erat sub negatione, & non habere negationem, quam antea habebat, est rem

aliter

aliter se habere intrinsece, quam antea: ergo non potest transire entitas creata de negativo in positivum intrinsecum realiter sine eo quod talis entitas creata aliter se habeat intrinsece, ac antea se habebat.

51 Verbi gratia, quia aër nunc habet intrinsece lucem à parte rei, quam non habebat hac nocte præterita, & nunc non habet negationem lucis tenebras nimirum, quas habebat antea realiter, aliter se habet aër nunc, quam antea se habebat realiter: ergo quidquid transit de negatione in positivum intrinsecum, aliter se habet nunc, ac antea se habebat.

52 Hæc maior clarissima est, quia non potest creatura transire de vno contradictorio in aliud, sine eo, quod desinat, & destruatur contradictorium negativum per adventum contradictorij intrinseci positivi, v.g. non potest Petrus transire de cæco in videntem, nisi destruatur cæcitas per adventum potentiæ visivæ; alias si non destrueretur, conservaretur cum altero de novo adveniente contradictorio, ac proinde duo contradictoria simul essent in eodem subiecto: sed destrui in Petro contradictorium negativum per adventum contradictorij positivi intrinseci est dari de novo aliquid intrinsecum positivum, quod antea non erat in Petro, & est Petrum habere illud nunc, quod antea non habebat intrinsece: ergo.

53 Minor prima, & præcipua sic probatur. Non pater aut non esse Patris à parte rei est terminus contradictorius negativus Patris, & esse Patris est terminus contradictorius positivus non Patris; sed Petrus postquam genuit filium, quem antea non genuerat, transit de non Patre ad esse Patris: ergo transit de termino contradictorio negativo in terminum contradictorium positivum realiter. Maior hæc est evidens, quia contradictoria sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; sed dicere, Petrus est pater huius filij realiter, Petrus non est pater huius filij realiter, sunt affirmatio; & negatio eiusdem de eodem: ergo esse Patris, & non Patris sunt termini contradictorij negativi, & positivi intrinseci.

54 Dixi, intrinseci, quia in sententia Patris Suarez denominatio patris, non est denominatio extrinseca sed intrinseca, ac proinde prædicatum Patris in Petro est formalitas intrinsece existens in Petro per identitatem cum ipso; sed quando terminus positivus contradictorius est intrinsecus, etiam negativus est intrinsecus ipsi subiecto, vt videre est in luce & non luce, iusto & non iusto: ergo Pater & non pater sunt termini contradictorij intrinseci.

55 Hæc minor sic patet, nihil aliud est transire de vno termino ad alium, nisi desinere esse in vno termino, & esse de novo sub alio, aut accedere, seu pervenire ad alium; sed Petrus antequam genuisset, erat in termino negativo patris, quia vere, & realiter non erat pater tunc, & postquam genuit vere filium de novo, desinit esse in termino non pater, & est in termino pater, quia vere est talis: ergo transit de non patre ad esse patris, ac proinde de termino contradictorio negativo in positivum intrinsecum. Maior hæc est evidens. Minor sic demonstratur, quia Christus Dominus in quantum homo non est pater naturalis alicuius hominis, vt fide catholica sanctum veneramur, quia nullum hominem genuit Christus in quantum homo, quia ad esse patris necessaria est generatio, v.g. ideo persona prima divina est pater vere, & realiter, & non est pater tertia persona Trinitatis, nisi quia prima genuit Verbum, tertia autem nihil genuit.

Item Beata Virgo Maria secundum fidem non mater naturalis duorum filiorum, nisi vnius solum Iesu Christi videlicet Domini nostri. Vnde asserere, vt aliqui hæretici docuerunt, Beatam Virginem fuisse matrem naturalem duorum, aut plurium filiorum à parte est contra fidem, & ratio est, quia B. Virgo non genuit vere, nisi vnicum filium Iesum Christum videlicet, nam vbi non est ratio fundandi non potest dari relatio: sed generatio est ratio formalis fundandi relationem maternitatis, & paternitatis sumpta active generatione, & generatio passiva est ratio fundandi filiationem: ergo antequam detur generatio activa, & passiva in Petro, & in Ioanne nõ potest dari relatio paternitatis, & filiationis in illis: ergo Petrus antequam generet non potest esse pater, nec Ioannes antequam generetur potest esse filius realiter. Statim autem ac Petrus generat Ioannem, Petrus vere, & realiter est Pater Ioannis, & Ioannes est vere, & realiter filius Petri.

Confirmatur, ideo Deus, & non propter aliam 56
rationem, vt asserunt fere omnes Theologi contra Caiet. vt videre est in P. Suar. *to. 2. met. disp. 30. sect. 9.* transit de contradictorio negativo in positivum intrinsecũ, vt de non volente in volentẽ, de non vidente scientia visionis in videntẽ scientia visinois, de odium non habente in odium habentem, de non vnito intrinsece humanitati sine aliqua mutatione, & additione intrinseca realiter de novo, quia Deus est purus, & infinitus actus, & vt ait P. Suarez *num.* 40. his verbis, ratio huius mysterij non est alia, nisi summa actualitas diuini esse, & infinita eius perfectio, ratione cuius in se præhabet quidquid ad omnem actualitatem necessariũ est; vnde tota illa perfectio quæ addi fingitur per illud additũ in ipsa infinita perfectione actualissime continetur; & *n.* 44. sic ait, loquens de scientia visionis: tertio constat ex dictis, idem proportionaliter dicendũ esse de actu diuinæ scientiæ respectu earum rerum, seu veritatum quas ex parte earum non necessario repræsentat, ex parte inquam earum, quatenus scilicet illæ possunt esse, & non esse, eo quod contingenter, seu libere fiant, & paulo post; sed ipsamet scientia Dei hanc vim habet ob suam infinitam perfectionem, vt se ipsa, & sine vllo reali addito omnia infallibiliter repræsentet. Sic ille. Imo quotiescumque loquitur hic author de hoc transitu reducit hoc negotium totum cum omnibus Thelogis in perfectissimum, & infinitum esse Dei, & in summam, puram ac eminentissimam infinitatem Divinæ maiestatis.

Tunc sic. Nulla creatura habet infinitatem, & 57
summam perfectionem actualitatis, vt Deus habet; sed Deus propter illam solam rationem potest transire de contradictorio negativo intrinseco, in positivum intrinsecum sine aliqua mutatione, additione reali, & sine distinctione prædicati positivi ab ipso Deo: ergo creatura nullo modo poterit trãsire de contradictorio negativo intrinseco in contradictoriũ positivum realiter intrinsecum, sine illius mutatione, & reali additione intrinseca, ac distinctione à parte rei ipsius à positivo, quod additur in tali transitu; sed creatura quæ antea nõ erat relata, & nunc de novo est relata per positionem termini de novo transit de contradictorio negativo intrinseco ad contradictorium

intrinsecum positivum relationis : ergo mutatur intrinsece à parte rei per additionem realem relationis supra rem, quæ transit, & per ipsam entitatem relationis distinctam ex natura rei ab ipsa entitate transeunte à non relatione ad relationem: quia idem non mutatur à parte rei per se ipsum sine distinctione à prædicato per quod mutatur aut per illud, quod secum identificatur à parte rei, neque idem potest sibi ipsi de novo à parte rei advenire, aut sibi ipsi realiter addi, sed necesse est omnino, vt id, per quod mutatur intrinsece aliquod subiectum, & quod de novo advenit aut additur à parte rei, distinguatur ex natura rei ab ipso subiecto, cui advenit : ergo relatio, per quam mutatur immediatum fundamentum, & quæ additur intrinsece, & de novo advenit tali fundamento, distinguitur ex natura rei ab ipso
58 fundamento.

Multa poterunt dici ab adversarijs, quibus labefactare conentur vim harum rationum, sed quia longissime ponuntur, & diluuntur, oppugnanturque *Sectione sequenti*, illis supersedeo, quæ videri possunt sine vllo Lectoris fastidio.

SECTIO III.

Vbi secunda ratio pro nostra conclusione ponitur.

59 Illa distinguuntur à parte rei, quæ à parte rei separantur; sed relatio, & fundamentum separantur à parte rei : ergo distinguuntur à parte rei : probatur minor. Illa separantur à parte rei quæ ita se habent, vt existente vno non existat aliud; sed existente fundamento à parte rei non existit à parte rei relatio : ergo separantur à parte rei fundamentum, & relatio; probatur minor. Antequam Petrus generet filium, existit tota entitas Petri, & non existit relatio : ergo, &c. Probatur antecedens, & quantum ad primam partem est certissimum, quantum ad secundam vero est manifestum, quia relatio vt relatio, ex eo quod tota eius essentia consistat in puro respectu, non potest existere sine termino, quod adeo verum est, vt in sententia communi, quam defendit P. Franciscus Suarez *in met. disp.47. sect.2. n.13.* adhuc per potentiam Dei absolutam non possit existere sine termino; sed antequam Petrus generet filium, non existit terminus relationis paternitatis : ergo non existit in Petro relatio paternitatis. Item postquam generat Petrus filium in Petro datur relatio paternitatis ad illum, & mortuo tali filio desinit relatio paternitatis in Petro, & minime desinit entitas Petri: sed adhuc mortuo filio, quem genuit, perseverat entitas Petri : ergo ita se habent Petrus, & relatio, vt manente entitate Petri à parte rei, quæ est fundamentum talis relationis, pereat relatio, & non existat: ergo separantur realiter fundamentum, & relatio: ergo distinguuntur à parte rei.

60 Maior prima, & præcipua est evidentissima, & & certissima, quia est axioma receptum in metaphysica, & lumini naturali innitens, de quo nullo modo potest dubitari, nam si idem posset separari à se ipso, ea separatione, de qua loquimur, posset simul idem esse, & non esse; nam id quod separatur ab alio existente, non est, quia destruitur, dum separatur, & illud à quo separatur, est: ergo simul idem est, & non est; sed impossibile est, quod idem simul sit, & non sit, vt ex terminis patet : ergo idem non potest separari à seipso realiter : ergo ea quæ separantur realiter, distinguuntur realiter.

Dices, destructo termino, vel antequam sit 61 terminus, non esse relationem formaliter, vel quoad formalitatem relationis, esse tamen relationem entitative.

Sed contra, quia per te formalitas relationis 62 deficit à parte rei existente fundamento; sed formalitas relationis non est nihil : ergo aliquid, non rationis, sed reale, non extrinsecum, vt tu asseris, quia per te relatio formaliter non est denominatio extrinseca, sed intrinseca : ergo intrinsecum aliquod reale perit in fundamento pereunte termino: ergo illud est distinctum à fundamento à parte rei: sed illud, quod perit reale intrinsecum, non est absolutum, sed relatio formaliter, si quidem id quod perit, necessario est ad aliud, id est ad terminum : ergo existente absoluto fundamento perit relatio formaliter : ergo relatio formaliter distinguitur ab ipso fundamento.

Deinde, quia non potest perire formalitas 63 realis essentialis alicuius, quin tota illius entitas pereat : v.g. non potest perire rationale hominis, quod est ipsius formale, seu formalitas, nec potest perire compositio, quæ est formalitas compositi, quin pereat totus homo, & totum compositum : ergo si formalitas relationis perit, tota entitas relationis perit : ergo tota entitas relationis non existit existente fundamento : ergo separantur fundamentum, & relatio, ac proinde distinguentur ex natura rei.

Declaratur, quia id est formale alicuius, vel 64 formalitas illius, quod fuerit essentiale prædicatum respectu illius; sed per vos perit formalitas, seu formale relationis, aut relatio formaliter, destructo termino : ergo perit prædicatum essentiale relationis destructo termino; sed prædicatum essentiale alicuius est idem cum illa re, cuius prædicatum essentiale est, vt videre est in animali, quod est prædicatū essentiale hominis, ac proinde est idem cum toto homine : ergo talis formalitas relationis, quæ perit, est idem quod tota relatio : ergo pereunte termino perit tota relatio, siquidem perit id, quod est idem cum ipsa, alias periret, & non periret relatio. Maior illa prima est evidens, quia id est formale respectu alicuius quod convenit illi ex vi definitionis formalis illius, ac formaliter constituit ipsum; ideo enim relatio transcendentalis potentiæ ad obiectum est formalitas potentiæ, quia convenit potentiæ ex vi definitionis formalis eiusdem, & formaliter constituit talem potentiam; sed id, quod convenit alicui ex vi definitionis formalis, convenit illi ex vi definitionis essentialis, & id quod convenit alicui ex vi definitionis essentialis, & constituit illud &c. est prædicatum essentiale illius: ergo id est formale, seu formalitas alicuius, quod fuerit prædicatum essentiale illius.

Præterea, ideo pereunte termino, perit illud for- 65 male relationis, quia est ad aliud formaliter, & essentialiter, ac proinde specificatur, & dependet essentialiter ab illo alio, quod est terminus, ratione cuius non potest existere sine termino, à quo specificatur & dependet essentialiter, vt videre est in vnione, & actione quæ pereunt necessario pereuntibus terminis vnitis, & productis, quia vnio, & actio dependent essentialiter ab illis terminis; sed

sed ipsa relatio quoad essentiam, & existentiam actualem ex eo quod sit purus respectus formalis specificatur, & dependet essentialiter à termino, qui perit: ergo non solum perit formalitas relationis: sed tota essentia, & existentia relationis actualis; ac proinde tota entitas relationis, quæ est idem, quod existentia & essentia actualis illius, quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis.

66 Vrgetur amplius, quia vel illa formalitas, quæ perit pereunte termino est aliquid reale extrinsecum, vel intrinsecum in fundamento; si primum erit terminus, & sic erit idem dicere pereunte termino perire relationem quoad formalitatem, ac dicere, quod destructo termino datur relatio sine termino quod implicat, vt patet ex dictis. Si autem est aliquid intrinsecum reale: ergo destructo termino destruitur aliquid intrinsecum reale in fundamento. De illo intrinseco quæro, an sit tota essentia relationis, vel pars illius, vel nullo modo pertineat ad illam; si hoc vltimum: ergo impertinens est ad relationem: ergo manet tota relatio sine termino; si autem est pars, vel tota essentia illius: ergo iam destruitur pars, vel tota essentia relationis destructo termino, quia destructa parte essentiali alicuius compositi, destruitur totum compositum, & tota entitas illius: ergo si illa formalitas est pars relationis, & destruitur destructo termino, destruitur etiam tota relatio quoad entitatem, quod intendimus.

67 Deinde, quia dum dicunt perire formaliter relationem, vel dicunt perire formalitatem realem à parte rei, & in hoc sensu vrgent argumenta iam dicta, vel solum intendunt dicere, relationem non perire in re ante intellectum: sed solum per rationem eo modo, quo ea, quæ solum distinguuntur per rationem, & non à parte rei, dicuntur distingui formaliter, & in hoc sensu est falsa solutio aduersariorum, vt patet ex dictis; quia pereunte termino realiter, perit habitudo, & ordinatio generantis ad genitum, cum pereunte genito iam non ordinetur actu, & formaliter, quia talis ordinatio dependet essentialiter non solum per intellectum: sed vere à parte rei à termino actu existente: ergo non solum per intellectum perit relatio, quæ essentialiter est ordinatio: sed etiam à parte rei vere, & realiter, quia pereunte extremo à quo dependet aliquid realiter, necesse est, vt pereat id, quod dependet realiter ab illo: sed relatio non solum per intellectum, sed etiam vere, & realiter specificatur, dependet, & connectitur cum termino: ergo non solum perit per intellectum: sed etiam vere à parte rei.

68 Confirmatur, & est argumentum ad hominem contra P. Suarez. Nam in sententia illius, licet omnipotentia non dependeat, nec specificetur essentialiter à creaturis possibilibus: sed solum ex eo, quod connectatur cum illis destrueretur sine dubio omnipotentia ipsa Dei à parte rei non solum quoad formalitatem, sed etiam quoad entitatem destructis creaturis possibilibus; sed ipse Pater Suarez ait, relationem prædicamentalem non solum connecti cum termino actu existente, sed etiam dependere, & specificari essentialiter ab illo: ergo à fortiori destructo termino destruetur relatio, non solum quoad formalitatem: sed quoad totam entitatem: sicut destructis creaturis possibilibus destruitur omnipotentia non solum quoad formalitatem: sed etiam quoad totam entitatem, & quoad totum id, quod est idem cum ipsa, ac proinde asserit hic author, destructis possibilibus non solum destrui omnipotentiam, sed etiam destrui ipsum Deum, qui identificatur cum illa: ergo si relatio identificatur cum fundamento, & relatio connectitur cum termino, pereunte termino periret non solum relatio quoad formalitatem: sed etiam quoad entitatem, & quoad omne id, quod identificatur cum illa, hoc est fundamentum; sed pereunte termino non perit fundamentum, & perit relatio, vt dictum est: ergo fundamentum non est idem cum relatione à parte rei: sed potius distinguetur à parte rei ab ipsa.

Respondet P. Smiglesius, quod licet pereat, 69
v. g. relatio similitudinis in vno albo destructo alio sub ratione similitudinis, & sub ratione essentiæ respectivæ, tamen totum hoc fit sine vlla destructione relationis, sicut si de novo ponatur aliud album incipit esse similitudo sub ratione similitudinis sine vlla novæ rei additione, ex eo solum quod nunc fundamentum sumitur respectu termini, antea vero sumi non poterat, quia non existebat terminus.

Sed hæc solutio non est minus frivola, quam 70
supradicta; quia si relatio non erat realiter sub ratione essentiæ respectivæ, quando non erat terminus: ergo non erat relatio, vt relatio est realiter, quia relatio, vt relatio realiter est essentia respectiva: sed non erat realiter essentia respectiva: ergo non erat realiter relatio, vt relatio, quod intendimus.

Illud autem, quod dicit Smiglesius, videlicet 71
non fuisse relationem, quia non sumebatur fundamentum respectu termini; vel hoc intelligitur, quod non sumebatur ab homine, hoc est quod homo non poterat cognoscere relationem sine termino, & hoc est impertinens, quia hic non loquimur de cognitione hominum: sed de ipsa realitate relationis, vel per illa verba, non sumebatur, intelligitur, quod ipsum fundamentum à parte rei non respiciebat terminum: nec ordinabatur realiter ad illum. Ex quo sequi- 72
tur, quod non existente termino non detur in fundamento actuale, & verum respicere, seu ordinari, aut referri ad terminum; sed respicere, ordinari, & referri actualiter ad terminum est tota essentia, & entitas relationis realiter, & independenter ab omni cognitione; ergo destructo, vel non existente termino, destruitur, vel non existit tota entitas, & essentia relationis in entitate fundamenti, quæ adhuc destructo termino remanet, & existit: ergo separatur realiter tota entitas relationis à tota entitate fundamenti: ergo distinguitur ab illa à parte rei.

Confirmatur, vel essentia relationis quantum 73
ad suam entitatem intrinsecam consistit in illo, sumi, respectu termini, hoc est in puro respectu, vel non? si primum: ergo non existente termino datur purus respectus, & sumi ad terminum, vel respectu termini: patet consequentia, non existente termino datur tota essentia relationis quantum ad intrinsecum, & adæquatum esse illius; sed tota essentia relationis quantum ad intrinsecum, & adæquatum esse illius est purus respectus, & referri actualiter ad terminum, ac sumi respectu illius: ergo ablato termino datur purus respectus, & actualiter referri ad illum, ac

sumi

sumi respectu termini, quod est omnino implicatorium, siquidem ipsi asserunt, relationem adhuc divinitus, & purum respectum non posse existere non existente termino.

74 Si vero essentia relationis non consistit in puro respectu, & in actualiter referri ad terminum, seu in sumi respectu illius quantum ad intrinsecum, & adæquatum esse illius essentiale: ergo relatio essentialiter non est relatio, & adæquata essentia illius non est purus respectus, sed quid absolutum, quia in hoc distinguitur relatio ab absoluto, quod absolutum non dicit purum respectum, relatio vero illum dicit, & actualiter referri: ergo quando existit relatio quantum ad intrinsecam rationem relationis provt distinctam ab ente absoluto existit vt purus respectus, & vt actualiter referri: patet consequentia. Nulla res potest existere sine sua essentia; sed tota essentia adæquata relationis quantum ad entitatem intrinsecam essentialem illius, & in quantum distinguitur essentialiter ab ente absoluto, est purus respectus, & actualiter referri: ergo quotiescunque existit relatio quantum ad suam entitatem intrinsecam, & adæquatam, & vt distinctam essentialiter ab ente absoluto, existit purus respectus, & actualiter referri ad aliud; sed non existente termino existit tota essentia relationis quãtum ad intrinsecam rationem essentialem adæquatam illius, & in quantum distinguitur essentialiter ab ente absoluto: ergo existit purus respectus, & actualiter referri ad aliud sine termino, quod est absurdum, quod intendimus probare, & negant adversarij, sicut v.g. hæc esset optima argumentatio, quod in Petro esset animal rationale, antequam existeret eius filius tota essentia Petri quantum ad intrinsecam, & essentialem rationem illius adæquatam, & in quantum distinguitur à bruto essentialiter existit, non existente filio; sed tota essentia Petri quantum ad intrinsecam rationem essentialem adæquatam illius est animal rationale: ergo non existente filio existit animal rationale, &c. eadem enim est forma argumentationis mutata solum materia.

SVBSECTIO I.

In qua aliæ solutiones refutantur.

75 REspondent adversarij existere relationem in fundamento (non existente termino) quoad entitatem, non tamen præbere suum effectum formalem fundamento, quia vt illum præbeat, dependet à termino tanquam à conditione necessaria, quæ est quasi dispositio necessaria in subiecto, quod est commune omni formæ, quæ licet sit in aliquo subiecto, non præbet illi suum effectum formalem, nisi sit dispositum, & capax illius.

76 Sed contra primo manifeste: per te in B. Virgine v.g. & in Christo Domino non existente filio genito datur relatio quoad essentiam, & existentiam: sed non dat effectum formalem propter defectum termini, ac proinde Christus in quantum homo non dicitur pater naturalis respectu alicuius hominis, nec Beata Virgo dicitur mater naturalis trium, aut quatuor filiorum.

Ergo vere existit relatio sine termino actuali, etiam si non tribuat suum effectum formalem; sed relatio nullo modo potest existere sine termino; quia non solum dependet essentialiter à termino, vt tribuat suum effectum formalem, sed etiam dependet essentialiter ab illo vt existat ipsa relatio. Vnde si non tribuit suum effectum formalem, non existente termino ideo erit, quia non existit relatio. Quia vbi datur eadem ratio formalis, datur idem effectus, vel quasi effectus formalis, sed quia dependet relatio à termino quoad præbendum effectum formalem, non existente termino non potest præbere illum: ergo si dependet, non solum quoad hoc, sed etiam quoad propriam existentiam nullo modo poterit existere sine termino. Vnde si existet, tribuet suum effectum formalem, & existentia termini non erit conditio ad præbendum talem effectum formalem.

Quod sic demonstratur, quia nihil aliud est effectus formalis, nisi concretum ex forma, & subiecto resultans necessario; sed posita entitate relationis in subiecto, necessario datur concretum ex tali forma relativa, & subiecto: ergo data entitate, & formalitate relationis in fundamento, seu subiecto, necessario datur effectus formalis relationis. Hæc consequentia patet, quia vbi est subiectum, formalitas, & existentiæ formæ, seu vnio formæ ad subiectum necessario concurrunt omnia prædicata essentialia effectus formalis, seu concreti; sed vbi concurrunt, & existunt omnia prædicata essentialia alicuius, non potest vllo modo etiam Divinitus non esse illud cuius sunt prædicata essentialia; v.g. si existat animal, quod est quasi subiectum, & rationale cum sua formalitate vnita per identitatem animali, quæ sunt omnia prædicata essentialia hominis nullo pacto potest adhuc divinitus impediri, quin detur homo, qui est concretum.

Item si anima rationalis, & propria vnio illius sit in materia prima, & ipsa materia vere vniatur formæ per talem vnionem adhuc per potentiam Dei absolutam non potest non esse homo. Clarius: posita paternitatis formalitate in Divinitate vnita per identitatem tali paternitati, nullo modo potest non esse pater æternus, qui est concretum ex Divinitate, & paternitate; sed per vos existit entitas fundamenti, non existente termino, & in eo formalitas tota seu tota entitas relationis identificata cum fundamento: ergo non existente termino existet necessario concretum ex tali relatione, & fundamento constitutum; atqui concretum relativum patris, aut filij est effectus formalis relationis paternitatis, aut filiationis: ergo existente tota entitate relationis paternitatis v.g. identificata cum fundamento, necessario dabitur effectus formalis paternitatis, pater nimirum; sed destructo termino, filio nimirum, vel nondum genito illo non est vere pater: ergo evidenter sequitur, destructo termino, non existere formalitatem, & entitatem relationis.

Declaratur, quia concretum, seu effectus formalis nihil aliud est, quam materia, forma, & vnio simul sumptæ, vt v.g. homo nihil aliud est, nisi materia prima, forma rationalis, & vnio huius ad illam: sed existente formalitate relationis in subiecto, existunt simul relatio, fundamentum, & identitas relationis cum fundamento: ergo existit necessario concretum constitutum ex illis, quia existente eodem non potest non existere idem, alias idem à seipso separaretur realiter, ac proinde distingueretur à seipso, & sic esset, & non esset idem, sed relatio, fundamentum, & vnio identita-

78

tis

tis simul sumpta, & vnita sunt idem, quod concretum,& existunt illa simul: ergo existit concretum;atqui per vos destructo termino non existit concretum: ergo non existunt simul fundamentum, relatio, & identitas relationis ad fundamentum; atqui fundamentum existit,quia mortuo filio, existit substantia Patris:ergo quod vere deficit est relatio identificata cum fundamento per vos,hoc est relatio,quam dicitis,falso identificari cum fundamento.

Dices, existentiam termini esse conditionem necessariam ad effectum formalem,qua deficiente deficit effectus.

Sed contra, quia illa conditio non tollit per vos, quin existant simul fundamentum, relatio, & identitas relationis cum fundamento: ergo non tollit defectus conditionis, quin effectus formalis talis relationis, & concretum ex illa constitutum detur,quia quod non tollit id,quod est idem cum aliquo non potest tollere ipsum;sicut, quia defectus filij non potest tollere animal, & rationale animam rationalem, vnionem, & materiam primam, non potest tollere hominem in Petro, v. g. quia idem sunt animal, & rationale, anima rationalis vnio, materia prima, & homo in Petro: è contra vero si defectus filij tolleret in Petro aut vnionem, aut formam rationalem tolleret hominem:sed fundamentum, relatio, & vnio identitatis sunt idem, quod effectus formalis, aut concretum relativum,Pater nimirum: ergo ablatio, seu defectus termini, qui non potuit tollere fundamentum, relationem, & identitatem, quæ sunt omnia constitutiva essentialia adæquata concreti relativi, seu effectus formalis relationis, imo quæ sunt idem, quod tale concretum, existentibus illis simul sumptis,& vnitis,non poterit tollere ipsum concretum identificatum cum illis.

Dices,non omnis forma dat effectum formalem ex eo præcise, quod existat in subiecto, v. g. anima rationalis existit in ossibus, & non facit ossa rationalia.

79 Sed contra primo; ergo etiam si non præbeat effectum formalem suum specificum, v. g. forma paternitatis, licet non constituat patrem formaliter,nihilominus dabit effectum quasi generícum, scilicet esse relatum; sicut si gratia sit in lapide per potentiam absolutam, licet lapis non denominetur gratus, nihilominus denominatur qualificatus, vel minimum habens gratiam, vt concedunt omnes Theologi:ergo similiter licet Petrus non denominetur Pater, non existente termino denominabitur relatus, vel ad minus denominabitur habens paternitatem, & relationem, & ratio est, quia licet à forma possit separari effectus formalis,non tamen sua essentia, exempli ergo, à gratia potest separari effectus formalis scilicet faciens gratum subiectum,non tamen potest separari ab illa, quod sit qualitas supernaturalis, & participatio divinæ naturæ: ergo licet à relatione vt relatio est,separetur effectus formalis illius, scilicet faciens relatum,& patrem, non tamen poterit separari essentia relationis; atqui essentia relationis, vt relatio est, est esse ad aliud, & ratio puri respectus:ergo esse ad aliud, & ratio puri respectus non separatur à relatione: ergo non existente termino datur purus respectus, & ratio ad; sed hoc implicat secundum adversarios, quia implicat quod detur relatio, & essentia illius sine termino: ergo destructo termino non datur essentia relationis, quia non datur effectus formalis generícus, habens nimirum relationem;sed datur essentia fundamenti:ergo relatio non est idem, quod fundamentum a parte rei.

Declaratur, & confirmatur ipso exemplo, quod per se adducunt adversarij, nam licet animus rationalis existens in ossibus non conferat illis effectum formalem specificum rationalis propter indispositionem subiecti, nihilominus illis confert effectum genericum formalem viventis, quia sunt vere viventia ossa, & habenria vere, & realiter totam animam rationalem, & sic est verum dicere non solum in carne: sed etiam in ossibus est vere, & realiter anima rationalis: ergo similiter licet relatio paternitatis non conferat Petro effectum formalem Patris ex defectu dispositionis, vel conditionis necessariæ, nihilominus existet essentia relationis sine termino,quod est maximum absurdum.

Dices, nullum esse inconveniens, quod relatio maneat sine termino; sed hoc in sententia P. 72
Suarez non potest dici, imo nec in communi sententia Dialecticorum; omnes enim in hanc veritatem quasi collatis signis conveniunt; vt nulla relatio prædicamentalis actu existat sine actuali termino adhuc divinitus; nam vnum ex discriminibus essentialibus, quæ reperiuntur inter omnes relationes prædicamentales, & transcendentales est quod omnis relatio prædicamentalis ita petat necessario terminum actu existentem, vt nullo modo possit aliqua relatio prædicamentalis aut esse, aut conservari sine termino actu existente: relationes autem transcendentales multæ dantur actu,licet actu non existat terminus, vt relatio scientiæ, & potentiæ ad obiectum,& relatio accidentis ad substantiam actu datur in accidenti separato per consecrationem in Eucharistia, licet substantia, quæ est terminus talis relationis actu non existat: itaque de essentia omnis relationis prædicamentalis est terminus actu existens; ex quo sic ipse P. Suarez argumentum conficit ad probandum, non posse vllo modo relationem prædicamentalem actu existere sine actuali termino.

Quia nihil potest esse sine illo quod est sibi 73
essentiale, aut de essentia illius, sive intrinsece, sive extrinsece; sed de essentia relationis prædicamentalis actualis est terminus actu existens, seu actualis: ergo non potest dari actualis relatio prædicamentalis sine actuali termino. Maior est evidens, quia homo non potest dari sine rationali, & animali, quæ sunt de essentia hominis intrinsece, & actio non potest dari sine agente. Vnde corrupto agente corrumpitur actio: neque vnio potest esse sine partibus actualibus: quia agens, & partes actuales extrinsece sunt essentialia actioni, & vnioni,aut de essentia extrinsece illorum. Illa minor sic probatur. Illud quod est specificativum essentialiter alicuius extrinsece, est de essentia extrinsece illius respectu cuius specificativum est; sed terminus actualis est specificativus relationis prædicamentalis:ergo terminus actualis extrinsece est de essentia talis relationis.

Item, quia illud sine quo non potest salvari 74
definitio alicuius,ita est necessarium ad essentiam illius, vt non possit salvari talis essentia sine eo; sed sine termino actuali non potest fieri definitio relationis prædicamentalis actu existentis,ac

proinde non potest salvari illa: ergo terminus actualis ita est necessarius ad essentiam relationis prædicamentalis, vt nullo modo possit esse actu sine tali termino. Minor est clara; quia essentia illius consistit in puro respectu ad terminum. Vnde definitio illius sic se habet, necessario est purus respectus ad terminum: ergo necessario terminus ingreditur definitionem essentialem illius, ac proinde non poterit absolvi ab illo definitio essentialis relationis prædicamentalis. Imo si potest fieri ab adversarijs aliqua definitio relationis prædicamentalis, in qua non reperiatur necessario terminus actualis faciant illam, & assignent nobis, quam certe nullo modo assignare possunt: ergo summum absurdum est dicere, posse existere actu relationem prædicamentalem sine actuali termino, quod quia evidentissimum est, non debet longius probari.

75 Secundo contra illam solutionem antea datam efficacius argumentor, & probo cum multis Doctoribus, aut formam non debere dari in subiecto, si est incapax effectus formalis illius, aut si detur, esse etiam subiectum capax effectus formalis talis formæ, ac proinde actu dari talem effectum formalem: nam vbi est totum compositum ex materia, & forma debet dari effectus formalis talis formæ; sed quando datur vnio inter subiectum, & formam, & forma vnita subiecto, datur compositum ex subiecto, & ex forma: ergo datur effectus formalis illius. Maior est evidens, quia idem est compositum ex materia, & forma, ac effectus formalis; siquidem compositum constituitur à forma primario: ergo quando datur compositum, datur effectus formalis formæ. Minor illa sic demonstratur primo, quia quando datur modus vltimus, & proprius alicuius debet dari res, cuius est modus: sed quando datur vnio formæ respectu materiæ datur compositio, quæ est modus proprius, & vltimus compositi: ergo datur compositum, seu effectus formalis. Maior ista est evidens, quia modus non potest vllo modo esse separatus à re cuius est modus adhuc divinitus, in quo distinguitur modus essentialiter à re, vt latissime in metaphysica & alijs locis demonstro; sed si daretur modus, non existente re cuius est, aut sine re, cuius est modus, separaretur modus à re: ergo nullo modo potest modus alicuius rei esse sine re, cuius est modus. Minor illa est clara, quia sicut vnio est modus partium vnitarum, ita etiam ipsa vnio quatenus est compositio est modus intrinsecus compositi.

76 Secundo, quia impossibile est quod detur proprium, & vltimum constitutivum alicuius formale supra materiale, & non detur constitutum; sed posita vnione inter materiam, & formam datur vltimum, & formale constitutivum proprium compositi supra materiale illius: ergo datur compositum. Minor est certa, quia proprium, & vltimum formale constitutivum compositi est compositio, & materia, & forma sunt quasi materiale respectu illius: sed posita vnione formæ ad materiam ponitur compositio (quia idem est compositio, ac vnio) supra materiam, & formam: ergo ponitur vltimum formale, ac proprium constitutivum compositi supra materiale illius.

77 Vrgetur. Impossibile est, quod detur inter materiam primam, & animam rationalem vnio substantialis, quin detur compositio inter illas; & impossibile est, quod existente tali compositione supra ipsas non detur compositum hominis, quia talis compositio est vltimum, formale, ac propriũ constitutivum hominis compositi: ergo impossibile est quod detur vltimum constitutivum formale concreti relativi, quæ est vnio inter relationem, & fundamentum, sive per identitatem, sive per inhærentiam, & quod non detur concretum relativum.

Vnde aut dicendum est, nullo modo posse ad- 78
huc divinitus existere gratiam habitualem in lapide, aut si datur capacitas in illo, vt recipiat gratiam per modum formæ, dicendum est dari capacitatem in lapide, vt aliquo modo denominetur sanctus; quare ossa, in quibus est anima rationalis vltimum effectum formalem animæ recipiunt, nam talia ossa rationalia sunt ab anima rationali; quia sicut ipsa ossa sunt humana, quia sunt hominis, ita similiter ipsa sunt ossa rationalia, quia sunt animalis rationalis. Item sicut caro Christi dicitur caro Christiana, & ossa equi equina, ita etiam ossa hominis dicuntur humana, & rationalia: ergo suo modo accipiunt ossa vltimum effectum formalem animæ rationalis: ergo similiter si paternitas, quatenus relatio est, vnitur fundamento, & existit in illo non existente termino, sine dubio constituet tale fundamentum in esse patris: etsi non constituit, ideo est quia talis relatio non est in fundamento deficiente termino, ex quo sequetur relationem separari à fundamento ex destructione termini, ac proinde distingui ab illo realiter.

Dices, ante existentiam termini, vel post de- 79
structionem illius manere totam essentiam relationis in recto significatam, non vero quoad connotatum in obliquo, vt in scientia visionis manet tota essentia scientiæ visionis quantum ad suum esse intrinsecum, & rectum, non tamen quoad connotatum in obliquo; quare etiam si maneat tota entitas scientiæ visionis, non tamen in ratione scientiæ visionis propter defectum connotati in obliquo.

Sed contra, vel illud connotatum est pars rela- 80
tionis, vel non? si est pars relationis: ergo iam relatio includit connotatum; sed connotatum est terminus: ergo relatio includit terminum vt partem constitutivam sui, quod est contra sententiam Patris Suarez, & est incidere in sententiam Durandi. Si illud connotatum non est pars relationis: ergo ante illud connotatum erat tota intrinseca relationis essentia, quia per defectum connotati nulla pars intrinseca illius destruitur: ergo actualiter referebatur ipsa relatio: patet consequentia, essentia relationis est referri actualiter; sed ante connotatum datur tota essentia relationis: ergo datur actualiter referri. Probatur maior, essentia relationis est purus respectus ad aliud; sed purus respectus est actualiter referri ad aliud, & respicere aliud, quia alias haberet aliam essentiam præter hoc, quod est respicere aliud: ergo &c. sed ablato termino datur tota essentia relationis, vt relatio est quantum ad esse essentiale, & intrinsecum illius: ergo datur referri actualiter, & per consequens purus respectus, ac proinde relatio, vt diximus: ergo in illo casu non datur relatio, & datur fundamentum: ergo distinguuntur.

Confirmatur. Mortuo filio videt Deus in Pe- 81
tro id, quod antea videbat; sed antea videbat paternitatem in Petro: ergo eriam videt illam mortuo Filio. Pater consequentia, scientia visionis Dei non desinit terminari ad obiectum, & cognoscere

noscere illud, quandiu remanet entitas intrinseca, & essentialis obiecti; sed relatio paternitatis est obiectum scientiæ visionis, & illa remanet secundum aduersarios mortuo filio secundum suum esse essentiale intrinsecum adæquatum, & totale: ergo mortuo filio videt Deus relationem paternitatis existentem sine termino: ergo videt respicientiam actualem, & actualiter referri sine termino actuali, & actualiter existente: sed hoc est implicatorium: ergo non videt Deus relationem, quantum ad actualiter referri, & quantum ad rationem puri respectus, quæ est essentia adæquata relationis: ergo non datur relatio. Pater consequentia, quando non videt Deus aliquid à parte rei; est evidens, quod non detur illud à parte rei, quia scientiam infinitam Dei nihil potest fugere ex ijs, quæ sunt à parte rei: sed Deus non videt illam relationem destructo termino, vel non existente illo, quantum ad essentiale intrinsecum, & adæquatum esse relationis: ergo non datur illa relatio quantum ad essentiale intrinsecum, & adæquatum esse illius: ergo esse intrinsecum essentiale, & adæquatum relationis distinguitur à fundamento, siquidem existente illo non existit relatio à parte rei.

82 Exemplum autem scientiæ visionis divinæ non venit ad rem, & potius est contra ipsos adversarios, quia ideo scientia visionis sine mutatione Dei, & sine distinctione ab entitate ipsius præbet ipsi Deo varias illas denominationes, quia est infinita in ratione perfectionis, & consistit in summa actualitate cum infinita eminentia, & æquivalentia infinitarum rerum creatarum; sed entitas creata est finita, & limitata, & omnino immersa potentialitate sine vlla eminentia puræ actualitatis: ergo non poterit præbere eidem subiecto diversas illas denominationes intrinsecas patris non patris, relati non relati sine mutatione sui.

83 Neque exempla vlla divina, quæ involvunt infinitatem summam, possunt favere adversarijs, neque ex illis potest fieri argumentatio, qua probentur similia mysteria in creatis, alias posset aliquis sic argumentari, in Deo datur Trinitas personarum cum vnitate essentiæ, & distinctio realis inter relationes cum identitate earundem relationum: ergo etiam poterit simile mysterium reperiri in creaturis; irrationalis enim esset talis argumentatio: ergo similiter est inepta argumentatio à scientia divina, vel à modo se habendi illius circa Deum, & ab actibus liberis ad hoc vt adversarij probent eodem modo se posse habere aliquam formalitatem creatam respectu creaturæ, quia illi actus sunt multo difficiliores intellectu adhuc quam mysterium Trinitatis; vel minimum æque difficiles ac illud mysterium: ergo sicut hi acriter invehuntur in eos, qui dicunt posse in creaturis reperiri aliquid simile mysterio Trinitatis, imo sensent eos in fide errare, & vt minimum evertere omnem bonam philosophiam, ex eo quod ex infinita perfectione Dei ad creaturas tali perfectione carentes argumentari conentur, potiri sane iure possumus nos in adversarios invehi, qui in creatis aliquid omnino simile scientiæ Dei infinitæ, & actibus liberis volunt admittere, vt scilicet eadem omnino formalitas sine vlla sui variatione, & mutatione intrinseca per solam variationem extrinseci termini possit esse nunc intrinsece volens, aut non volens, intrinsece similis, aut non similis; quod in Deo non concedimus, nisi coacti fide, quapropter ipse Pater Suarez id præcise concedit in prædicatis liberis Dei, vt sunt decreta, & scientia visionis, non vero in alijs perfectionibus necessarijs contra Patrem Vasquez id extendentem etiam ad omnipotentiam, & scientiam necessariam: quod si extensio facta à Vasquez est probabilis, ideo est, quia reperit in omnipotentia Dei eandem infinitatem, ac est ea quæ reperitur in decretis, & scientia visionis.

Verum eam difficultatem transferre ad creaturas omnino est chimæricum, & funditus evertens omnem bonam philosophiam: eodem enim modo ego possem dicere solam animam rationalem esse hominem intrinsece connotando materiam, & vnionem vt pure terminos, ac proinde etiam si anima maneat pereunte vnione, non manere hominem quoad connotatum, seu denominationem, manere tamen quoad intrinsecum, & essentiale esse hominis, admissa autem doctrina horum recentiorum, nequit efficaciter impugnari. Item quantitatem esse intrinsece substantiam dum connotat carentiam subiecti, in quo sit; esse vero accidens, dum connotat subiectum in quo sit; & alia plura pugnantia aperte cum sana philosophia, quæ tamen evidenter inferuntur ex impugnata sententia.

84 Adde; neque in ipsis actibus liberis Dei admitti posse huiusmodi connotata, quia antecedenter ad illa intelliguntur ipsi actus liberi, etiam in ratione denominationis sunt enim causæ creaturarum; ideo enim existit creatura, quia Deus vult illam existere, non è contra, ideo vult Deus, quia illa existit: ergo ante connotata est iam voluntas libera Dei; quo autem pacto explicandi sunt huiusmodi actus liberi, late tracto materia de prædestinatione *disp. 2. de causis*, vel quasi causis prædestinationis, *q. 6. sect. 2. & vlt.*

85 Confirmatur, quia vel vt aliqua entitas det diversas denominationes intrinsecas sine mutatione sui necessario requiritur summa actualitas, & infinita perfectio, vel non requiritur; si primum: ergo nulla entitas creata poterit illas præbere sine mutatione sui intrinseca; cum omnis entitas creata sit finita, & limitata. Si vero non requiritur, contra est primo: ergo non ideo Deus potest velle & non velle scire & non scire sine mutatione sui intrinseca; quia est infinitus, vt vos dicitis: secundo, ergo etiam poterit dici, quod homo per eundem actū intellectus sine vlla mutatione, & additione intrinseca intelligit Ioannem nunc, & postea non intelligit ipsum; patet consequentia. Eadem entitas finita potest præbere diversas denominationes intrinsecas relati, non relati, sine mutatione sui intrinseca: ergo idem actus intellectus potest dare denominationes intelligentis, & non intelligentis hoc & illud obiectum: probatur antecedens. Eadem albedo quæ est entitas finita potest præbere posito alio albo denominationes similis, & destructo non similis: ergo eadem entitas finita, &c. Imo non solum idem actus intellectus creati: sed etiam ipsissimus intellectus poterit præbere illas diversas denominationes intrinsecas, videlicet non solum potentis intelligere: sed etiam actu intelligentis, & non intelligentis sine mutatione sui, & per consequens superfluus erit actus intellectus distinctus realiter ab ipso intellectu; sed hoc non potest fieri per solam mutationem extrinsecam: ergo nec potest

fieri quod eadem entitas creata per solam mutationem extrinsecam termini denominet intrinsece relatum, non relatum, &c.

85 Dices, pereunte termino, non solum deficere connotatum: sed etiam connotationem ad terminum, quia relatio nihil aliud est, nisi entitas fundamenti connotando terminum.

86 Contra primo totum fundamentum, & entitas eius est nunc, adhuc destructo termino, quare ergo nunc non connotat, & antea connotabat intrinsece à parte rei: ergo aliquid ablatum est: ratione cuius formaliter connotabat, & in esse connotantis intrinsece constituebatur? de illo igitur, quo constituebatur intrinsece in esse connotantis interrogo, an sit tota relatio, vel pars relationis; vel talis connotatio non pertinet ad relationem; si tota relatio: ergo tota relatio deficit pereunte termino; siquidem deficit tota connotatio, quæ est tota relatio. Si pars relationis essentialiter? ergo saltem distinguetur relatio per illam partem ex natura rei à fundamento distinctione includentis ab incluso (quod minime concedunt adversarij) cum relatio includat essentialiter, vt partes fundamentum, & connotationem quam minime includit fundamentum vt sic.

87 Deinde; quia ideo deficit connotatio, quia est tota ad aliud, & dependet essentialiter à termino: sed etiam tota essentia relationis per Patrem Suarez dependet, specificatur, & connectitur cum termino, & est ad aliud, cum tota essentia relationis sit purus respectus ad terminum: ergo non solum connotatio, quæ est pars relationis; sed etiam tota relatio destruitur destructo termino, siquidem in tota relatione datur eadem ratio formalis, propter quam destructo termino destruitur connotatio, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis.

88 Præterea, quia ex hac solutione sequitur, relationem non esse adæquate relationem, neque adæquate purum respectum; sed potius esse mixtum quid ex absoluto, & relativo, quod sic demonstratur. Nam illud est absolutum, quod non dependet à termino, ac proinde destructo termino, non destruitur, & ideo dicitis, connotationem relationis destrui destructo termino, quia talis connotatio dependet à termino, & est purus respectus, & adæquate est ad aliud, ac proinde minime est absolutum quid; sed in relatione datur aliquid tanquam pars illius, quod cum connotatione componit adæquatam relationem, quod minime dependet à termino actu existente, ac proinde destructo termino, non destruitur; sed permanet eodem modo ac antequam destrueretur terminus: ergo datur aliquid in relatione, quod sit absolutum; ac proinde tota relatio prædicamentalis formalis componetur ex absoluto, & respectivo, & sic adæquate non erit purus respectus; sed mixtum ex absoluto, & respectivo quod est inauditum, & contra ipsos adversarios.

89 Si autem connotatio ad relationem non pertinet; ergo impertinens est recurrere ad connotationem, cum hic non loquamur, nisi de entitate relationis.

90 Secundo contra, quia si connotatio, quæ est pars totius relationis, destruitur, destructo termino, destruetur sine dubio, & tolletur tota relatio & non destruitur entitas fundamenti: ergo relatio distinguitur ab entitate fundamenti. Maior sic probatur. Quia impossibile est quod destruatur aliqua pars intrinsece constitutiva essentialiter alicuius totius, & quod non destruatur totum, v. g. impossibile est, quod destruatur anima equi, & non destruatur totus equus; ergo si connotatio destruitur, quæ est pars constitutiva relationis essentialiter, necessario destruetur tota relatio, quæ essentialiter constituitur ab illa.

91 Vrgetur efficacius, quia connotatio non est pars relationis; sed potius est tota entitas, essentia, & existentia relationis: ergo si destructo termino destruitur connotatio, destruetur sine dubio tota essentia, entitas, & existentia relationis. Antecedens sic probatur. Quia cui soli convenit tota definitio alicuius soli, illi convenit tota essentia ipsius, v. g. quia composito ex anima rationali, & corpore soli competit tota definitio hominis, illi convenit soli tota essentia illius; vnde solum totum illud compositum vere, & proprie est homo; sed soli connotationi convenit in fundamento tota definitio relationis: ergo soli illi convenit in fundamento tota essentia relationis. Minor hæc sic probatur. Quia definitio relationis prædicamentalis est hæc, cuius totum suum esse habet in ordine ad terminum: sed hæc definitio tota convenit soli connotationi ex his, quæ sunt in fundamento, cum sola illa habeat totum suum esse in ordine ad terminum: ergo illi soli convenit tota definitio relationis. Hæc minor sic probatur, sola connotatio ex ijs, quæ sunt in fundamento est ita dependens à termino, vt specificetur ab illo, & ablato termino auferatur illa necessario, imo nullo modo potest adhuc divinitus intelligi, & esse sine termino; ergo sola illa habet totum suum esse in ordine ad terminum, quia habere totum suum esse in ordine ad illum est ita habere, vt dependeat, specificetur, & nullo modo possit aut esse, aut intelligi sine termino; fundamentum autem, & cætera, quæ in illo sunt, conservantur absolute sine termino actuali, & non dependent ab illo, nec possunt dici, quod in sua cognitione, & in sua conservatione connectantur cum termino: ergo illa non habet totum suum esse ad terminum actualem: sed potius ex se sunt absoluta, alias si totum suum esse haberent in ordine ad terminum, non possent dari actualiter sine termino actuali: v. g. quia actio actualis habet totum suum esse in ordine ad terminum productum actualem, & quia vnio habet totum suum esse in ordine ad res vnitas actualiter existentes, neque vnio potest esse sine partibus actualiter existentibus, neque actio sine termino actualiter producto; sed cætera præter connotationem conservantur, & sunt sine termino actuali; connotatio autem nullo modo potest aut esse, aut intelligi sine termino: ergo sola connotatio habet totum suum esse in ordine ad terminum, ac proinde sola connotatio erit relatio: sed ablato termino auferetur connotatio: ergo auferetur relatio; ergo relatio distinguitur à fundamento.

SVBSECTIO

SVBSECTIO II.

In qua aliæ Neotericorum solutiones refutantur.

92 REspondent alij, destructo termino, non destrui relationem quoad intrinsecum, sed quod extrinsecum, & hæc solutio maxime celebratur ab aduersarijs.

93 Sed contra primo, illud extrinsecum in relatione paternitatis, v. g. est terminus illius: ergo vel terminus pertinet ad essentiam relationis, vt constitutivum illius, vel non pertinet: sed non primum, nec secundum obstat: ergo nulla est solutio. Probatur minor quantum ad primam partem. Si terminus esset constitutivum essentiale relationis, relatio non esset omnino intrinseca in fundamento, sed partim intrinseca, & partim extrinseca, quæ est sententia Durandi, quam *quæst. sequenti* impugnabimus; atqui hoc repugnat in sententia aduersariorum, quam modo impugnamus: ergo terminus non constituit relationem essentialiter, tanquam pars essentialis illius: ergo tota essentia relationis est illud intrinsecum, quod est in Petro: ergo pereunte filio, vel antequam filium generet Petrus, est tota essentia intrinseca relationis, vt relatio est in illo; sed tota essentia intrinseca relationis, vt relatio est, in quantum adæquate distinguitur à termino, & ab ente absoluto est purus respectus, & ratio ad: ergo purus respectus, & ratio ad terminum potest existere sine termino: sed hoc est contra ipsos aduersarios, vt patet ex dictis: ergo destructo termino, vel antequam sit terminus non est purus respectus, & ratio ad in fundamento: ergo destructa relatione quoad extrinsecum destruitur etiam, & non est quoad intrinsecum, scilicet quoad esse relationis prædicamentalis puri respectus, & rationis ad; consequentia illa, videlicet quod relatio supposito eo, quod diximus, possit existere sine termino, patet quia relatio est solum illud intrinsecum, quod est in Petro identificatum per vos cum Petro: sed remanet totum illud intrinsecum, quod est in Petro identificatum cum ipso, non existente filio: ergo remanet tota relatio, quatenus relatio; sed tunc non existit terminus: ergo relatio potest existere sine termino; sed summum absurdum est in vestra sententia, quod relatio prædicamentalis existat sine termino: ergo destructo filio, vel antequam sit filius, non est relatio in Petro existente ipso Petro: ergo Petrus, & relatio distinguuntur.

94 Contra secundo, & probo esse maxime frivolam hanc solutionem, quia quando respondes destructo termino, destruitur relatio quoad extrinsecum, vel non manet relatio quoad extrinsecum, idem dicis, ac si diceres, destructo termino destruitur terminus, & non manente termino, non manet terminus, quod ridiculum est; quis enim de hoc dubitat? sicut si tu diceres, destructo homine destruitur homo; vnde in suo robore manet vis argumenti, neque illi adhibetur solutio in re, sed solum elusio vocabulorum: nam ego sic vrgeo aduersarios: relatio quoad suam essentiam, & quoad intrinsecum habet totum suum esse in ordine ad extrinsecum terminum; sicut actio in ordine ad terminum productum per illam, & eo modo quo vnio habet totum suum esse in ordine ad partes vnitas, dependendo ab illis essentialiter ex vi specificationis essentialis propriæ; sed destructo extremo, à quo aliquid dependet essentialiter, & à quo specificatur, & cum quo necessario, & essentialiter connectitur, destruitur id, quod dependet, specificatur, & connectitur necessario quatenus connectitur: ergo destructo extrinseco termino relationis prædicamentalis, destruitur relatio in eo esse, & secundum illud esse, in quo dependet, specificatur à termino extrinseco, & connectitur necessario cum illo: atqui relatio non dependet essentialiter, neque specificatur à termino extrinseco quoad terminum extrinsecum, sed potius quoad esse intrinsecum essentiale relationis: ergo quoad esse intrinsecum essentiale relationis destruitur relatio, destructo termino extrinseco, & non solum quoad extrinsecum terminum.

Minor hæc quoad primam partem sic probatur manifeste: quia idem non dependet à se ipso, neque specificatur à seipso; omnis enim vera, & realis dependentia à parte rei debet esse ab alio; sed si relatio penderet ab extrinseco termino quoad extrinsecum, idem penderet à seipso, quia esse extrinsecum relationis, est ipsum esse extrinsecum extremum, quod vocatur terminus relationis, seu est ipse terminus, quia nullum aliud esse extrinsecum habet relatio, nisi ipsum terminum: ergo relatio non dependet à termino extrinseco quoad extrinsecum esse relationis; quia idem penderet à seipso: v. g. si potentia visiva penderet ab obiecto quoad esse extrinsecum potentiæ visivæ, dependeret esse obiecti ab ipso obiecto; quia nullum aliud esse extrinsecum habet potentia visiva, nisi esse obiecti. Minor quoad secundam partem est manifesta ex ipsis aduersarijs, quia secundum ipsos, & secundum ipsam veritatem esse intrinsecum essentiale relationis est purus respectus quatenus talis; & est ratio ad formalissime; sed purus respectus quatenus talis, & ratio ad formalissime dependet, specificatur essentialiter à termino, & essentialiter connectitur cum ipso: ergo esse intrinsecum relationis, seu relatio quoad esse intrinsecum dependet, specificatur, & connectitur essentialiter cum termino.

Vrgetur, & declaratur hoc totum: quia vnio quo 95
ad suum esse intrinsecum dependet essentialiter à partibus vnitis, & actio habet totum suum esse intrinsecum in ordine ad terminum productum destructo termino producto, & partibus vnitis vnio, & actio non solum destruuntur quoad terminum productum, & quoad partes vnitas, sed etiam quoad esse intrinsecum actionis, & vnionis.

Item, quia dies, sive lux diffusa per aërem huius 96
emisferij dependet extrinsece à sole, quia dependet tanquam à causa efficiente per actionem transeuntem ab illo, destructo sole, vel non præsente sole in hoc Emisperio, vtvt de re est dum movetur ad Antipodas deferendo nos, destruitur lux, & dies, non solum quoad extrinsecum à quo dependent, sed etiam quoad intrinsecum esse lucis, & dici, quod dependet ab illo extrinseco.

Item efficatius, & ad hominem: ex eo solum 97
quod omnipotentia in sententia Patris Suarez connectitur necessario cum creaturis possibilibus, tanquam cum obiectis extrinsecis eiusdem omnipotentiæ, destructis creaturis possibilibus extrinsecis omnipotentiæ, non solum destruitur omnipotentia quoad extrinsecum, sed etiam quoad intrinsecum esse omnipotentiæ. Vnde si solum pos-

set Pater Suarez, respondere Patri Vasquez vrgenti destructis creaturis possibilibus solum destrui omnipotentiam quoad extrinsecum, id est quoad solas creaturas possibiles, sine dubio concederet intentum Patris Vasquez probantis destructis creaturis possibilibus, nihil intrinsecum omnipotentiæ tolli, sed potius manere omnipotentiam quoad totum suum esse intrinsecum, quod docere non vult Pater Suarez, & tota ratio illius est, quia non potest intelligere hic auctor, quod destructo aliquo extrinseco, à quo dependet aliqua res quoad intrinsecum, non destruatur talis res dependens quoad intrinsecum esse: ergo si relatio per vos dependet vere, & realiter specificatur essentialiter ab extrinseco termino, & connectitur necessario cum illo quoad proprium esse intrinsecum destructo illo extrinseco termino, destruetur sine dubio relatio quoad intrinsecum esse relationis; imo si non destruetur, non dependebit, neque specificabitur, aut connectetur essentialiter cum termino, & absolute poterit relatio, vt relatio esse sine termino, quod minime conceditis, sed potius oppugnatis efficacissime, alias non esset relatio nec purus respectus, nec ratio ad formaliter.

98 Ergo sicut esset frivola responsio in vestra sententia, destructis creaturis possibilibus, destructis partibus vnitis termino producto per actionem sole conservante lucem, & diem, destrui omnipotentiam, vnionem, actionem, & lucem, non quoad intrinsecum, sed quoad extrinsecum, quia illa non quoad extrinsecum, sed potius quoad intrinsecum dependent ab illis extrinsecis destructis; ita similiter erit ridiculum respondere, ablato termino, aufertur relatio, quoad extrinsecum, & non quoad intrinsecum, & ratio quare hæc responsio esset inepta, est, quia dependet relatio, & specificatur essentialiter à termino, & connectitur necessario cum illo quoad intrinsecum esse relationis.

99 Dices, relationem desinere solum esse ablato termino quoad denominationem, & non quoad entitatem.

100 Sed contra manifeste, quia denominatio in ratione denominationis à parte rei realiter est ens reale; sed perit in ratione denominationis: ergo perit in ratione entis; sicut si homo v.g. perit in ratione hominis, perit etiam in ratione entis realis, quia à parte rei realiter in ratione hominis est ens reale: ergo si perit relatio quoad denominationem, vel denominatio realiter in ratione denominationis, peribit realiter in ratione entis, & non in ratione entis extrinseci; quia denominatio est omnino intrinseca realis: ergo aliquid reale perit intrinsecum in Petro, mortuo eius filio, quia perit denominatio, quæ est aliquid intrinsecum reale.

101 Confirmatur, denominatio in ratione denominationis, vel est idem realiter à parte rei, cum entitate reali Petri, vel non est idem realiter cum illa à parte? si non est idem realiter: ergo denominatio distinguitur realiter ab entitate reali Petri; si non distinguitur: ergo destructa denominatione, destruetur entitas Petri. Probatur consequentia, si non destrueretur entitas Petri, destructa denominatione de eodem subiecto verificarentur duo contradictoria: ergo &c. Probatur Antecedens: denominatio in ratione denominationis non existit realiter, & existit in ratione entitatis; sed denominatio, & entitas sunt idem realiter: ergo idem realiter existit, & non existit; sed existere, & non existere sunt duo contradictoria: ergo de eodem subiecto realiter verificantur duo contradictoria.

Confirmatur secundo, denominatio in ratione 102
denominationis non existit realiter, non existente termino, & existit realiter in ratione entitatis: ergo in ratione denominationis distinguitur realiter à ratione entitatis. Antecedens conceditur ab adversarijs, est enim illorum solutio: consequentia est manifesta; ea quæ separantur realiter, distinguuntur realiter; sed denominatio in ratione denominationis separatur realiter ab entitate in ratione entitatis, quia existit vnum sine alio: ergo distinguuntur realiter. Tunc sic argumentor, vel illa denominatio in ratione denominationis est tota relatio vt relatio est, vel aliquid illius essentiale intrinsecum; vel non pertinet ad illam intrinsece? si est tota relatio: ergo iam tota relatio distinguitur à fundamento, quia denominatio vt denominatio est, distinguitur à fundamento, quia denominatio, vt denominatio est, separatur à fundamento; & si non est tota relatio, sed aliquid illius intrinsecum, & essentiale: ergo relatio saltem inadæquate distinctione includentis ab incluso distinguetur realiter à suo fundamento, quod etiam negant adversarij, imo destruetur tota relatio, vt *subsectione superiori* probavimus, quia destructo vno constitutivo, destruitur realiter totum constitutum, vt destructa sola vnione, destruitur totus homo: ergo dicendum est vltimum.

Tunc sic: ergo impertinens est ad relationem 103
illa denominatio in ratione denominationis: ergo pereunte denominatione, manet tota entitas relationis, & essentia intrinseca illius, quatenus relatio est; sed relatio, vt relatio est purus respectus, & ratio ad: ergo ablata denominatione, & termino, datur purus respectus, & ratio ad: ergo datur relatio, vt relatio est sine termino, quod est absurdum.

Contra efficacius secundo, quia quando dicunt 104
adversarij, deficere relationem quoad denominationem, vel loquuntur de nomine, ita vt solum deficiat nomen relationis, vel loquuntur de obiecto talis nominis? si deficit obiectum: ergo entitas relationis deficit realiter, quia obiectum nominis relationis, v.g. paternitatis est ipsa entitas paternitatis, sicut si destruitur obiectum denominationis homo, destruitur necessario entitas hominis, & & ideo nullo modo potest destrui obiectum huius nominis Deus, quia tale obiectum est entitas Dei, quæ est omnino indestructibilis: nullum enim potest assignari obiectum nominis, nisi ipsa res significata per ipsum nomen, seu denominationem; vnde si destruitur obiectum denominationis paternitatis, destructo termino, destruetur ipsa entitas relationis, quæ significatur per tale nomen, ac proinde distinguetur talis relatio, quæ destruitur ab entitate Petri, quæ non destruitur, sed durat, adhuc destructo termino.

Si autem adversarij loquantur, quando dicunt 105
deficere relationem, quoad denominationem, non de obiecto talis denominationis, sed de solo nomine, & voce, per quam significamus relationem, ita vt pereunte termino, sola pereat ipsa vox: ergo sicut antea erat Petrus pater in re antecedenter ad vocem, & independenter ab illa, ita etiam postea vere erit pater, quantumvis à nobis non vocetur pater: sicut vere essent similia duo alba existentia, quantumvis non esset possibilis vllus intellectus,

tellectus, vel vlla vox, à qua dicerentur similia, & minimum destructo termino, & destructa voce, perseveraret sine dubio relatio, vt relatio à parte rei, ac proinde existeret relatio à parte rei sine termino, quod omnino negant adversarij: ergo.

106 Item, quia vbi est vere, & realiter essentia alicuius, possumus vere loqui de illa, præcipue cum non sit ineffabilis talis essentia, vt est essentia Dei, & potest denominari illa, seu potius sine dubio illi poterunt applicari nomina ad ipsam significandam inventa, vt sunt nomina, seu denominationes relationis paternitatis, similitudinis, &c. & sic frivolum est dicere, destrui tale nomen, non destructo obiecto; sed potius existente illo; quis enim vnquam dixit, non destructo homine, destrui nomen ipsius, seu vivente homine non posse nos de illo loqui: ergo si non est destructa entitas relationis, & formalitas illius, quæ est obiectum denominationis non erit destructa denominatio, seu nomen, & vox, per quam possumus loqui de tali obiecto existente, & non destructo, & dicere cum veritate, in Petro datur paternitas, & in pariete datur similitudo, & Petrus à paternitate est Pater, & paries à similitudine est similis: sicut si albedo non est destructa in pariete, non est destructum nomen, per quod possumus ipsam nominare, & de illa vt sic existente in pariete, & de concreto constituto per illam, & per parietem loqui dicendo; hic paries vere est albus ab albedine vere existente in illo: vnde si non possumus loqui cum veritate dicendo, hic paries est albus ab albedine, non est solum, quia deficit nomen: sed quia deficit albedo in pariete; sed destructo termino, non possumus dicere, Petrus est relatus: ergo ideo est hoc, quia non solum deficit nomen: sed quia deficit relatio in Petro quoad entitatem intrinsecam: ergo relatio distinguitur à Petro.

107 Vrgetur, quia destructo termino per vos, albus illud, quod antea denominabatur simile, non denominatur nunc simile: sed denominatio realis non potest desinere, nisi deficiente forma reali: sicut non potest de novo dari denominatio realis, sive extrinseca, sive intrinseca sine nova forma reali, sive intrinseca, sive extrinseca: ergo falsum est dicere, quod destructo termino solum destruatur denominatio, & ratio à priori evidens est, quia tales denominationes non sunt merè liberæ, & voluntariæ, nec ad libitum positæ, sed ideo sunt, quia obiectum illarum est à parte rei, & non è contra ideo est obiectum à parte rei, quia sunt tales denominationes; hoc enim esset, vt dici solet, Isteron, Proteron committere, & ideo si non datur tale obiectum, nullo modo potest dari talis denominatio, v. g. quia Spiritus Sanctus non constituitur paternitate, nec in se habet paternitatem, non potest vocari pater, & quia Christus vt homo non habet paternitatem respectu alicuius hominis, non est, nec vocatur pater naturalis alicuius hominis, &c.

108 Explicatur hoc amplius, quia hæc vox, actio, non significat effectum: sed productionem ipsius effectus, quæ respicit essentialiter, & connotat ipsum effectum, si per impossibile maneret productio sine effectu, adhuc illa diceretur actio: ergo denominatio realis non potest desinere, nisi desinente re, cuius est denominatio.

Secunda pars illius minoris est certa ex supra- 109
dictis de actibus liberis.

Eandem partem declaro amplius: non minus est de essentia denominationis intrinsecæ entitas intrinseca, quam de essentia denominationis realis entitas realis: ergo non minus repugnabit nova denominatio intrinseca sine nova entitate intrinseca, quam nova denominatio realis sine nova entitate reali; quia tam repugnat nova entitas intrinseca sine nova entitate intrinseca, quam nova entitas realis sine nova entitate reali; sed omnino implicat in creatura dari novam denominationem realem sine entitate reali de novo, sive extrinseca, sive intrinseca, ac proinde implicat quod ex vi alicuius formalitatis, aut entis rationis de novo detur de novo aliqua denominatio realis. Vnde per relationem paternitatis, quæ per rationem fingeretur de novo in Petro, non posset dici Petrus de novo vere, & realiter pater. Vnde si aliquis hæreticus fingeret quartam personam in Deo, non ideo posset dici vere, & realiter in Deo dari quaternitatem personarum: ergo omnino etiam implicat dari denominationem de novo realem intrinsecam sine entitate intrinseca de novo reali.

Exemplis hoc evidenter declaratur: non potest vllo modo voluntas hominis denominari de novo amans actu sine nova entitate de novo addita actu intrinsece realiter supra voluntatem, quia denominatio amantis actu est denominatio realis intrinseca actualis, & è contra non potest eadem voluntas, quæ nunc denominabatur actu intrinsece volens realiter, de novo denominari non volens intrinsece realiter, nisi per destructionem de novo entitatis realis intrinsecæ, & per additionem de novo negationis realis intrinsecæ, & idem est de denominatione lucidi in aëre, & denominatione tenebrosi intrinsece in eodem: ergo nullo modo potest desinere, aut advenire de novo aliqua denominatio intrinseca realis sine eo, quod desinat formalitas intrinseca à parte rei, quæ est obiectum talis denominationis, & est forma, vel quasi forma, quæ constituit intrinsece in esse talis realiter, ratione cuius resultat talis denominatio: ergo si posito de novo termino datur nova denominatio intrinseca paternitatis in Petro, & destructo termino, desinit de novo intrinseca denominatio paternitatis in ipso, sine dubio posito termino, ponitur intrinsece de novo relatio paternitatis, & destructo termino de novo destruitur realiter intrinseca entitas paternitatis.

Dices, hoc argumentum nihil probare; sicut, 110
v. g. si quis vellet demonstrare, ex eo quod homo formaliter dicit animam, & corpus non posse de novo existere hominem, nisi de novo existat anima, & corpus non recte argueret, sufficit enim si de novo existat vnio: ergo licet denominatio intrinseca dicat entitatem intrinsecam, non sequitur ex eo quod existat de novo denominatio intrinseca, debere de novo existere entitatem intrinsecam, quia sufficit existere de novo aliquam entitatem, licet non intrinsecam.

Sed contra primo, quia licet non valeat argumentatio ab existentia nova alicuius ad novam existentiam omnium partium, vt in exemplo de homine nuper ablato constat, valet tamen ad novam existentiam totius quatenus totum est, & illius qui solum dicitur homo, ac proinde obiecti talis denominationis, quatenus

obiectum

obiectum illius est,quod patet evidenter in tuo exemplo:nam denominatio, quæ de novo ponitur,v.g.quando ego dico,nunc est homo, non est denominatio corporis, & animæ sed potius denominatio totius hominis:& ideo licet non ponantur de novo corpus,& anima, debet de novo esse intrinsece totus homo,quatenus totus, quia totus homo quatenus totus est obiectum talis denominationis de novo resultantis, & non potest poni denominatio, quin ponatur obiectum, quatenus obiectum talis denominationis intrinsece:sed posito termino de novo ponitur de novo denominatio duplex,alia positionis termini quæ est extrinseca respectu fundamenti,alia intrinseca respectu fundamenti, scilicet denominatio patris,aut paternitatis:ergo de novo debēt poni duo extrinsecum nimirum respectu fundamenti, quod est ipse terminus, & intrinsecum respectu illius, scilicet paternitas,vel esse patris de novo, quod etiam ex tuo exemplo sic demonstro:licet de novo non ponatur corpus,nec ponatur animus in resurrectione v.g.mortuorum, nihilominus quia ponuntur duo de novo,quæ distinguuntur distinctione includentis ab incluso,vnio nimirum substantialis hominis, & totus homo resultans ex illa quatenus totus,necessario ponuntur duæ denominationes de novo intrinsece, alia vnionis, alia totius hominis, & econtra à posteriori evidenter colligimus, quando dantur duæ denominationes de novo veræ intrinsecæ,& reales,videlicet nunc est vnio,nunc est homo,dari intrinsece vtrumque obiectum talium denominationum de novo, hominem nimirum, & vnionem;quod etiam clarius patet;nam quando dantur de novo hæ duæ denominationes,nunc de novo est visum obiectum,nunc de novo videt potentiam,de novo debet dari,& visio extrinseca respectu obiecti,& visio intrinseca respectu potentiæ; nec sufficit, quod solum de novo detur extrinsecum obiectum ad hoc,vt resultet hæc denominatio,v.g.intellectus intelligit hoc obiectum, sed necesse est, vt ponatur obiectum extrinsecum, & cognitio intrinseca in intellectu;vnde profalsissimo ab omnibus habetur, quod possit de novo potentia denominari cognoscens intrinsece obiectum per positionem extrinsecam solius obiecti, aut alterius extrinseci:& ratio est manifesta propter mutuam connexionem inter denominationem, & obiectum,& propter limitationem creaturæ,quæ non potest transire de novo de vna denominatione ad aliam,nisi per additionem formæ,aut obiecti talis denominationis,sive intrinsecè, sive extrinsecè,eo modo, quo fuerit denominatio:quare si datur denominatio intrinseca de novo, debet dari de novo entitas intrinseca,& si datur duplex denominatio de novo, debet dari de novo obiectum vtriusque denominationis eo modo, quo fuerint tales denominationes:ergo si posito termino de novo,datur de novo duplex denominatio, alia positionis termini,alia relationis, quæ est intrinseca in fundamento: ergo dabitur necessario, & relatio de novo intrinsece in fundamento,& terminus extrinsecus quoad propriam entitatem.

111 Vrgeo;quia dum ponitur illa denominatio; v. g.homo, necessario ponitur de novo saltem aliquod intrinsecum constitutivum partiale hominis,vnio videlicet:ergo similiter,quando de novo ponitur denominatio paternitatis,debet dari saltem aliquod partiale intrinsecum constitutivum talis relationis,ac proinde tota relatio distinguetur à fundamento à parte rei, saltem distinctione includentis ab incluso, ratione illius additi intrinseci partialis, quod supra fundamentum ponitur de novo ad constituendam relationem, ac proinde relatio non erit idem adæquate cum fundamento.

Secundo contra: quia licet non valeat consequentia à nova existentia non definiti, ad definitionem,v. g. à nova existentia totius ad existentiam novam partium seorsim,valet tamen ab existentia nova definiti ad novam existentiam definitionis; quia à definitione ad definitum vbique valet consequentia;sed definitum, scilicet denominatio intrinseca existit de novo, vel perit de novo:ergo existit,vel perit de novo eius definitio quæ est entitas realis intrinseca. Deinde,quia entitas realis intrinseca non est pars denominationis intrinsecæ, sed formalissime est ipsa entitas intrinseca: ergo recte valet consequentia ab existentia nova vnius ad existentiam novam alterius:ergo implicat perire denominationem intrinsecam,manente tota entitate intrinseca, quæ est ipsa denominatio. Vnde dicendum sine dubio est pereunte denominatione, perire etiam ipsam entitatem formæ,quod sic. 112

Manifeste demonstro:quia si propter aliquam rationem destrueretur denominatio patris, destructo termino, maxime quia est denominatio relativa,& quia tota est ad terminum essentialiter; nam si non esset denominatio relativa, nisi absoluta,nullo modo periret pereunte termino,& ideo non perit denominatio substantiæ, hominis, & Petri, pereunte termino genito à Petro, quia tales denominationes sunt absolutæ,& non relativæ;sed ipsa entitas relationis est relativa essentialiter per sua prædicata essentialia,& ideo in abstracto dicitur relatio purus respectus, seu referri ad terminum:ergo à fortiori pereunte termino,debet perire talis entitas relationis, & si non destruitur,destructo termino, à fortiori non destruetur ipsa denominatio,quatenus distinguitur ab ipsa relatione; siquidem non est in ordine ad terminum per se,& propter se,ac proinde non est ipsa essentialiter relatio, sed solum vocatur relativa,quia est denominatio,seu nomen impositum ad significandam relationem. Vnde non est ita relativa essentialiter,vt est ipsa relatio,sed potius participat in hoc suum esse ab ipsa relatione, & ipsum esse relativum habet ab imponentibus tale nomen. 113

Vnde si illud,propter quod tale nomen est relativum non destruitur destructo termino, cum magis strictius, & essentialius dependeat à termino,& habeat suum esse ad illud quam nomen, aut denominatio multo minus destruetur illud nomen, quod non ita stricte, & rigorose, seu essentialiter dependet à termino, destructo illo. 114

Et è contra, si denominatio, quæ eorum esse dependentiam à termino habet propter relationem, destruitur,destructo termino ex vi solius talis dependentiæ participatæ à relatione, & propter relationem à fortiori,& magis, vt ita dicam destruetur relatio(quia magis dependet, magis essentialiter est relativa ad terminum, siquidem non participative formaliter, sed essentialiter à se,& ex vi propriæ essentiæ,quatenus est forma est relativa,seu relatio,& dependentia, seu purus respectus ad terminum) destructo termino: quia 115

propter

propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

116 Vnde minimum, aut vtrumque debet destrui, aut vtrumque non destrui; sed per te ablato termino, non perit aliquid intrinsecum, nec quod pertinet formaliter, etiam inadæquate ad rationem, & essentiam relationis paternitatis; ergo etiam ablato termino, manet denominatio paternitatis: ergo modo Petrus est pater actualis omnium filiorum possibilium, quod est absurdum, & contra tuam doctrinam: probo sequelam: quia modo Petrus habet in se formaliter, & intrinsece totum illud, per quod postea dicitur pater; ergo etiam modo debet ab illo dici pater.

117 Dices, modo habere id totum, per quod postea dicitur pater in esse entitatis, non vero in esse denominationis.

118 Sed contra hanc solutionem redeunt omnia argumenta super facta evidenter, & nunc sic eam labefacto probando, esse manifestam petitionem principij, quia ego probo eo ipso, quod habear Petrus totam entitatem paternitatis, debere denominari similem; tu vero respondes, non dicendum, quia licet habeat totam entitatem in esse paternitatis, non tamen denominatur, id est non dicitur similis: sunt enim synonyma, non tamen in esse denominationis, non tamen denominatur pater, non tamen dicitur pater: vide ergo quomodo respondeas, non dicitur pater, quia non denominatur pater, idem per idem.

119 Dices, ablato filio non potest dari nomen patris, quia nos non possumus cognoscere patrem, & relationem paternitatis nisi detur filius.

120 Sed contra, quia saltem respectu Dei non valet hæc distinctio: ergo solutio est nulla: probatur antecedens, Deus est infinitus ratione cognoscentis: ergo vel cognoscit Petrum, vt patrem quantum ad essentiam totalem paternitatis, antequam generet filium, vel non cognoscit? si non cognoscit: ergo non est pater, nec paternitas quantum ad intrinsecam, & totalem essentiam paternitatis: ergo non datur paternitas: ergo neque relatio: ergo mortuo filio v. g. non solum destruitur nomen patris; sed etiam res significata per nomen.

121 Si cognoscit, mortuo filio esse vere, & actualiter Petrum patrem, vere erit pater, ex eo enim quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: ergo sine termino est relatio actualis prædicamentalis, quod est absurdum, & contra vestram sententiam.

122 Vltimo probo falsam esse hanc solutionem, quia ex vi illius destruuntur omnes modi distincti à rebus: nam si probemus, quod vnio distinguitur à partibus, quia separatur ab illis, potest responderi, quod separatur quantum ad denominationem, non vero quantum ad entitatem intrinsecam, & eodem modo potest negari distinctio actionis, & distinctio cuiuslibet entitatis modalis. Imo aliquis hac solutione posset defendere, intellectionem actualem, quæ relatio transcendentalis est ad obiectum, non distinguiab ipso intellectu, quia si probaremus, intellectionem separari ab intellectu, posset dici separari quoad denominationem, non quoad formalitatem intellectionis: sed hanc solutionem irriderent in hoc, & in illis casibus: ergo irridenda est in casu relationis, quia non datur maior ratio vnius, quam alterius.

Alij respondent, ablato termino, desinere relationem quoad respicere, & quoad habitudinem, seu quoad referri ad terminum. 123

Sed contra primo: ergo in tua sententia deficit tota relatio, quia tota essentia, & existentia relationis per te consistit in actu respicere, & actu referre, quod his verbis asserit P. Suarez 2. *tom. metaph. disp.* 47. *num.* 9. vltimo vero objici potest, quia si relatio in abstracto consideretur, vt est forma quædam referens subiectum, vel fundamentum ad terminum, sic non est de ratione eius, vt actu referat, sed vt sit apta referre. 124

Respondetur, falsum esse antecedens; nam res non constituitur apta referri per relationem vt sic; sed per fundamentum proximum relationis: proprius autem effectus formalis relationis est actu referre, alias nec distingueretur etiam secundum rationem formalem à fundamento, nec requireret coëxistentiam termini, nec vere diceretur totum esse eius positum esse in respectu, seu respicere ad aliud, & paulo post sic ait: nunquam potest esse actu relatio, quin actu referat ad aliud. Vnde impossibile est concipere relationem, quin concipiatur actu referens: sic formalissime P. Suarez *a num.* 9. *vsque ad* 13. vbi diluens, aut explodens solutionem adversariorum dicentium, essentiam relationis esse totam, non in actu respicere, sed in aptitudine ad respiciendum, respondet absolute, & probat efficaciter relationem prædicamentalem non esse posse referre, seu respicere; sed actu ordinari, actu respicere, & actu referre, sed per te destructo termino, destruitur habitudo, actu respicere, actu referri, & ordinari ad terminum, quæ est tota essentia relationis; ergo destructo termino, destruitur tota entitas relationis. 125

Contra secundo, quia illud respicere, quod deficit in relatione, pereunte termino, & per quod completur relatio, vel est terminus solus, vel est entitas fundamenti solum, vel aliquid, quod nec sit terminus, nec fundamentum à parte rei; sed medium inter vtrumque, per te non est terminus solus, alias incideres in sententiam Durandi, & incideres etiam in solutionem iam late refutatam supra, videlicet, pereunte termino, perit relatio quoad extrinsecum, &c. Vnde refutandus esses omnibus argumentis, quibus illa solutio in principio huius subsectionis refutata, & labefactata manet. 126

Neque respicere est entitas fundamenti solum, scilicet substantia Petri, qui respicit filium per tale respicere, quia pereunte termino, tota entitas fundamenti manet, & non manet illud respicere per vos; ergo illud respicere, quod deficit, est aliquid distinctum à fundamento, & termino; sed in eo respicere consistit formalitas relationis; cum per hoc adæquate fundamentum referatur ad terminum, & sine hoc licet detur tota entitas fundamenti non refertur adæquate ad illud; ergo formalitas relationis, vel adæquate, vel minimum inadæquate distinguitur à parte rei à suo fundamento. 127

Contra tertio, quia ablato respicere, seu ablata habitudine ad terminum ex fundamento, nihil est in fundamento, quod possit esse relatio; ergo ablato respicere, & ablata habitudine, auferetur tota relatio. Antecedens sic patet, quia tota essentia relationis in hoc consistit, quod sit ordo ad terminum, respectus ad illum, & quod habeat totum suum esse ad illum; sed ablato res- 128

picere, & ablata habitudine nihil est in fundamento; quod sit ordo ad terminum, & quod habeat suum esse ad terminum: ergo ablato respicere, &c. Minor hæc sic patet, quia illud, quod remanet in fundamento ablato termino, non est in ordine ad terminum, nec habet totum suum esse ad illum; imo est, & vere concipitur, & conservatur sine termino, & sic non dependet ab illo; sed ordo ad terminum, vel ens, quod totum suum esse habet ad terminum, non potest vllo modo dari sine termino: ergo ablato respicere, & ablata habitudine, nihil est in fundamento; quod sit ordo ad terminum, &c.

129 Declaratur; quia nihil aliud est relatio, nisi respectus purus ad terminum: atqui respectus purus ad terminum est pure respicere terminum, synonyma enim sunt hæc duo, & sic idem formalissime, quod significamus per nomen puri respectus, significamus per infinitivum verbi *respicio*, vt *respicere* videlicet: ergo si ablato termino, auferetur pure respicere, auferetur etiam purus respectus, ac proinde auferetur sine dubio relatio prædicamentalis ad terminum.

130 Dices, deficiente termino, non deficere relationem quoad entitatem, quia relatio non solum est entitas fundamenti quomodocunque, sed entitas fundamenti posito termino, vel existente illo.

131 Contra manifeste, quia vel τὸ *existente termino* intrat entitatem relationis complendo, & componendo ipsam, vel non intrat? si primum: ergo relatio non est solum fundamentum, vel aliquid intrinsecum in fundamento, sed etiam terminus existens, itavt relatio formaliter coalescat ex entitate fundamenti, & ex entitate termini, & sit relatio formalissime terminus, & fundamentum simul, quod est incidere in sententiam Durandi, quæ aperte adversatur sententiæ Patris Suarez, vt patet ex supradictis; nam dicere relationem esse fundamentum, existente termino formaliter, nihil aliud est, quam dicere relationem esse coëxistentiam duorum vel duas entitates coëxistentes; atqui huiusmodi constitutio relationis non admittitur ab adversarijs, quibuscum pugnamus, sed potius est impertinens ad eorum sententiam: ergo non est dicendum primum, scilicet ly *existente termino*, intrare constitutionem formalem relationis; si secundum.

132 Ergo tota entitas relationis solum sita est in entitate fundamenti: sed entitas fundamenti non est fundamentum existente termino: ergo relatio non est entitas fundamenti existente termino, supposito, quod intrinsece entitas relationis non est, nisi entitas fundamenti.

133 Deinde, quia si ly *existente termino* non componit relationem, sed se habet extra relationem, interrogo, an relatio quæ solum se habet ex parte fundamenti dependeat à termino existente, vel non dependeat necessario, & essentialiter, sed possit esse necessario, aut non necessario conservari, aut concipi sine termino: si hoc secundum dicas, minime pertinebit terminus existens ad relationem, ac proinde non erit bona definitio relationis, est entitas fundamenti existente termino, quia id, quod non pertinet vllo modo ad essentiam alicuius, minime debet poni, neque in recto, neque in obliquo in definitione essentiali illius; sed ad essentiam paternitatis, v. g. vel cuiuscunque relationis nullo modo pertinet, ac proinde est impertinens terminus existens: ergo nullo modo debet poni in definitione essentiali relationis, dicendo in obliquo, relatio est entitas fundamenti existente termino, qui est casus obliquus ablativus scilicet.

Item, quia definitio essentialis solum admittit 134
ea, quæ essentialia sunt respectu definiti sive extrinsece, sive intrinsece, itavt quæ ponuntur in recto pertineant ad essentiam definiti constituendo formaliter, & intrinsece ipsum, tanquam constitutivum, aut completivum essentiæ illius formaliter. Ea autem, quæ in obliquo ponuntur in definitione alicuius, sunt extrinsece essentialia respectu definiti; vocantur extrinsece essentialia, quia non componunt, constituunt, aut complent formaliter essentiam definiti, sed ita sunt necessaria ad essentiam definiti, vt tale definitum nullo modo, etiam divinitus possit esse, aut conservari sine eo, quod extrinsece essentiale dicitur; quia definitum essentialiter dependet, & specificatur à tali extrinsece essentiali: v. g. hæc est essentialis definitio animæ; est actus corporis physici, &c. sive est actus transcendentaliter, & essentialiter ordinatus ad informandum corpus; vbi prædicata illa actus ordinatus ponuntur in recto in definitione formæ, quia constituunt, & complent formaliter intrinsece essentiam illius: illa autem, corporis physici, &c. seu ad informandum corpus, ponuntur solum in obliquo, quia non constituunt, & componunt intrinsece formam, sed sunt essentialia extrinsece respectu illius, quia specificant ordinem essentialem illius, sine quibus nullo modo potest intelligi, aut esse essentia formæ, & idem est de definitione vnionis substantialis, quæ sic se habet, est vinculum substantiale duarum partium substantialium; vbi partes substantiales ponuntur in obliquo, quia non constituunt formaliter ipsam vnionem sed sunt ita necessaria ad esse conservari, & concipi perfectè vnionis, vt nullo modo possit existere vnio substantialis, quin actu existant partes substantiales, vnitæ, quod etiam contingit in termino producto respectu actionis.

Tunc sic per vos hæc est definitio essentialis 135
relationis; est entitas fundamenti existente termino, vbi duo reperiuntur, aliud in recto, aliud in obliquo, entitas fundamenti in recto, idest nominandi casu: ergo entitas fundamenti solum formaliter constituit ipsam relationem, seu est formalissime ipsa relatio: terminus existens ponitur in obliquo, idest in auferendi casu, ergo non pertinet ad constitutionem formalem intrinsecam relationis, quia si sic pertineret, in recto deberet poni: ergo tota essentia relationis intrinsece, & formaliter salvatur sine termino existente, concedis.

Nunc interrogo, an saltem terminus existens 136
pertineat ad relationem extrinsece essentialiter, vel non eo modo, quo iam explicuimus exemplis partium substantialium respectu vnionis; termini producti respectu actionis; quod etiam explicatur exemplo obiecti intelligibilis respectu intellectus, obiecti visibilis respectu visus, quæ ita necessario requiruntur, vt si nullum esset intelligibile, & visibile eo modo quo terminant relationem transcendentalem visus, & intellectionis, nullo modo darentur adhuc divinitus intellectio, & visio) si non pertinet extrinsece essentialiter: ergo neque in recto, neque in obliquo debet poni terminus existens in definitione relationis; vnde mala erit illa definitio: relatio est entitas

funda

fundamenti existente termino. Deinde evidenter colligitur, posse dari relationem sine termino existente, quia bene potest dari res sine eo, quod nullo modo pertinet ad ipsam essentialiter, aut intrinsece aut extrinsece, saltem divinitus vel saltem conceptibiliter; sed vos negatis adhuc divinitus posse existere relationem prædicamentalem, aut concipi sine termino actuali: ergo quod antea affirmabatis, nunc negatis.

137 Si autem pertineat essentialiter saltem extrinsece terminus existens ad relationem: ergo relatio dependet essentialiter à termino existente, sicut vnio dependet à partibus, & actio à termino producto, &c. ergo destructo termino nullo modo potest existere relatio, sed necessario debet perire statim, ita vt non existente termino realiter, non existat relatio vllo modo; sicut non existente termino producto, nullo modo existit actio, quæ producit illum; sed adhuc non existente termino existit entitas fundamenti, substantia nimirum Petri, quantitas, & qualitas illius: ergo relatio à parte rei non est entitas fundamenti, posito termino, sed potius erit entitas puri respectus seu ordo ad terminum distinctus ex natura rei ab entitate fundamenti.

138 Dices, poni in definitione illam particulam existente termino, quia licet terminus existens non sit essentialis extrinsece respectu relationis, est tamen conditio necessaria essentialis ad relationem, eo modo quo intellectio est conditio necessaria essentialis ad amorem actualiter existendum. Vnde si saltem non esset conditio essentialis ad relationem, nullo modo poneretur in definitione relationis.

139 Sed contra primo, quia nulla conditio ponitur in definitione essentiali definiti, vt videre est in definitione amoris, vbi non ponitur intellectio, sed solum id, quod aut essentialiter intrinsece, aut essentialiter extrinsece pertinet ad relationem, vt videre est in hac definitione; amor est actus vitalis, quo voluntas prosequitur, & amat obiectum amabile. Item in sententia probabiliori, approximatio agentis ad passum est conditio essentialis ad productionem, vt late demonstro *libris de generat*, & in nullius sententia ingreditur definitionem essentialem productionis: ergo si terminus existens solum est conditio ad relationem, nullo modo debet poni adhuc in obliquo in definitione illius.

140 Secundo contra, & magis ad nostrum intentum: per vos terminus existens est conditio essentialis, & necessaria ad existentiam, & conservationem relationis; sed nullo modo potest existere res adhuc divinitus sine conditione essentialiter necessaria, & sic per vos nullo modo potest existere adhuc divinitus amor actualis sine intellectione actuali, & in mea sententia productio sine approximatione agentis ad passum: ergo nullo modo potest existere adhuc divinitus relatio, entitas, & formalitas relationis de facto sine termino existente; sed necessarium est, vt pereat relatio pereunte termino; sed entitas fundamenti existit sine termino, & non perit, pereunte termino: ergo à parte rei entitas fundamenti non est relatio, sed potius distinguetur à parte rei à relatione: quia quando vnum existit à parte rei non existente alio, separantur à parte rei, & distinguuntur; sed non existente termino, non existit à parte rei relatio, & existit entitas fundamenti à parte rei: ergo separantur, & distinguuntur à parte rei entitas fundamenti, & relatio, & illa non est hæc à parte rei.

SECTIO IV.

Tertia, quarta, quinta, & sexta ratio ponuntur pro nostra conclusione.

TErtio principaliter sic argumentor: Illud, quod supponit à parte rei substantiam iam constitutam in suo esse adæquate distinguitur à parte rei ab illa: sed paternitas, v. g. supponit substantiam Petri à parte rei iam adæquate constitutam in suo esse: ergo à parte rei paternitas distinguitur à substantia Petri, & idem est de relatione identitatis inter substantiam Petri, & Pauli. 141

Maior sic probatur. Ideo intellectio distinguitur à parte rei à substantia hominis, Petri videlicet, & à substantia animæ rationalis Petri, quia intellectio supponit à parte rei substantiam Petri adæquate constitutam. Item omne accidens, quod vere, & realiter est tale, physice, & non solum prædicamentaliter, distinguitur à parte rei ab ipsa substantia, quia accedit ad substantiam à parte rei iam constitutam adæquate in suo esse (ab accedendo enim realiter entitati constitutæ dicitur realiter accidens) ac proinde supponit à parte rei substantiam, cui accedit in suo esse substantiali constitutam, & ratio est manifesta: quia id, quod supponit aliud iam constitutum, ante existentiam, & adventum suum est posterius à parte rei illo, quod supponit constitutum, & sic intellectio est posterior à parte rei ipsa substantia animæ, & substantia est prior realiter accidentibus, quæ sunt posteriora realiter substantia, quia supponunt substantiam à parte rei; sed prius, & posterius distinguuntur à parte rei, quia prius refertur ad posterius, & posterius ad prius, itavt prius sit terminus relationis posterioris, & posterius terminus relationis prioris; sed relativum distinguitur à parte rei à termino: ergo posterius à priori, & id quod supponitur ab eo, quod illud supponit.

Minor præcipua, in qua est difficultas, sic probatur. Illud supponit entitatem alicuius constitutam, quod advenit illi iam præexistenti; sed relatio paternitatis advenit Petro iam præexistenti, si quidem advenit Petro ex vi productionis filij, ita vt aut simul adveniat Petro, quando producit filium, aut posterius filio adveniat ipsi; sed ante productionem Filij, & ante adventum illius existit Petrus, quia causa semper existit ante effectum, saltem prioritate naturæ: ergo Petrus existit ante adventum relationis, ac proinde præexistit adventui illius, quod idem est, ac advenire Petro iam præexistenti: ergo relatio supponit Petrum iam constitutum in suo esse substantiali. Illa minor est manifesta ex supradictis *sectione superiori*, nam relatio dependet omnino à termino, & sic nullo modo potest dari sine termino: nam si posset dari sine illo, non relatio, sed absolutum esset: ergo non est relatio in Petro paternitatis, nec advenit illi, nisi per adventum Filij producti à Petro, & donec Petrus existat. Itaque ad hoc vt Petrus sit pater, debet producere filium, quia productio est ratio essentialis fundandi relationem, sine qua nullo modo relatio secundi generis potest dari, vt patet ex dictis supra; sed antequam 143

producat

producat illum, debet supponi constitutus in suo esse substantiali; cum vnumquodque prius sit in ordine ad se, quam ad aliud, & prius est in se, quam se alteri communicet per actionem, & sic priusquam Petrus producat Filium, debet habere essentiam, existentiam, & suppositalitatem, quia actiones sunt suppositorum, id est oriuntur à suppositis vt talibus; sed ante suppositalitatem debet esse Petrus essentialiter, & existentialiter adæquate completus in esse naturæ, quia suppositalitas est terminus naturæ completæ substantialis, ac proinde advenit Petro completo in esse naturæ: ergo de primo ad vltimum antequam Petrus sit pater, debet esse necessario constitutus in esse substantiali adæquate; nam antequam producat debet esse constitutus adæquate vsque ad suppositalitatem, & antequam sit pater, debet producere, & ideo est vera hæc causalis, ideo est pater, quia produxit filium; è contra vero hæc est falsa, ideo producit filium, quia est pater: ergo si Petrus est complete constitutus ante productionem filij, & ante producit quam sit pater, aliqua saltem prioritate naturæ: ergo necessario dicendum est antequam sit pater, esse constitutum adæquate in esse substantiali.

144 Secundo probatur illa minor præcipua. Illud supponit entitatem alicuius constitutam quod convenit illi, & non constituit ipsum in suo esse primario; sed paternitas convenit Petro, & non constituit substantiam Petri in esse hominis, aut Petri, quod est esse primarium illius; alias Petrus, qui non habet filium, & non est pater, nec esset homo, nec Petrus quod est absurdum: ergo paternitas supponit substantiam Petri adæquate constitutam in suo esse substantiali. Maior est certa, minor sic probatur; quia substantia adæquata Petri, & habet constitutiva physica substantialia adæquate, quæ sunt hæc materia, hæc forma, & hæc vnio existentes; sed paternitas nec est materia, nec forma, nec vnio substantialis Petri: ergo physice non constituit Petrum.

145 Et habet constitutiva metaphysica adæquate, videlicet prædicata essentialia, vt animal, homo, &c. sed paternitas non est prædicatum essentiale Petri, alias Petrus pater distingueretur essentialiter à Paulo non patre; cum in Petro detur prædicatum essentiale, quod non datur in Paulo, aut est individuatio Petri, & hoc non quia paternitas in Petro supponit iam individuum Petrum, quia vt sit pater, debet esse substantia individua, ex eo quod vt sit pater, debet producere, & vt producat, debet esse individuum. Item individuatio contrahit hominem: sed paternitas non contrahit illum: ergo paternitas non est individuatio Petri. Præterea, quia Petrus semper est individuus; atqui Petrus aliquando est pater, aliquando non est pater, quia aliquando habet filium, aliquando non, & forte nunquam est pater, quia nunquam habet filium: ergo non est idem in Petro esse patrem, ac esse individuum, nec individuatio est paternitas.

146 Vrgetur evidentius: quia in hoc distinguitur pater æternus à creatis patribus, quod de substantia patris æterni est sua paternitas, & constituitur, ac distinguitur substantialiter per illam à filio, seu Verbo divino, pater autem creatus non constituitur per paternitatem creatam in suo esse substantiali, & personali; ex alio capite pater æternus non potest intelligi in suo esse personali, ac substantiali adæquate, & complete constitutus sine paternitate, nec distinctus substantialiter ab alia persona sine illa, quia paternitas divina est personalitas, ac suppositalitas patris æterni; hoc discrimen tribuunt aparte D. Augustinus *lib. 2. de Trinit. cap. 3.* D. Ambrosius *lib. 1. de fide ad Græs. cap. 2.* D. Fulgent. *lib. 1. de fide ad Petrum.* D. Athan. & Concilium Tolet. XI. cum multis alijs Concilijs, & communiter admittitur à Theologis: ergo paternitas supponit constitutam adæquate, & complete substantiam Petri in suo esse substantiali, ita vt distinguatur persona Petri à qualibet persona humana sine paternitate, quia paternitas creata non est ita perfecta, sicut paternitas Divina, vt possit esse, aut de essentia, aut de substantia Petri, qui denominatur pater: ergo paternitas, aut identitas advenit Petro à parte rei præexistenti, & antea constituto: ergo accedit à parte rei entitati substantiali Petri complete, & adæquate constitutæ: ergo non est substantia Petri, sed vere, & proprie accidens à parte rei: ergo distinguitur à substantia illius.

Quod amplius sic demonstro: à parte rei dependet essentialiter, & specificatur, seu connectitur necessario cum termino genito paternitas Petri: sed substantia Petri non dependet à parte rei, nec specificatur, nec connectitur necessario cum termino genito: ergo substantia Petri, & paternitas illius non sunt idem, sed potius distinguuntur à parte rei: hæc consequentia sic demonstratur. Ideo evidenter colligimus vnionem animæ rationalis ad corpus non esse idem cum animo rationali, sed distingui ex natura rei ab illo, quia vnio dependet à corpore à parte rei, & animus rationalis non dependet; vnio educitur à parte rei ex materia prima, & animus rationalis non educitur; sed relatio paternitatis, quæ est in Petro dependet à parte rei à filio genito à Petro, & connectitur necessario cum illo, & substantia Petri non dependet ab illo, nec connectitur necessario cum illo: ergo sicut vnio distinguitur ex natura rei ab animo rationali propter illam dependentiam, quam non habet animus, ita relatio paternitatis ad filium distinguetur ex natura rei à substantia Petri propter dependentiam, quam à parte rei habet relatio, quam non habet à parte rei substantia Petri à filio, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; impossibile enim est, quod idem sit, & non sit simul: ergo impossibile est quod idem sit dependens, & non dependens simul respectu eiusdem termini: ergo si relatio dependet, & Petrus non dependet à filio, Petrus & relatio paternitatis non erunt idem à parte rei. 147

SVBSECTIO I.

In qua quarto probatur nostra conclusio.

PRobo nunc, relationem esse denominationem extrinsecam suppositis respondionibus adversariorum; quod est maximum inconveniens in sententia Patris Suarez, ac proinde illud reiicit acerrime. 148

Illa est denominatio extrinseca omnino, quæ advenit de novo subiecto sine aliqua intrinseca formalitate, quæ de novo advenit respectu denominati à parte rei per solam positionem extrinseci; sed denominatio, v.g. Patris advenit de novo Petro sine aliqua ratione intrinseca de novo realiter illi adveniente per solam positionem extrinseci 149

trinseci termini, filij nimirum: ergo paternitas est denominatio extrinseca in Petro. Maior est evidens, nam ideo esse visum in obiecto, esse amatum & intellectum actu sunt denominationes extrinsecæ, & idem est de esse dextro, quia adveniunt de novo obiecto sine aliquo intrinseco de novo illi adveniente per solam positionem visionis, intellectionis, &c. quæ extrinseca sunt respectu obiecti: ergo illa est denominatio extrinseca, &c. minor prima est ipsa sententia adversariorum; nam ex eo solum quod producatur filius, vel producatur in mundo aliquod album de novo, sine eo quod Deus aliquid ponat intrinsecum in Patre, & in albo, antea existenti ille dicitur pater, & hoc dicitur simile: ergo sine aliqua additione intrinseca de novo in fundamento per solam positionem extrinseci denominatur fundamentum simile, & pater; in quo non est multum laborandum, cum ipsi adversarij id concedant, alias si aliquid de novo intrinsecum adderetur, posito de novo termino, ratione cuius denominaretur Petrus pater, esset sine dubio illud intrinsece additum ex natura rei distinctum ab ipso fundamento; siquidem antea erat fundamentum sine hoc addito: atqui illud additum esset obiectum talis denominationis, & ratio formalis propter quam tale fundamentum vocatur pater, aut simile: ergo sicut ipsa denominatio est relativa, & in ordine ad terminum, talis formalitas addita intrinsece de novo erit relativa formaliter, seu ipsa relatio, quia sicut est denominatio est ratio formalis denominandi: ergo relatio distingueretur à parte rei à fundamento.

150 Et si dicas, illam esse denominationem extrinsecam quæ solum sumitur ab extrinseca forma: cum autem denominatio relationis non sumatur à termino extrinseco tanquam à forma: sed ab ipsa entitate fundamenti, quæ intrinseca est, existendo solum terminus tanquam conditio denominationis, inde est quod denominatio relativi non sit denominatio extrinseca.

151 Contra, quia denominatio relationis est in genere causæ formalis, ac proinde debet esse à forma: sed fundamentum non est forma relationis cum potius sit materia, & subiectum illius, imo ipsum fundamentum denominatur pater formaliter à relatione paternitatis: ergo ab alia forma oritur hæc denominatio; sed non est alia, nisi terminus; ergo terminus est ratio formalis, extrinseca denominandi fundamentum relatum: ergo est denominatio extrinseca.

152 Confirmatur, quia nullum constitutum formaliter specificatur, & habet totum suum esse essentiale à conditione; sed relativum vt relativum, v. g. pater vt pater specificatur à termino, & habet totum suum esse specificative ab illo: ergo terminus non est conditio respectu patris, quatenus pater est formaliter: sed ratio formalis extrinseca, quia specificativum essentiale est formale extrinsecum respectu specificati vt obiectum respectu scientiæ, & potentiæ, res producta respectu actionis, &c. cum obiecta, & res producta specificent essentialiter actionem, & potentiam; quod autem conditio non specificet, patet, quia conditio non est ratio formalis: sed potius distinguitur ab illa: ergo conditio non specificat, vt videre est in intellectione respectu amoris, & in approximatione respectu productionis, quæ quia sunt conditiones, non specificant, alias ponerentur in definitione essentiali amoris, & productionis, quia omne specificativum ponitur in definitione, vt videre est in obiectis potentiarum, & actuum, quæ quia specificant, & sunt formalia respectu potentiarum, ponuntur in definitione illarum: sed denominatio relationis specificatur formaliter à termino: ergo terminus est formale, seu forma extrinseca respectu illius, à qua sumitur talis denominatio: ergo terminus non est conditio, ac proinde denominatio relationis erit omnino extrinseca.

Præterea, quia posito termino, resultat deno- 153
minatio relationis ex communi axiomate recepto ab omni schola: ergo relatio, & terminus habent connexionem causæ, & effectus: quia connexio illa relationis cum termino est per dependentiam à termino; dependentia enim dicit causalitatem: ergo denominatio relationis est à termino tanquam à causa; atqui terminus non est causa efficiens talis denominationis relativæ, quia terminus vt terminus nihil efficit in fundamento, vt de se pater, nec materialis, aut subiectiva; quia hoc genus causæ exercet entitas fundamenti, relatio enim paternitatis non est in termino genito, sed potius in fundamento generante: ergo est à termino tanquam à causa formali, non intrinseca, vt patet, sed extrinseca: ergo talis denominatio relationis est à causa formali extrinseca, ac proinde erit extrinseca, vt videre est in viso, dextero, &c.

Nec in tua sententia valet dicere, quod omnis 154
denominatio extrinseca, quæ sumitur ab aliqua forma, debet esse eiusdem rationis cum forma: non enim hoc valet dicere: quia tu ais, servum denominari à Domino extrinsece, & maritum ab vxore, & nihilominus sunt distinctæ denominationes extrinsecæ, aut diversæ rationis à formis extrinsecis, à quibus sumuntur tales denominationes. Deinde, quia sola entitas fundamenti non potest esse forma talis denominationis relationis, quia entitas fundamenti est absoluta, & minime est in ordine ad terminum, & conservatur independenter ab illo; atqui denominatio relationis est tota propter terminum, & cum dependentia ab illo, itavt nullo modo possit esse sine termino: ergo hæc denominatio non sumitur ab entitate fundamenti quatenus absoluta est: & ex alio capite non est aliud distinctum ab entitate fundamenti absoluta, à quo sumatur: ergo debet sumi totaliter à termino; sed terminus est omnino extrinsecus respectu fundamenti in quo est talis denominatio: ergo talis denominatio est omnino extrinseca in fundamento.

Dices, talem denominationem non sumi tan- 155
quam à forma à termino, sed potius à fundamento, quatenus est in ordine ad terminum.

Sed contra manifeste, quia illud in ordine ad 156
terminum, quod ponitis in fundamento, aut est distinctum ab ipso fundamento, aut non? si non est distinctum: ergo est ipsa entitas fundamenti; sed ipsa entitas fundamenti de se non est in ordine ad terminum, sed potius absoluta, & omnino independens à termino: ergo talis denominatio, quæ omnino dependet à termino, non est à quo sumatur in fundamento; quod etiam vrgent argumenta *superiori sectione* posita: nam idem fundamentum antequam poneretur terminus non erat in ordine ad terminum, ac proinde non poterat tunc talis denominatio sumi ab entitate fundamenti: ergo per solam positionem extrinsecam termini non potest fundamentum in-

trinsece esse in ordine ad terminum ex vi propriæ solius entitatis, alias eadem entitas creata posset transire de termino contradictorio intrinseco in terminum contradictorium intrinsecum, sine additione intrinseca per solam positionem extrinseci: aliàs natura substantialis posset transire de non subsistente intrinsece in subsistentem intrinsece, & econtra sine additione intrinseca aut diminutione, quod est absurdum inauditum, nec potest dici quod in absolutis non potest, bene autem in relativis: non enim hoc potest dici, quia est petitio principij manifesta, & præterea illud principium est vniversalissimum, & fundatur immediate in limitatione creaturæ, vt supra probavimus, quæ eadem est respectu omnium contradictoriarum, sive sint absolutæ, sive respectivæ, quia ad hoc negotium impertinens est discrimen vtriusque. Tandem, quia idem intellectus non potest transire de intelligente actu in non intelligentem actu, aut econtra sine additione distinctæ entitatis à parte rei ab intellectu, aut diminutione reali; atqui intelligere actu est relatio transcendentalis, aut denominatio relativa transcendentalis, & nihilominus non potest de novo advenire intellectui per solam positionem alicuius extrinseci, sive sit obiectum sive quodcumque aliud: ergo adhuc in relativis tenet principium: ergo eadem entitas fundamenti non est de se illud, in ordine ad terminum, quod ponitis, vt sumatur denominatio relativa: ergo illud, in ordine (ne denominatio illa sumatur à termino totaliter, ac proinde sit omnino extrinseca) debet esse distinctum à parte rei ab ipsa entitate fundamenti; sed illud in ordine est relatio: ergo relatio distinguitur, &c.

SVBSECTIO II.

In qua reliqua argumenta ponuntur.

157 QVinto: quando duo sunt idem à parte rei, implicat quod in re ipsa vnum augeatur, & alterum minuatur; sed similitudo vnius albi cum altero potest minui, & albedo, quæ est fundamentum, augeri: ergo similitudo, & albedo non sunt idem à parte rei: Maior ex terminis patet; Minor probatur, quia inter duo alba habentia eandem intensionem in albedine vt quatuor v. g. potest augeri albedo vnius, si intendatur vsque ad sex gradus, immutata manente albedine alterius, & perseverante vt quatuor, & tunc certe minuitur similitudo, cum hæc duo alba non sint tam similia, sicut antea: ergo relatio similitudinis minuitur, & augetur fundamentum, quod est albedo: ergo non sunt idem sed distincta à parte rei.

158 Sexto, quæcunque opposita, quæ possunt fundari successive in eodem, illo semper permanente eodem distinguuntur à parte rei ab illo, in quo fundantur; sed similitudo, & dissimilitudo sunt oppositæ, & possunt fundari in eadem albedine, semper eadem permanente illa: igitur similitudo, & dissimilitudo differunt à parte rei ab ipsa albedine. Maior videtur certa, nam quia albedo, & nigredo, frigiditas, & calor sunt oppositæ, fundanturque in eadem substantia, semper illa eadem permanente, distinguuntur à substantia, aut à quantitate, in qua immediate fundantur, & idem est de odio, & amore respectu voluntatis, & de vitio, & virtute, errore, & scientia respectu intellectus, & sic de omnibus oppositis respectu eiusdem fundamenti: ergo quæcumque opposita, &c.

Minor quoad oppositionem est evidens. Nam illa sunt opposita, quæ repugnant in eodem respectu eiusdem, & minime compatiuntur in ipso, ac proinde se expellunt ab eodem à parte rei, vt videre est in definitione oppositorum, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed idem Petrus respectu eiusdem Pauli non potest simul esse pater, & filius, similis & dissimilis ratione paternitatis, & filiationis, similitudinis & dissimilitudinis; ergo hæ relationes, quæ indubitanter sub eodem genere relationis maxime distant, ab eodem subiecto respectu eiusdem mutuo se expellunt: ergo sunt oppositæ à parte rei. 159

Dices, non posse eandem substantiam successive respectu eiusdem habere relationem paternitatis, & filiationis. 160

Sed contra, quia idem Petrus, qui genuit Paulum, ac proinde est pater Pauli, potuit non generare Paulum: sed potius generari ab ipso, imo si moriatur Petrus, potest Paulus, vt instrumentum Dei reproducere Petrum, ac proinde esse causa illius: vnde idem Petrus diuisim potest fundare relationem patris, & filij, causæ, & effectus respectu eiusdem Pauli, manente eadem entitate, aut vt melius, & clarius loquar per eandem substantiam: ergo. 161

SECTIO V.

Secunda nostra conclusio ponitur, & probatur.

SEcunda conclusio: relatio prædicamentalis non est denominatio extrinseca pura: hæc est communis sententia Doctorum, probatur. 162

Primo, quia relatio creata est participatio relationis increatæ; sed relatio increata non est denominatio extrinseca; ergo neque relatio creata. Maior est evidens, quia omne prædicatum creatum est participatum à prædicato increato, vt videre est in substantia, intellectu, voluntate, & reliquis prædicatis, quæ reperiuntur in creaturis, & sunt participationes substantiæ, intellectus, & voluntatis divinæ; & ratio est manifesta, quia omne ens secundum est participatum à primo; sed omne prædicatum creatum est ens secundum, & omne prædicatum increatum est ens primum: ergo omne prædicatum creatum est participatum à prædicato increato, seu est participatio illius, & ideo sapientia creata est participatio sapientiæ increatæ. 163

Minor prima fide catholica constat, quia in divinis solum dantur quatuor relationes, tres personales, seu constituentes personas, & vocantur relationes quasi transcendentales, quia sunt de intrinseca constitutione personarum, v. g. relatio paternitatis, filiationis, & Spiritus sancti: hæ enim non adveniunt personis constitutis, sed potius constituunt ipsas in esse personarum: quarta relatio vocatur quasi prædicamentalis, quia non constituit personas quatenus personæ sunt, sed potius conveniunt personis constitutis per paternitatem, & filiationem, ac proinde quasi nostro modo concipiendi adveniunt personis iam constitutis, ratione cuius quasi prædicamentalis dicitur: & hæc relatio est spiratoris activi; sed nulla ex his relationibus est denominatio extrinseca: ergo, 164

Cons-

165 Consequentia prima patet, quia omne prædicatum, quod participatur à prædicato increato, participat omnem rationem, quæ non involvit infinitam perfectionem in tali prædicato, cuius non est capax tale prædicatum creatum; sed ratio intrinseca in relationibus increatis, quatenus ratio intrinseca vt sic est, non involvit infinitatem, nec eminentissimam perfectionem: ergo potest participari à relationibus creatis, creatæque relationes erunt capaces talis participationis. Maior huius syllogismi est certa; ideo scientia creata participat evidentiam à qua est formaliter evidens, & certitudinem à qua est formaliter certa, quia scientia divina est formaliter evidens, & certa, & formalis evidentia, & certitudo vt sic non involvunt infinitam perfectionem, ac proinde scientia creata est capax illarum. Item homo, vel Angelus, &c. participant rationem liberi arbitrij à Deo, cum indifferentia ad amandum, & non amandum, quia talis indifferentia vt sic non est perfectio infinita: ergo. Minor illa sic probatur. Illa ratio in divinis non involvit perfectionem infinitam ex conceptu suo præciso, quæ participatur à creaturis in alijs prædicatis formaliter; sed ratio intrinseca participatur à creaturis in intellectu, voluntate, intellectione, volitione, sapientia, iustitia, misericordia, charitate, & cæteris, quæ sunt intrinsecæ perfectiones respectu creaturarum: ergo ratio intrinseca, quæ est in relationibus divinis ex suo conceptu, & quatenus præcise dicit rationem intrinsecam non involvit infinitam perfectionem.

166 Declaratur, quia non est maior ratio, quare ratio intrinseca, quæ est in substantia, subsistentia, & reliquis perfectionibus divinis ex conceptu præciso talis intrinsecæ rationis non dicant infinitam perfectionem, ac proinde sint participabiles formaliter à creatis perfectionibus, ac de facto participetur, & sit formaliter in illis, & solum ratio intrinseca in relationibus sit infinita, ac infinite perfecta, ac proinde inparticipabilis à creaturis.

167 Præcipue, quia multæ relationes, vt sunt transcendentales, sunt intrinsece formaliter in creaturis: ergo ratio relationis vt sic intrinseca quatenus abstrahit à prædicamentali, & transcendentali non dicit infinitatem, siquidem talis ratio intrinseca, vt sic participatur à creatura formaliter in relationibus transcendentalibus, vt videre est in vnione substantiali, quæ est relatio transcendentalis intrinseca materiæ, & formæ; sed non potest assignari aliquod rationale discrimen inter rationem intrinsecam prædicatorum absolutorum, & relationum transcendentalium divinarum, & inter rationem intrinsecam relationis prædicamentalis, vt hæc involvat infinitam perfectionem, & sit imparticipabilis à creaturis formaliter, & illa sit participabilis, & non dicat infinitam perfectionem: ergo dicendum est, rationem intrinsecam ex vi huius præcisi conceptus non dicere infinitam perfectionem in relationibus divinis, licet ratione prædicati increati dicant infinitam perfectionem, ac proinde implicet à creatura participari relationem intrinsecam increatam formaliter.

168 Dices, hoc argumento posse probari intellectum, voluntatem, & ipsas relationes creatas non esse accidentia: sed potius substantiam, eo modo, quo attributa divina non sunt accidentia, &c.

Sed contra; quia falsum est dicere hoc, quia 169
Deus ex eo quod sit infinitus, identificat secum omnem perfectionem; vnde divinitas nullo modo distinguitur à parte rei ab aliqua perfectione sibi debita, & in ipsa divinitate formaliter existente secundum illud axioma Concilij Lateranensis, quidquid in Deo formaliter est Deus est, quod innititur verbis Ioannis, in ipso vita erat, &c. sed Deus est substantia: ergo ex vi suæ infinitæ perfectionis, quidquid Deo convenit, substantia est, quia quod non distinguitur; sed identificatur cum substantia, non potest non esse substantia; vnde omnia, sive nostro modo concipiendi primario, sive secundario, conveniunt Deo, sunt substantia Dei, & minime accidentia, quia Deus est simplicissimus, & incompositus à parte rei sine vlla potentialitate vt accidentaliter perficiatur ratione summæ, & infinitæ perfectionis illimitatæ, propriæ; itaque si Deus non esset à se infinitus, & infinite perfectus, haberet aliquas perfectiones accidentales saltem illas, quæ ei non primario convenirent, hoc est essentialiter; cum autem sit illimitatus, & infinitus non solum essentialia, sed attributalia, & notionalia, quæ non ita primario sicut essentialia, conveniunt Deo, sunt substantia.

Tunc sic, creatura non est illimitata, & infi- 170
nita: sed potius finita, limitata, & imperfecta; ergo est capax distinctionis realis inter perfectiones proprias, ac proinde est capax compositionis: ergo creatura secundum suam substantiam non identificat omnem formalitatem sibi conuenientem: ergo omnis formalitas conveniens creaturæ non erit substantia illius, alias substantia creata identificaret secum omnem perfectionem, quæ ad se pertineret: ergo aliquæ perfectiones, aut formalitates conveniunt creaturæ ex vi propriæ limitationis, quæ non sunt substantia: ergo accidentia creaturæ realiter, seu ex natura rei distincta ab ipsa creatura: patet hæc consequentia, quia non est dare medium à parte rei inter substantiam, & accidens vt sic, cum adæquate dividatur ens vt sic in substantiam, & accidens, vt inductione manifesta patebit.

Sed hæ formalitates, quæ sunt accidentia, 171
non sunt quæ primario conveniunt substantiæ; sed quæ secundario conveniunt illi, & accedunt realiter ad illam iam constitutam, possuntque abesse, & adesse præter substantiæ corruptionem, aut naturaliter aut supernaturaliter; atqui huiusmodi sunt voluntas, intellectus, intellectio, volitio, vitia, & virtutes creaturarum, & vt late *in sectionibus superioribus* probatum, ac demonstratum manet, relationes prædicamentales omnes: ergo omnes huiusmodi formalitates in creaturis existentes formaliter ex vi limitationis, & finitudinis ipsarum, debent esse accidentia à parte rei distincta ab ipsa substantia creaturarum; licet omnia, quæ conveniunt Deo non sint accidentia, sed potius substantia; & ideo omnes Sancti, & Doctores Catholici asserunt, tam perfectiones absolutas, quam relativas esse substantiam Dei, quod nolunt concedere in creatis, & nihilominus nullus hucusque Doctor asseruit aliquando, intellectum divinum habere rationem intrinsecam vt sic, quatenus abstrahit à ratione intrinseca per identitatem, & compositionem propter infinitam perfectionem, cum manifeste convincatur intellectum, intellectionem,

&c.

&c. esse intrinsecas perfectiones saltem per compositionem respectu creaturæ: ergo similiter licet relationes prædicamentales creatæ non sint substantia creaturæ, saltem poterunt esse intrinsecæ respectu illius per compositionem, & minime erunt denominationes extrinsecæ.

SVBSECTIO I.

In qua alia argumenta proponuntur pro hac conclusione.

172 SEcundo argumentor: quia denominatio extrinseca à forma absoluta non est relativa, sed absoluta, vt patet inductione: nam esse vestitum, esse locatum, esse visum, amatum, & intellectum non sunt relationes, sed absolutæ denominationes à veste, loco, visione, intellectione, & amore; propria enim ratio relationis est esse ad aliud, non vero ab alio affici, vel denominari: quare si relatio non sit aliud, quam denominatio extrinseca à termino, erit denominatio extrinseca à forma absoluta: quia terminus absoluta entitas est: ergo non relatio sed denominatio extrinseca absoluta erit, eo modo quo visum, amatum, & intellectum, &c. ergo evertetur totum prædicamentum relationis.

173 Tertio sic argumentor, quia vnum oppositum non potest constitui à suo opposito formaliter; sed pater v.g. est oppositus relative respectu filij geniti, in quantum pater illius: ergo in quantum pater non constituitur à filio. Maior est certissima, vt facta numeratione per omnia opposita patebit. Minor longius probabitur *quæst. sequenti* contra Patrem Hurt. ratione secunda: consequentia est clara. Tunc sic: si ratio patris in Petro v. g. esset denominatio extrinseca, oppositum relativum constitueretur ab alio opposito formaliter extrinsece; sed vnum oppositum non potest constitui ab alio, neque intrinsece, neque extrinsece: ergo pater non potest constitui à filio in esse patris.

174 Quarto, quia v.g. esse patrem non est tantum habere filium à se genitum, sed potius est intrinsece esse eum à quo filius est genitus: sicut v. g. esse album simile alteri non est solum habere aliud tale, quale ipsum, sed est ipsum intrinsece esse tale, quale aliud: nam habere aliud tale quale ipsum, est habere aliud sibi simile, non vero est ipsum esse alteri simile; licet enim ista in re coincidant, tamen non eadem ratione significantur, & differunt ratione: ergo ad relationem constituendam, non satis est habere terminum sed requiritur intrinseca habitudo rei relatæ ad terminum.

175 Vrgetur: quia cum similitudo consurgat ex coëxistentia vtriusque albedinis, vt fatentur omnes, negari non potest, quod relatio, quæ est in hac albedine, qua assimilatur alteri formaliter, sit saltem partialiter intrinseca, sit vel non sit etiam partialiter extrinseca: nam eo ipso, quod consistit in participatione eiusdem naturæ, in vtroque extremo existétis, licet natura, quę est in termino, sit extrinseca, nihilominus natura, quæ est in fundamento intrinseca debet esse; quod sufficit ad hoc, vt relatio non sit pure denominatio extrinseca, alias destrueretur omnis relatio: quia cum denominatio extrinseca in re nihil aliud sit, quam forma denominans, relatio nihil aliud esset, quam alterum extremum, sive terminus absolutus, atque adeo relatio qua aliquid refertur ad aliud in distincto subiecto esset ab eo, quod refertur, nempe in termino. Tum etiam, quia extrinseca denominatio potius est quædam applicatio extrinseca formæ ad rem denominatam, quam ipsius subiecti habitudo, seu ordo ad terminum extrinsecum.

176 Quinto sic argumentor: quia omnis forma denominans extrinsece, supponitur ad effectum formalem extrinsecum illius, sicut visio ad visum, intellectio ad intellectum: sed terminus quatenus terminus non præsupponitur ad relationem paternitatis, v. g. sed potius subsequitur quatenus actu terminus: ergo terminus quatenus actualiter terminat, vel actu est terminus non potest constituere relationem paternitatis in esse talis. Minor in qua est difficultas, sic demonstratur. Terminus quatenus actu terminus extrinseca denominatio est sumpta formaliter à tendentia paternitatis in genitum: ergo est effectus formalis extrinsecus talis tendentiæ, in tantum enim dicitur genitum terminare actu relationem paternitatis, in quantum extrinsece tendit relatio paternitatis ad ipsum; sed effectus formalis non antecedit formam, sed potius subsequitur ad illam; quia omnis effectus subsequitur ad causam, ex eo quod sit posterior natura sua causa: ergo terminus actu terminus, qui est effectus formalis extrinsecus respectu relationis paternitatis non antecedit, sed subsequitur ad illam.

177 Declaratur: quia in termino genito v.g. duplex solum ratio datur, alia ratio geniti, alia ratio actu terminantis relationem paternitatis: ratio geniti ex vi generationis non denominat patrem, sed generantem: nam generans est ille, qui generavit filium, ac proinde extrinsece denominabitur à generatione existente in genito: ergo hæc non denominat patrem: ergo ratio actu terminantis est, quæ denominat patrem; sed hæc denominatur à patre extrinsece tendente in ipsum genitum: ergo iterum non potest denominare extrinsece patrem; alias de primo ad vltimum idem à se denominaretur: nam si terminus denominat patrem, & pater denominat terminum: ergo pater non à termino, sed à propria intrinseca entitate denominatur quatenus refertur, & tendit ad terminum: ergo paternitas non est denominatio à termino; sed intrinseca formalitas in fundamento: illa prima consequentia patet, quia ad vnam formam extrinsecam sufficit vna denominatio extrinseca, & non oriuntur plures denominationes priores, & posteriores, quasi diversæ rationis; sed genitum ex vi generationis est vna forma extrinseca respectu generantis: ergo tantum denominat generans: ergo non denominat patrem: quia denominatio paternitatis, & denominatio generantis sunt denominationes priores, & posteriores, & diversæ rationis, ac proinde distinctæ inter se: ergo ambæ non oriuntur à generatione existente in filio: ergo alia forma est à qua oritur denominatio patris.

178 Item, quia quando est forma extrinsece applicata respectu subiecti apti, simul natura resultat in eo omnis denominatio, quæ proficiscitur à tali forma extrinsece applicata; sed generatio, quæ est in filio, est forma applicata extrinsece generanti: ergo in illo priori tribuit omnem denominationem, quam potest; sed in illo priori nondum est denominatio paternitatis: ergo denominatio

nominatio paternitatis non est à generatione existente in filio: sed ab alia forma posteriori natura ipsa generatione. Minor sic probatur, quia in priori naturæ, in quo est ratio fundandi relationem, nondum est denominatio relationis; sed in alio posteriori, quia posito termino generato, & in priori naturæ producto resultat relatio paternitatis: ergo denominatio relationis paternitatis non est in illo priori, &c.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

179 AD argumenta primæ sententiæ, & ad primum desumptum ex verbis Damasceni respondetur, verba sancti Doctoris nullo modo esse contra nos: sed potius pro nobis, nam Sanctus Doctor solum ait, ea quæ relativa sunt, si separentur à termino, non ad prædicamentum relationis pertinere; sed ad aliud prædicamentum absolutum, quia provt sic non dicunt relationem, siquidem ex vi destructionis termini, omnis relatio existens in illis destruitur, ac proinde ea, quæ relativa erant ex vi relationis non sunt relativa: sed absoluta post separationem à termino, & sic ad varia prædicamenta absoluta reducuntur: hæc autem omnia maxime pro nobis sunt, & probant manifeste distinctionem ex natura rei relationis à fundamento: nam si fundamentum quod cum relatione relativum dicitur, non distingueretur à relatione, nunquam posset esse sine relatione, nec posset separatim esse ab illa; atqui D. Damascenus asserit, fundamentum quod modo est relativum à termino separatum non esse relativum: ergo iudicat fundamentum posse separari à relatione destructo termino, ac proinde debet iudicare distingui à parte rei relationem à fundamento.

180 Vrgent hoc intentum illa verba; quippe prius aliquid sine habitudine, ac relatione esse necesse est: ac tunc vel deinceps habitudinem in ipso considerare; ac si diceret Damascenus, res prius esse constitutas in suo absoluto, quam habeant relationem, & postea posito termino habere illam, quia relatio prædicamentalis non est de primario conceptu rei; sed de secundario conceptu illius, ac proinde accedit iam constituræ in suo esse, ratione cuius talis relatio accidens à parte rei est, & distinguitur à parte rei ab ipsa entitate absoluta: quod sic confirmo: quia idem non potest esse sine se ipso, alias idem non esset idem ipsum; sed ait D. Damascenus, quippe prius aliquid sine habitudine, ac relatione esse necesse est, ac deinceps habitudinem in ipso, &c. ergo habitudo, & relatio non sunt idem ac fundamentum absolutum; sed potius distinguentur à parte rei ab ipso fundamento.

181 Declaratur, quia nulla res potest esse sub contradictorio illius prædicati, quod identificatur cum ipsa, v. g. homo non potest esse sub non animali quod est contradictorium animalis, quia identificatur homo cum animali. Vnde si aliqua entitas est sub contradictorio alicuius formalitatis positivæ, evidenter sequitur, talem formalitatem positivam distingui à parte rei ab illa entitate, quæ est sub contradictorio illius formalitatis: ideo enim evidenter colligimus, materiam primam distingui ab anima rationali cui vnitur, quia materia prima potest esse sub contradictorio animæ rationalis; sed ex verbis D. Damasceni patet, fundamentum relationis esse sub contradictorio relationis; ergo distinguitur à relatione fundamentum. Minor est evidens, quia D. Damascenus ait, fundamentum prius esse sine habitudine; sed esse sine habitudine est esse sub contradictorio habitudinis: sicut materiam primam esse sine anima rationali est esse sub contradictorio animæ rationalis: ergo secundum D. Damascenum fundamentum est sub contradictorio habitudinis, seu relationis.

SVBSECTIO I.

In qua Divi Thomæ verbis respondetur.

AD locum D. Thomæ respondeo, verum esse 182
quod relatio non sit alia res à fundamento, quod nos etiam ingenue fatemur, dum dicimus; relationem non distingui à fundamento realiter, vt vnam rem ab alia; sicut, v. g. albedo distinguitur à nigredine, vel à quantitate, & in hoc sensu loquitur D. Thomas, non tamen ideo negavit, relationem esse modum distinctum ex natura rei à fundamento: vnde nos dicimus, relationem esse aliam formalitatem modalem distinctam ex natura rei à fundamento, in quo dissentimus à sententia Thomæ de Argent. Hervei, & aliorum Thomistarum, P. Suarez.

Negamus tamen, relationem esse aliam rem realiter distinctam à fundamento contra Cæprolum *in* 1. *dist.* 30. *quæst.* 1. Caietanum, 1. *p. quæst* 28. *art.* 2. Ferraram 4. *contra Gent. cap.* 14. quia in his omnibus gravissime controvertitur à Doctoribus *de relatione*; D. autem Thomas vtramque partem nostræ veritatis docuit, primam de distinctione modali locis pro nobis citatis 1. *p. quæst.* 28. *art.* 2. *& q.* 8. *de potentia, art.* 2. *& 4. contra Gent. cap.* 14. secundam autem partem scilicet quod non distinguatur realiter relatio à suo fundamento, vt vna res ab alia, docet Angelicus Doctor verbis citatis ab adversarijs, in quibus aperte docet, non esse intelligendum quod similitudo sit alia res ab ipsa albedine: sed solum est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis, hoc est vt modificata, relata, & ordinata per habitudinem ad albedinem Platonis: ergo D. Thomas potius pro nobis, quam contra nos est.

Ad rationem Divi Thomæ de mutatione res- 183
pondeo illa nostram sententiam confirmare Angelicum Doctorem, addereque vires supra positæ responsioni, quia D. Thomas ibi loquitur non de mutatione successiva, quæ motus per se dicitur, provt distinguitur à mutatione instantanea, vt aliqui interpretes respondent: sed de mutatione per se intenta primario, provt condistinguitur à mutatione resultantiæ, & emanationis, & per accidens ac secundario intenta à natura, vt solet dici, esse resultantiam figuræ, & ab omnibus conceditur esse resultantiam relationis: quia relatio non intenditur per se à natura: sed solum quod intendit per se primario, natura est vtrunque extremum, ex quorum positione quasi per accidens, & secundario resultat relatio, sicut, v. g. dum artifex scindit lignum, actio eius per se primario tendit ad motum localem, per quem applicantur instrumenta ligno, & postea

resultat figura, clarius: natura primario intendit introducere formam substantialem in materia prima, ex cuius introductione ratione incapacitatis materiæ ad habendas simul duas formas quasi secundario, & quasi per accidens, & non vt primario intenta à natura, quasi resultat expulsio, & privatio formæ antecedentis: ita similiter in nostro casu, quod primario & per se intendit natura, est ponere extrema ex quorum positione quasi secundario resultat relatio, quibus omnibus positis intelligetur argumentum Divi Thomæ, quod sic formatur ab ipso: si relatio non solum esset modus, secundario intentus, sed res realiter distincta à fundamento, fieret per se, & produceretur primario, terminaretque per se mutationem, aut productionem à natura primario, & per se intentam sicut producitur, & terminat quæcunque res distincta à modis, vt substantia, quantitas, qualitas, &c. sed nulla facta per se, & primario intenta mutatione per positionem termini, resultat realiter relatio: ergo relatio non est res realiter distincta à fundamento: sed solum modus ex natura rei distinctus ab ipso.

184 Ecce ratiocinatio D. Thomæ recte intellecta nobis favet, clare, ac evidenter patrocinatur nostræ conclusioni: Nam D. Thomas non negavit quamcunque productionem, seu motum per accidens, & secundario sequutum ad positionem alterius terminari ad relationem; sed solum inficias ivit mutationem per se intentam terminari ad illam, quia cum ipsa relatio non sit principale, sed accessorium, quia non est res, sed modus, & non modus primario intentus: sed solum secundario consequutus ad positionem termini, inde est, quod non primario producatur: sed tantum resultet positis fundamento, & termino, ac per consequens secundario producatur, hunc enim finem, & scopum directe intendit, aut collimavit Angelicus Doctor quod optime consequutus est sua recta argumentatione, v. g. optime probaretur, figuram non esse rem: sed modum resultantem per hanc argumentationem, quia si figura esset res realiter distincta à quantitate; produceretur per mutationem per se; sed non fit per mutationem per se, & primario intentam: ergo non est res realiter distincta à quantitate; sed modus secundario, & quasi per accidens productus.

185 Ad obiectionem primam respondeo falsum esse quod dicitur ab adversarijs; nam D. Thomas nunquam dixit, nec protulit solum hæc verba præcise (sed solum est ipsa albedo) sed potius sic formalissime ait: sed solum est ipsa albedo vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum, vbi per albedinem intelligit fundamentum, & illis verbis, vt se habet, &c. indicat aperte relationem, quæ est modus ex natura rei distinctus ab albedine illam fundante; nam albedo destructo termino, albedo manet, & perseverat, & nihilominus non manet, nec perseverat vt se habens ad albedinem Platonis, tanquam ad terminum: ergo illud se habet ad terminum distinctum quid est saltem modaliter ab ipsa albedine; siquidem albedo potest sub habet, & sub non habet esse; nam destructa albedine Platonis non potest dici albedo Socratis se habet ad illam tanquam ad terminum, & illud se habet, non est denominatio extrinseca, quia est habitudo, per quam intrinsece potest albedo referri ad terminum, vel vt melius loquar actu refertur ad illum quando actu est sub illo se habet: ergo est quid intrinsecum reale separabile ab ipsa albedine; cum etiam persistente albedine, non persistat illud reale intrinsecum se habet, quod antea erat in albedine nondum destructo termino, ratione cuius formaliter, & cum veritate dicebatur, vt se habet ad terminum, vel habet habitudinem ad illum: ergo relatio, seu habitudo significata per illa verba, vt se habet secundum D. Thomam est entitas distincta à parte rei ab albedine; quod nos intendimus contra adversarios nostra conclusione.

Ad illud, quod dicitur ab adversarijs in illa 186
obiectione seu contra; dicimus nunquam Divum Thomam negasse mutationem per accidens, aut secundario intentam: sed solum primario, & per se intentam: quia hæc duntaxat serviebat menti, & ratiocinationi D. Thomæ, & non illa, vt ex supradictis patet: nam licet mutatio per accidens sit vera mutatio, non negavit illam, quia non negavit omnem veram mutationem: sed solum per se, & primario intentam, vt iam diximus propter rationes supra positas.

Deinde falso affirmant contrarij, asserendo D. 187
Thomam solum docuisse distinctionem relationis à fundamento per terminum extrinsecum; cum expresse assignet aliquid intrinsecum in fundamento, per quod distinguitur relatio ab ipso, illud nimirum, quod significat per illa verba, vt se habet ad terminum, quod intrinsecum est, vt patet ex dictis.

Ad vltima verba P. Hurtado dico maximum 188
defectum irrogare, aut imputare Divo Thomæ, dum loquens de eo dicit apud antiquos non fuisse tam exactam disputationem de modis, & rebus, qui defectus minime debet tanto Doctori attribui; nam certissimum est, D. Thomam mirabiliter de modis, & rebus quoad esse, & & quoad distinctionem tum opusculis, tum partibus, tum libris contra gentes egisse; imo in loco ad adversarijs posito data opera, vt ostendat naturam relationis, dicit non esse aliam rem: sed esse albedinem cum habitudine, & respectu ad terminum modificante albedinem, &c.

Vltimo dico, fortasse ab ipsis non attente 189
lectum fuisse caput illud tertium *opusculi* 48. siquidem asserunt D. Thomam affirmare septem vltima prædicamenta re differre inter se, nam Angelicus Doctor hæc solum profert verba: dicendum quod divisio entis in decem prædicamenta est divisio secundum decem diversa secundum rem, vel quantum ad hoc quod dicunt diversas res; sicut substantia, quantitas, & qualitas, quæ comparata ad invicem sunt diversæ res, vel inquantum dicunt diversas res extrinsece: Ecce verba D. Thomæ in illo capite, vbi nunquam in particulari loquitur de septem vltimis prædicamentis secundum id; quod in se sunt: sed loquendo de decem prædicamentis ait, distingui secundum rem sub disiunctione dicta, & verificat hanc propositionem ratione substantiæ, quantitatis, & qualitatis, quæ vere res sunt; nam ad verificationem propositionis confusæ, vel disiunctivæ sine signo vniversali omnis, aut nullus, quæ sunt signa distributiva pro omnibus sufficiunt aliqua singularia: v. g. in symbolo fidei dicitur: credo sanctam Ecclesiam catholicam, de qua dixit Paulus esse sine macula, &

& ruga, & hæc Ecclesia non est, nisi congregatio fidelium omnium, ex quibus non omnes sunt sancti, & nihilominus dicitur tota Ecclesia sancta ratione aliquorum: ergo similiter, vt decem prædicamenta dicantur differre secundum rem sufficiunt aliqua, quæ D. Thomas assignat, ratione quarum verificatur propositio, & non ratione omnium, præcipue propter disiunctionem, qua vtitur, & vt in aliquo sensu etiam respectu omnium verificetur, ait D. Thomas reliqua prædicamenta si differunt secundum rem, hoc non esse ratione propriarum entitatum, quia multa ex illis sunt modales entitates, vt vbi, duratio, ratione quarum potius modaliter, vel ex natura rei distinguuntur) sed ratione connotatorum, quæ res sunt, & ponit exemplum in relatione, quæ si secundum suam entitatem intrinsecam consideretur, differt modaliter solum, vel ex natura rei à fundamento, vel ab alio prædicamento: attamen si consideretur extrinsece, aut ratione connotati, quod vt terminus pertinet ad relationem, dicitur differre secundum rem, quia fundamentum quatenus absolutum non connotat terminum, & relatio quæ est in fundamento, connotat illum: explicatur hoc exemplo; solemus enim dicere, Rex Hispaniæ distinguitur à Rege Angliæ realiter in divitijs, in Vasallis, &c. non quia per illa distinguatur secundum aliquid intrinsecum, sed solum secundum extrinseca, quibus dominatur, & quibus fruitur, & potitur.

190 Secundo respondeo cum gravissimis authoribus ex ipsius D. Thomæ schola, Angelicum Doctorem eo opusculo sententiam illam sequutum fuisse quam re melius considerata mutavit (sapientis enim est mutare consilium) in partibus, locis à nobis citatis: vbi data opera politiori Minerva egit de relatione; sicut de cæteris rebus; cum autem summam Theologiæ quam partes vocamus composuerit, iam ætate provecta, dum ad culmen sapientiæ pervenerit, in ea potius sequendus ac venerandus D. Thomas, quam in opusculis, quæ iuvenis scriptis mandavit: vnde à D. Thoma iuvene ad ipsum Angelicum Doctorem D. Thomam senem, ætate, ac mito splendoris sapientiæ, omnigenæque scientiæ lumine circumfusum deflecto, appelloque. Ad quod me movent, præter locaD. Thomæ pro mea conclusione citata, clarissima, & expressissima verba ipsius Angelici Doctoris *q. 8. de potentia Dei art. 2.* vbi sic ait: relatio realiter substantiæ adveniens, postremum, & imperfectissimum habet esse; quia non solum præexigit esse substantiæ, sed esse aliorum generum, ex quibus causatur: quæ verba formalissime ponit *lib. 4. contra Gent. cap. 14.* in quibus aperte docet duo, primum relationem realiter, vel à parte rei advenire fundamento; sed idem non potest sibi ipsi realiter advenire: ergo relatio non est idem cum fundamento, sed potius distincta à parte rei à fundamento. Secundum quod asserit est, relationem causari à substantia, & ab entitatibus aliorum prædicamentorum, in quibus fundatur immediate; sed causa distinguitur à suo effectu, & ideo idem non potest à se ipso causari, quia quidquid producitur ab alio producitur: ergo relatio, quæ in sententia D. Thomæ causatur à fundamento à parte rei distinguetur à fundamento.

191 Tandem alij respondent, vt asserit Fonseca, *lib. 5. met. cap. 15. q. 2. sect. 3. in medio, §. quod vero, in fine illius*, opusculum citatum non esse D. Thomæ.

Ego autem concludo pro prima explicatione 192
D. Thomam solum intendisse negare distinctionem realem, vt supra diximus, neque illa verba ab aduersarijs citata (secundum rem) aliquid obstant, quia multoties D. Thomas asserit, vbi, & figuram distingui secundum rem, id est à parte rei, seu ex natura rei, quod patet evidenter: nam in sententia D. Thomæ, vbi, & figura non sunt res simpliciter, sed modi; ergo licet D. Thomas dicat, aliqua prædicamenta distingui secundum rem, non est intelligendus de distinctione reali simpliciter, sed sufficit vt intelligatur de distinctione modali.

SVBSECTIO II.

In qua prima, & secunda ratio Aduersariorum solvuntur.

AD primam rationem concedo maiorem, & 1
nego minorem; ad probationem minoris distinguo maiorem, est ratio, qua duo individua sunt idem, id est qua formaliter conveniunt, concedo, qua habent veram identitatem, sicut Petrus secum, nego; nam licet communiter, & vulgo dicatur, Petrum, & Paulum esse idem in specie, non est ita intelligendum, vt Petrus, & Paulus habeant propriam identitatem, eo modo quo fingebat Scotus, sed solum habent similitudinem & convenientiam in essentijs eo modo, quo latissime dictum est *disp. de Vniversal.* cum autem sit accidentale Petro convenire vt quod cum Paulo, sic etiam ipsa convenientia seu ratio formalis, per quam constituitur in esse convenientis vt quod cum illo, potest esse accidens; vti est relatio. Ad minorem nego illam, in sensu à nobis explicato: ad probationem respondeo multa vt quod non convenire, & nihilominus posse esse vt quo rationem conveniendi: sicut v.g. actio non agit vt quod, & nihilominus vt quo agit; & vnio non vnit vt quod, & nihilominus constituit vt quo, res vnitas vt quod. Ita similiter licet relatio non identificetur, nec conveniat vt quod secundum vltimum conceptum proprium cum Petro, quia Petrus est substantia, & relatio est modus accidentalis, nihilominus potest esse ratio formalis, qua constituitur Petrus in esse convenientis, & similis, vt quod accidentaliter respectu Pauli, quod sic demonstro: quia eo modo debet esse ratio formalis conveniendi, quo est concretum in gradu essendi; sed concretum conveniens est concretum accidentale: ergo convenientia debet esse accidentalis, ac proinde non potest convenire cum subiecto substantiali vt quod constitutum in esse convenientis accidentaliter ab ipsa convenientia. Minor illa sic demonstratur, quia actu convenire vnam substantiam cum altera, convenit tali substantiæ postquam iam est constituta in suo esse primario, ac proinde accedit illi realiter completæ, & constituitæ adæquate in esse substantiali, & talis convenientia potest abesse, & adesse illi, præter corruptionem illius: ergo esse conveniens, aut convenire est concretum accidentale, ac proinde debet provenire ab accidenti tanquam à forma: vnde licet vt quod non sit conveniens accidens, specifice cum substantia, nihilominus vt quo non solum potest, sed ita necessario est actualis convenientia illius cum alio,

vt si ipsa non esset accidens non posset esse actualis, & formalis convenientia illius.

194 Exemplo manifesto illustratur hoc: nam licet subsistentia in se, & per se non subsistat vt quod, ex eo quod sit modus, nihilominus potest constituere Petrum in esse subsistentis vt quod, quia ratione subsistétiæ Petrus est quod subsistit, & quod existit per se, & in sententia Patris Suarez, anima rationalis non potest esse corporea vt quod, quia est spiritualis vt quod, & nihilominus est corporea vt quo, & constituit Petrum in esse corporei vt quod: ergo licet relatio ex eo quod sit accidens, non sit, vt quod simile, aut conveniens cum Petro, potest tamen esse similis, & conveniens vt quo, ideſt actualis similitudo, & convenientia accidentalis, per quam formaliter constituitur Petrus in esse convenientis, & similis accidentaliter cum Paulo.

195 Item relatio similitudinis, aut identitatis non potest esse ratio conveniendi fundamentaliter, potest tamen esse conveniendi formaliter: nam convenientia fundamentalis nihil aliud est, quam quod Petrus sit homo, sicut Paulus, ratione cuius est fundamentum convenientiæ formalis, quæ consistit essentialiter in puro respectu, dicitur autem convenientia similitudo, aut conveniens, & similis vt quo, quia ordinat suum fundamentum ad terminum, qui habet essentiam, sicut ipsum aut ad illum, quatenus est similis fundamentaliter subiecto relationis, non tamen requiritur quod ipsa relatio sit eiusdem rationis cum fundamento, quia hoc potius esset, quod ipsa relatio esset similis vt quod.

196 Ad secundam rationem, quæ in ordine est quartum argumentum, respondeo primo cum P. Suarez, negando processum in infinitum, quia sistendum est in ea relatione, quæ eandem denominationem suscipit, quam præbet fundamento, & necessario, ac intrinsece illam secum adfert, v. g. quāvis paternitas referatur similitudine ad aliam paternitatem, & illa similitudo sit similis alteri eiusdem speciei, nihilominus non oportet vt sit similis per aliam relationem, sed seipsa, quia illa denominatio est eiusdem rationis, & intrinsece illam secum adfert, quia non potest referri vna paternitas ad aliam similem, quin illi respondeat alia relatio, cui ipsa sit similis, & idem est de denominatione diversitatis inter ipsas relationes, quod ad summum probat argumentum; sic ille. Ex quo evidenter colligitur, quam frivola sit hæc ratio, siquidem ipse Pater Suarez, qui sententiam contrariam tuetur, solvit illam tanquam futilem, & invtilem suæ sententiæ propugnandæ.

197 Secundo alij respondent negando Antecedens: ad probationem concedunt antecedens, & negant consequentiam; quia sicut vna dependentia non dependet per aliam dependentiam, neque vna actio producitur per aliam actionem, sic similiter vna relatio non refertur per aliam relationem: sed sicut ipsa est ratio referendi alia, sic etiam seipsam refert ad terminum.

198 Tandem alij aiunt nullum esse inconveniens concedere processum in infinitum in tam minimis entitatibus, neque esse absurdum dari infinitas relationes actu, asserere; sicut non est inconveniens in sententia adversariorum concedere infinitas actu partes proportionales, præcipue quia vnaquæque pars dicit relationem ad totum; sed sunt infinitæ partes actu proportionales: ergo sunt actu infinitæ relationes prædicamentales.

Respondet P. Rubius, tales relationes fundatas 199
in partibus proportionalibus continui incompletas esse, & partiales ex quibus quasi vna totalis efficitur, & ideo non est inconveniens admittere quod sint actu infinitæ, secus autem contingere in relationibus fundatis in entitatibus completis, quæ completæ sunt.

Sed contra manifeste: quia per vos ideo relatio- 200
nes fundatæ in partibus proportionalibus sunt incompletæ, quia tales partes ex eo quod tales sint, sunt incompletæ entitates, ac proinde assertis, relationes fundatas in homine, & cæteris cōpletis esse completas. Sed incomplementum accidentis non sumitur à subiecto in quo est, alias intellectus, & voluntas essent accidentia incompleta, siquidem subiectātur in anima, quæ essentialiter incompleta est. Item gratia sanctificans; sed hoc est falsum in vestra, & in omnium sententia: ergo ex eo quod aliquod accidens subiectetur in aliqua parte, non potest dici propter illam rationem præcisam incompletum: ergo neque relatio, quæ est in parte proportionali ex eo quod subiectetur in parte erit partialis, & incompleta relatio. Secundo, quia non solum vnaquæque pars dicit relationem ad totum, sed etiam totum dicit relationem ad vnamquamque partem, quatenus cōstituitur ab illa, & differt ab ea distinctione includentis ab incluſo: ergo relationes, quæ sunt in toto respectu omnium partium erunt completæ; quia subiectum illarum est totum, ac proinde completum ens; sed sunt infinitæ partes, ad quas refertur per distinctas relationes: ergo sunt infinitæ relationes completæ. Quod autem totum per distinctas relationes referatur ad omnes partes, patebit ex dicendis: *quæst.* Vtrum multiplicatis, & distinctis terminis distinguantur, & multiplicentur relationes?

Deinde, quia relatio quæ fundatur in anima 201
rationali respectu alterius animæ, & in materia prima respectu alterius materiæ non sunt incompletæ, sed completæ, licet materia & forma sint partes essentialiter: ergo à fortiori relationes, quæ fundantur in partibus proportionalibus, cum illæ non sint essentialiter, sed solum integraliter partes, non erunt incompletæ, sed completæ. Ratio autem à priori horum est; quia incomplementum alicuius entitatis solū sumitur ab ordine ad componendum cum alia totum, itaque entitas partialis, & incompleta est illa, quæ componit aliam completam cum comparte, & ideo licet intellectus Petri subiecterur in anima, quæ essentialiter est entitas incompleta, & partialis, non est incompletus in esse intellectus, quia non componit cum alio intellectu intellectum completum, & idem est de voluntate, intellectionibus, & volitionibus; econtra vero quia manus componit cum brachio, & anima cum corpore, dicuntur entia incompleta, & partialia; sed relationes quæ sunt in partibus respectu totius non componunt vnam completam relationem, vt falso asserit Pater Rubius in fine suæ obiectionis: ergo tales relationes non sunt incompletæ, sed completæ; sed sunt actu infinitæ: ergo non est inconveniens concedere infinitas relationes actu. Minor illa, in qua est difficultas sic demonstratur: quia si illæ omnes componerent aliquam relationem totalem, illa deberet esse in aliquo subiecto, & deberet habere aliquem terminum distinctum ab ipso subiecto, seu fundamento, quia terminus, & fundamentum eiusdem

dem relationis distinguuntur realiter, præcipue in sententia Patris Rubij.

202 Tunc sic interrogo quod sit subiectum illius relationis completæ compositæ ex infinitis illis relationibus partium proportionalium: certe non potest esse subiectum vnaquæque pars, quia vnaquæque pars non refertur per omnes relationes cæterarum partium.

203 Deinde, quia vel esset in vnaquaque parte tota, & sic infinities replicaretur in omnibus partibus, quod est summum absurdum, vt ex terminis patet. Nam sicut est absurdum quod eadem albedo completa quatenus completa simul sit in capite tota, & tota simul in pede, ita similiter est absurdum dicere, quod tota relatio quatenus completa, & tota est in vnaquaque parte, & in omnibus per replicationem.

204 Nec potest dici, quod solum sit in vna parte tota illa relatio; quia non est maior ratio de vna parte, quam de alijs: ergo solum restat dicendum totam illam ralationem esse in toto composito ex infinitis illis partibus proportionalibus quantitatis; sed hoc est impossibile, quia vel daretur relatio sine termino, vel terminus identificaretur cum fundamento eiusdem relationis. Nam terminus, qui potest assignari tali relationi, debet esse totum, quia partes ad totum referuntur; sed in ipso toto fundatur illa relatio: ergo idem est fundamentum, & terminus eiusdem relationis.

205 Nec valet dici, terminum non esse totum, sed partes, quia talis relatio composita est relatio partium ad totum: ergo terminus non sunt partes, sed totum, & resultat ex partialibus relationibus partium ad totum, sed vnaquæque partialis relatio non referebat totum ad partem, sed potius partem ad totum: ergo erat opposita relatio toti oppositione terminativa: ergo per solam vnionem cum alijs non potest ita converti in oppositam, vt iam non opponatur toti, sed ipsis partibus, quia hoc est summum absurdum, vt ex ipsis terminis patet. Si autem dicas, nec partes, nec totum esse terminum: ergo relatio est sine termino, quia non est aliud, præter partes & totum, quod possit assigna-

206 ri tanquam terminus talis relationis.

Vrgetur efficacius, quia vnaquæque pars non solum refertur ad totum, sed ad aliam partem, ita vt vnaquæque pars seorsim ad infinitas actu partes referatur: ergo relatio vniuscuiusque partis, quæ est relatio distinctionis, opponitur relationi alterius partis relative, & terminative alteri parti; quia inter relationem ex vno extremo, & relationem alterius datur oppositio relativa, vt patebit ex dicendis postea; quod pro certo habetur ab omnibus Doctoribus: ergo omnes illæ relationes, quibus se respiciunt partes ad invicem non componunt vnam relationem: quia oppositæ relationes non possunt componere vnam: sicut paternitas non potest componere cum filiatione, & albedo non potest componere cum nigredine, & calor cũ frigiditate; & ratio manifesta est, quia ex duobus oppositis non coalescit vnum; sed tales relationes distinctionis inter partes opponuntur proprie relative: ergo non possunt componere aliquam vnam; sed sunt infinitæ, & distinctæ actu quia sunt tot, & tam distinctæ inter se, sicut partes in quibus fundantur: ergo sunt infinitæ actu completæ relationes: ergo non est inconveniens

207 concedere infinitum in relationibus.

Tandem, quia inauditum est apud Doctores dicere vnam relationem posse componere cum alia: quia ex vi propriæ entitatis relationis est incapax vnionis cum altera, vt docet expresse D. Thomas sequutus Aristotelem 2. *met. cap.* 4. cum communi schola Peripateticorum quæ ipsum Aristotelem sequitur.

SVBSECTIO III.

Aliæ rationes Adversariorum solvuntur.

AD confirmationem respondeo primo distinguendo antecedens, hæc vel illa numero relatio divisim, nego: omnis simul concedo. Itaque posito fundamento, & termino, bene potest hæc vel illa seorsim sumpta relatio destrui, & separari à fundamento, non autem omnis simul, itavt fundamentum maneat sine omni relatione: nam statim ac destrueretur vna, resultaret alia propter connexionem necessariam, quam habet fundamentum cum relatione posito termino. Explico hoc exemplo quo vtuntur ipsi adversarij; dicunt enim nullo modo posse tolli omne vbi simul à corpore, itavt maneat sine vllo, alias corpus nullibi esset, licet possit tolli hoc, vel illud, & sic de omnibus divisim, & seorsim sumptis. Item licet à quantitate possit tolli hæc, vel illa numero figura & à natura substantiali, hæc vel illa numero subsistentia; non tamen omnis figura, vel omnis subsistentia simul: clarius & efficacius, & in omnium sententia licet possit conservari, aut produci creatura sine hac, vel illa numero dependentia, vel actione à Deo; vt nunc homo conservatur sine illa numero, actione, & dependentia à Deo, per quã productus fuit primo; nam illa fuit generatio, & erat dependentia à Deo & à generante simul, & hæc est conservatio à solo Deo: nihilominus non potest sine omni simul: quia conservatio est ratio formalis conservandi, & sine ratione formali conservandi non potest conservari res: ergo non potest dari res sine omni conservatione; atqui vbi, figura, subsistentia, &c. distinguuntur ex natura rei à subiectis, licet simul omnes non possint separari, quia divisim omnes possunt: ergo similiter licet positis fundamento, & termino, non possunt omnes relationes simul tolli, nihilominus distinguentur ex natura rei à fundamento, & termino, quia possunt omnes divisim, & seorsim tolli à fundamento adhuc posito termino. 208

Secundo respondeo, sicut nulla potest evidens ostendi repugnantia, quominus per potentiam Dei absolutam separetur, & destruatur omnis figura simul à quantitate, omnis substantia à natura, omne vbi ab vbicato, omnis præsentia à corpore; ita similiter non posse ostendi repugnantiam, & implicationem ad hoc vt possit tolli omnis relatio à fundamento per potentiam Dei absolutam, adhuc posito termino, & ratio videtur persuadere hoc, quia relatio est entitas ex natura rei distincta à fundamento, vt patet ex dictis, qui non pertinet ad essentiam eius aut extremorum, in quibus est: ergo etiam si naturaliter sequatur ex eo iam posito in vtroque extremo, non implicat contradictionem, quod talis consequutio impediatur. Antecedens ex nostra sententia est manifestum, quia relatio non solum est entitas distincta à fundamento: sed rationem formalem, & prædicamentalem habet ab eo diversam; ergo nulla est repugnantia, quin impediatur à Deo; consequutio eius ex fundamento po- 209

sito termino; sicut non repugnat, propriam passionem distinctam realiter ab essentia, à qua procedit naturaliter necessario ab ea non procedere, vt risibilitas ab essentia hominis, & eadem ratione probatur, quod postquam in fundamento reperitur, posito termino, possit ipsum fundamentum sine omni relatione permanere.

200 Ad quintum respondetur negando antecedens, ad probationem antecedentis concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem minoris distinguo antecedens, in actu primo, & fundamentaliter, & vt solet communiter dici essentialiter, concedo; in actu secundo, & formaliter, seu accidentaliter, nego. Ad probationem antecedentis distinguo maiorem, per id in actu primo, concedo, in actu secundo, nego. Item nego minorem: nam media informatione expellit frigus calorem, & è contra; quia expulsio illa est formalis; sed expulsio formalis est per modum actualis formæ, & modus actualis formæ vt talis est informatio, seu vnio: ergo non expellit frigus calorem solum, & præcise per suam entitatem, cum vnio distinguatur ex natura rei ab entitatibus vnitis.

201 Vt autem hoc melius intelligatur, adverte in contrarijs, seu oppositis posse duplicem statum concipi, alius est in actu primo, & quando actu non existunt simul duo contraria, vel in actu secundo, & quando coëxistunt: v. g. quando actu sunt frigiditas, & calor, in primo statu dicitur frigus contrarium calori per relationem transcendentalem seu potentiam positivam, vel si vis, per non repugnantiam quam dicit frigus ad expellendum calorem, & de hac contrarietate concedimus essentialiter convenire contrarijs, seu minimum radicari in essentia, in secundo statu resultat statim relatio diversitatis maximæ, quæ oppositio formalis accidentalis dicitur, & per hanc relationem formaliter opponitur vnum contrarium alteri, & hæc formalis oppositio distinguitur ex natura rei ab ipsis oppositis; quod autem talis ordo prædicamentalis resultet, patet; quia in quocunque datur relatio transcendentalis posito, & existente termino illius relationis, resultat relatio prædicamentalis, ita vt exercitium relationis transcendentalis sit hæc, seu vt melius loquar, ad relationem transcendentalem consequitur relatio prædicamentalis in fundamento existente termino, vt in materia prima respectu formę actu existentis, potentia intellectiva, & visiva respectu obiectorum actualiter existentium; sed illa contraria, v. g. frigus, & calor dicunt relationem transcendentalem ad invicem: ergo quando simul existunt, resultat relatio prædicamentalis in illis oppositionis, & contrarietatis formalis: patet hæc consequentia, quia illud est relativum prædicamentaliter quod non potest intelligi actu tale, nisi in ordine ad aliud: sed calor in quantum est oppositus, seu contrarius non potest esse, nec intelligi, nisi in ordine ad aliud: quia omne contrarium respectu alterius à se distincti est contrarium, & illud alterum, seu aliud est existens: ergo contrarium vt contrarium actu respectu alterius oppositi actu existentis est relativum prædicamentale: ergo relatio prædicamentalis est, per quam formaliter constituitur contrarium in esse actu contrarij, quia omnis conceptus ad aliud constituitur formaliter per relationem; atqui probatum est relationem prædicamentalem esse distinctam ex natura rei à fundamento: ergo oppositio actualis, & formalis distinguitur à parte rei ab oppositis: vnde oppositа non sunt actu formaliter talia per suas entitates: sed per relationes ex natura rei distinctas ab illis accidentaliter illis convenientes; quia licet albedo ex sua natura habeat aptitudinem ad pugnandum cum nigredine, nihilominus quod nigredo actu existat accidentale est albedini, ac proinde est accidentale ipsi, vt cum illa actu pugnet, & illi actu formaliter opponatur, & vt illam actu respiciat, vt sibi oppositam.

Confirmatur, diversa sunt actualiter formaliter 202
talia per relationem prædicamentalem, & ideo quædam species relationis prædicamentalis vt sic est relatio diversitatis; sed oppositа actu sunt maxime diversa actualiter: ergo oppositа actualiter sunt talia formaliter per relationem prædicamentalem.

Secundo respondeo negando antecedens, ad 203
probationem concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem huius concedo antecedens, & nego consequentiam, imo suppositum consequentis: nam supponit in consequente idem esse contraria, & dissimilia, quod est falsum: nam contraria sunt per proprias entitates, quatenus sunt aptitudines ad expellendum se adinvicem ab eodé subiecto. Itaque illa repugnantia aptitudinalis, quæ datur in oppositis constituit ipsa in esse oppositorum; dissimilia autem non sunt, nisi per relationes dissimilitudinis resultantes supra entitates contrariorum actu coëxistentes: vnde frigus actu, & formaliter dicitur contrarium, vel propter actualem, & formalem aptitudinem dictam, & sic erit tale, etiamsi non existat calor; & nihilominus non poterit dici formaliter, & actu dissimile calori non existenti.

Vel dicitur formaliter actu contrarium propter 204
actualem, & formalem expulsionem, quam exercet frigus circa calorem, quæ non est relatio nisi actualis informatio frigoris in gradu incompatibili cum tali gradu caloris, & etiam tunc non dicetur dissimile formaliter actu per actualem expulsionem, seu actualem repugnantiam, sed per relationem resultantem in entitatibus qualitatum contrariarum, ex eo quod maximam diversitatem habeant; sicut dissimilitudo, quæ resultat in entitatibus hominis, & equi propter diversitatem essentiarum illorum; vnde evidenter sequitur frigus, & calorem non esse formaliter dissimilia, & contraria ex vi eiusdem formalitatis, licet in omnibus verificetur eadem conditio; nam sicut ea, quæ fundamentaliter, aut aptitudinaliter sunt relativa, quando reducuntur ad actum secundum relationis, reducuntur per actualem modum ex natura rei distinctum à fundamento; ita similiter contraria quæ talia dicuntur per aptitudinem ad expellendum, quando reducuntur ad actum secundum expulsionis, per quam actu opponuntur est talis reductio per modum vnionis ex natura rei distinctum à contrario expellente sibi contrarium.

Iuxta hanc secundam solutionem eo modo di- 205
centur formaliter contraria, quo homo dicitur formaliter rationalis ad quod non est necessaria relatio actualis: sed aptitudo ad intelligendum, ratiocinando, ita similiter ad hoc vt albedo dicatur contraria formaliter non est necessaria relatio prædicamentalis: sed sufficit aptitudo formalis actualis quæ datur in ipsa, vt repugnet cum nigredine, & expellat illam ab eodem subiecto.

Tandem

206 Tandem interrogo ab adversarijs, an frigus & calor quatenus actu sunt opposita, sint relativa prædicamentaliter, vel non; si hoc secundum dicant nihil contra nos: si primum, iam demonstratum est omnem relationem prædicamentalem distingui ex natura rei à suo fundamento, ac proinde asserimus, idem dicendum esse de relatione oppositionis; nam eadem est ratio huius, ac relationis diversitatis, &c. nam sicut denominatio diversitatis actualis est intrinseca respectu diversi, ita deberet esse denominatio oppositi actu dis, & sicut denominatio diversi dependet ita à termino actu existente vt destructo illo omnino destruatur, ita similiter propter eandem dependentiam destructo termino opposito, destruetur denominatio actualis oppositionis, ac proinde poterit adesse, & abesse à contrario talis denominatio præter illius entitatis corruptionem, & sic erit accidentalis, &c.

SVBSECTIO IV.

Sexta, & septima ratio solvuntur.

207 AD sextum respondeo primo, dicendo optime satisfactum fuisse ibi argumento; ad obiectionem de novo factam nego maiorem: ad probationem illius nego maiorem, & minorem, ad interrogationem explicationis respondeo per pluralitatem partium, quæ inæqualitas fundamentalis vocatur à nobis non reddi subiectum maius formaliter. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad id, quod postea additur, dico maioritatem, & inæqualitatem formalem non esse pluralitatem, paucitatemve partium in subiectis, ratione quarum vnum subiectum excedit aliud: item maioritas formalis non est vt vnum excedat aliud; sed potius est vt subiectum habens plures partes quam aliud respiciat, quod excedit, vt habens minores se ipso, & in hoc consistit fallacia adversariorum, eorumque deceptio, quia relationes solum sunt respectus; vnde nec sunt rationes excedendi, nec rationes plures: sicut similitudo non est habere albedinem in eisdem gradibus: sed potius est respectus purus inter habentia eosdem gradus; sic similiter maioritas inæqualiter, & excessus formalis non est habere plures partes, quam aliud, sed respectus inter habentia plures, & pauciores partes.

208 Secundo respondeo ad illud vltimum, dicendo tam excessum formalem, quam æqualitatem formalem, pluralitatem, & paucitatem formalem, v. g. quibus dicimus, hoc habet plures, vel pauciores partes, quam illud formaliter, hoc excedit formaliter aliud, esse relationes prædicamentales; ac proinde esse omnino accidentale quantitati habere has rationes, ac proinde sicut quantitas per suam ipsam entitatem non est formaliter; sed tantum fundamentaliter relata, ita similiter per suam propriam entitatem præcisam non excedit aliam formaliter, nec est æqualis, aut habet plures partes quam alia, nec pauciores actu, & formaliter: sed tantum fundamentaliter; nam, v. g. habere vnam quantitatem tres, vel quatuor partes est omnino independens ab alio extrinseco corpore habente etiam tres, vel quatuor partes quantitatis; at vero vnam quantitatem habere formaliter tot partes, ac alia, id est esse æqualem alteri est omnino dependens ab extrinseco termino; quia nec esse, nec concipi potest vnum esse, sicut aliud sub hoc formalissimo prædicato, sicut aliud, sine 210 aliud; vnde esse sicut aliud formaliter, aut esse æquale formaliter alteri dicit ordinem positivum ad aliud, cuius totum esse consistit in puro respectu, & actuali respicientia; atque adeo advenit accidentaliter physice rei habenti tot partes quantitatis, vel talem, & talem perfectionem in substantia, vel tot gradus qualitatis; vnde quando dicitur, quod palmus præciso quocunque modo habet tot partes, ac alius: vel plures, quam semipsalmus; respondeo distinguendo, habet plures partes fundamentaliter, vel materialiter, concedo; formaliter nego; quia hoc habet per relationem, quia excedere aliud, habere plures, quam aliud, sine dubio est conceptus relativus, cum totum suum esse habeat in ordine ad aliud, & sic non potest esse talis conceptus formaliter sine relatione formali: sicut non potest esse vnitum, vt vnitum formaliter sine vnione formali, &c.

Habere autem plures partes materialiter, aut 209 excedere materialiter, non est aliud, nisi quod palmus habeat quatuor partes, & semipalmus duas, quas potest habere palmus, etiam si non sit semipalmus, & è contra; vt autem sint plures formaliter, est necessarium quod actualiter detur palmus habens quatuor partes, & semipalmus habens duas partes, & quod palmus connotet semipalmum per habitudinem ad illum, quod est omnino accidentale illi, & fit ex vi alicuius formalitatis intrinsece existentis in palmo, cuius totum suum esse consistit in puro respectu, & in actualiter referri ad aliud, quod omnino destruitur ablato termino: palmus vero, & partes illius remanent, & sunt independentes à semipalmo: ergo hoc formaliter quod est esse plures partes supra ipsas partes addit aliquid ex natura rei distinctum ab ipsis, siquidem hoc dependet à termino, & partes quoad entitatem non dependent ab illo, & idem dicendum est de similitudine, & cæteris.

Ad septimum dico efficientiam esse à fundamento in seipsum, posito termino, ita vt positio termini sit conditio sine qua non fundamentum influit in relationem. Deinde dico, verum esse quod sit eum influentia Dei, quia omnis entitas creata actu dependet à Deo; si autem Deus suspendat suum concursum ad omnem relationem, licet maneant albedines in eodem gradu, non manebunt formaliter similes: sed solum fundamentaliter, vnde quando Aristoteles definit similitudinem per vnitates, aut gradus eiusdem rationis, non definit relationem formaliter; sed fundamentum proximum, ex quo necessario resultat ipsa relatio similitudinis: vnde illative ipsa relatio similitudinis manet definita, nam ea re vera sunt similia, quarum qualitas est vna, non ipsis qualitatibus formaliter; sed relatione superaddita, quia diversum quid est, Petrum habere quatuor gradus albedinis, & etiam Ioannem habere alios quatuor (totum enim habet vnum independenter ab alio absolute, & vt dici solet in ordine ad se) ac esse similes formaliter, nam esse similes habent cum dependentia ad invicem, ita vt vnus dependeat ab alio, & in ordine ad aliud, quod omnino accidentarium est albedini vt quatuor existenti in Petro; nam li-

cet esset impossibilis alia albedo vt quatuor existens in Ioanne, nihilominus Petrus haberet illos quatuor gradus albedinis, in quo casu non esset similis formaliter, quia similitudo formalis essentialiter petit aliam albedinem actualiter existentem.

211 Deinde respondeo licet possit Deus suspendere concursum ad hanc, vel illam numero relationem, non tamen ad omnem simul: vnde semper manebunt similes formaliter duæ albedines ex vi aliarum relationum, ad quas Deus præstat suum concursum, licet suspendat illum ad alias, quæ responsio in alio casu applicatur ab ipso Suarez; nam si interrogem ab hoc Authore, an possit Deus suspendere concursum ad omnes figuras simul, conservata quantitate, vel ad omnes præsentias; Respondet, licet Deus possit suspendere suum concursum ad hanc, vel illam præsentiam, ad hanc, vel illam figuram, non tamen ad omnes simul propter connexionem necessariam quantitatis cum figura: ergo recta est nostra solutio.

SVBSECTIO VLTIMA.

In qua secundæ sententiæ argumenta solvuntur.

212 AD primum nego maiorem, vt patet ex dictis, nam vere mutatur fundamentum intrinsece per resultantiam relationis.

213 Ad secundum nego maiorem, vt patet ex supradictis.

214 Ad confirmationem distinguo maiorem, quæ sumitur ab aliquo tanquam à forma, concedo maiorem; quæ non sumitur ab eo, tanquam à forma, nego; ad minorem distinguo, sumitur ab extrinseco tanquam à forma, nego, tanquam à requisito in obliquo connotato, concedo.

QVÆSTIO III.

Vtrum relatio prædicamentalis sit idem formaliter cum fundamento, & termino?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

1 PRIMA sententia asserit, relationem formaliter esse idem cum fundamento, & termino, itavt mea similitudo v. g. ex æquo includat vtramque albedinem, sicut homo ex æquo includit materiam, & formam: hanc sententiam tenet Durandus *in primo, distin.* 30. *quæst.* 2. P. Hurtado, *in metaphys. disp.* 15. *sect.* 13. Arriaga *in log. præd. de Relat.*

2 Probatur primo authoritate D. Thomæ *opus.* 48. *tract* 5. *de prædicamento ad aliquid, cap.* 3. vbi ait, & sic relatio differt à suo fundamento, quia relatio dicit rem sui fundamenti, & oppositum terminum, quem non dicit fundamentum, & sic relatio differt à suo fundamento, quia importat oppositum relativi, sicut enim dicimus, quod totum differt à sua parte, non sicut res à re, sed sicut illud, quod importat plus, quam pars, &c. quibus verbis dictam sententiam videtur sine tergiversatione docere.

3 Secundo probatur ratione: relatio non est modus ex natura rei distinctus à suo fundamento, neque est fundamentum solum, nec solus terminus: ergo consistit in vtroque formaliter; prima pars antecedentis iam probata manet argumentis adductis pro sententia P. Suarez, secundam partem probat P. Hurt. rationibus, quibus libens supersedeo, quia sunt pro nobis, & non contra nos, sed contra Patrem Suarez.

4 Tertio probatur, in relatione tacti, quæ est prædicamentalis, quia tangere est ad aliud; sed duo corpora habent relationem tacti præcise per coëxistentiam in duobus locis immediatis: ergo relatio formaliter consistit in vtroque extremo: patet minor, quia coëxistentia duorum corporum in duobus locis immediatis est tactus vtriusque: ergo ab illa denominantur tacta: hæc sunt omnia argumenta, quibus innittitur horum authorum sententia, omniaque à Patre Hurt. adducuntur, neque aliquid novi addidit P. Arriaga.

SECTIO II.

In qua nostra sententia ponitur, & probatur.

5 NOstra conclusio: relatio prædicamentalis non est formaliter, & essentialiter æque vtrunque extremum, fundamentum videlicet, & terminus: hæc est communis sententia Doctorum, quam vt certam supponunt, & ideo breviter eam probant.

6 Probatur primo, quia si relatio non distingueretur formaliter à fundamento, & termino, non daretur prædicamentum relationis; sed hoc est absurdum, & contra adversarios: ergo distinguitur formaliter, &c.

7 Probatur maior primo, quia vel in prædicamento relationis poneretur relatio, quæ fundatur tam in substantia, quam in accidenti; vel solum relatio, quæ fundatur in accidenti; sed non primum, neque secundum: ergo, &c. Probatur minor quantum ad primam partem, & eam concedit Hurt. asserit enim *sect.* 3. §. 42. relationes substantiales directe pertinere ad prædicamentum substantiæ; indirecte vero ad prædicamentum relationis, & ratio est, quia in sententia adversariorum relationes, quæ fundantur in prædicamento substantiæ intrinsece sunt substantia, extrinsece sunt accidens; sed prædicamentum relationis est accidens intrinsecum: ergo illæ relationes non ponuntur in prædicamento accidentis.

8 Dices, vtramque esse accidens metaphysicum, & sic poni in prædicamento accidentis.

9 Sed contra, quia esse accidens metaphysicum non tollit, quin vna relatio intrinsece, & essentialiter sit accidens, & alia tantum extrinsece, & accidentaliter; sed ex rebus, quæ extrinsece sunt tales, & quæ intrinsece sunt tales, vel participant aliquam rationem intrinsece, & extrinsece non potest constitui vnum prædicamentum: ergo, &c.

10 Minor probatur: prædicamentum constituitur ex generibus, & speciebus; sed quando aliqua ita se habent, vt vni conveniat intrinsece aliqua ratio, & alijs extrinsece, non potest dari illis aliqua ratio generica, neque specifica: ergo, &c. Maior constat ex dictis supra in anteprædicamentis.

Probatur

Probatur minor. Ideo ab homine vero, & picto non potest abstrahi ratio vnivoca, generica, neque specifica hominis, quia vni convenit intrinsece, & essentialiter, & alteri solum quoad figuram, & apparentiam, ac proinde extrinsece, & accidentaliter, & ratio huius est manifesta: quia omnis abstractio supponit convenientiam, non solum materialiter, sed etiam formaliter, convenientia autem est duplex alia adæquata, & alia inadæquata (& loquor de prædicatis essentialibus) convenientia adæquata est similitudo, & convenientia sine dissimilitudine, & disconvenientia in prædicatis essentialibus: v.g. illa, quæ datur inter Petrum, & Paulum, qui non dicunt dissimilitudinem in prædicatis essentialibus: inadæquata est, quæ secum compatitur dissimilitudinem, & disconvenientiam: v.g. illa quæ datur inter Petrum, & Bucephalum; quando autem similitudo, & convenientia est adæquata, vtrumque essentialiter, & intrinsece participat idem prædicatum adæquate idem, inquam, non formaliter sed fundamentaliter, vt Petrus, & Paulus naturam humanam; quando autem convenientia est inadæquata, vtrumque participat inadæquate idem prædicatum modo dicto, hoc est non secundum omnem rationem quo aliud illud prædicatum in se habet.

11 Tunc sic: relatio fundata in substantia, & relatio fundata in accidente, neque adæquate, neque inadæquate participant eandem rationem accidentis: ergo neque adæquate, neque inadæquate conveniunt in illa ratione: ergo ab illis non potest abstrahi ratio aliqua accidentis, quia alias ab ente reali, & rationis, ab ente intrinseco, & extrinseco posset abstrahi ratio aliqua communis vnivoca, generica, vel specifica, quod negant adversarij; & ideo non potest abstrahi ratio repræsentationis, aut signi vnivoca, generica, vel specifica à termino vocali, & mentali, aut à signo ad placitum, & à signo naturaliter repræsentativo: quia vni convenit extrinsece, & alteri intrinsece ratio signi, & repræsentationis: ergo quotiescunque duo ita se habent, vt vni conveniat intrinsece, & alteri extrinsece, aliqua ratio non poterit abstrahi ab illis, itavt sit generica, vel specifica.

12 Ergo relationes, quæ fundantur in substantia non ponuntur in prædicamento distincto ab ipsa substantia, scilicet in prædicamento accidentis: ergo neque relationes quæ fundantur in quantitate, constituent diversum prædicamentum: patet consequentia, sine necessitate, & vrgente ratione non sunt multiplicanda prædicamenta, quia alias possent multiplicari in infinitum: sed nulla datur necessitas, aut vrgens ratio, vt relatio fundata in accidenti constituat diversum prædicamentum: ergo, &c. Probatur minor.

13 Quia si aliqua esset ratio, maxime, quod ens relativum non posset poni in prædicamento entis absoluti; sed hoc est falsum: ergo &c. Maior est certa, & si non est talis, assignent adversarij aliam quam certe non assignabunt. Probatur minor, relatio, quæ fundatur in substantia est ens relativum: sed secundum adversarios per se ponitur in prædicamento substantiæ quæ est ens absolutum, quia intrinsece est substantia: ergo relatio per se poterit poni in prædicamento entis absoluti; ac proinde ponenda erit relatio, quæ fundatur in quantitate in prædicamento quantitatis, quia intrinsece est quantitas, & quæ in qualitate in prædicamento qualitatis, &c. ac proinde non dabitur diversum prædicamentum quantitatis: sed potius ruet illud sine dubio.

14 Deinde, eadem minor sic probatur: distinctio per rationem inter substantiam, & relationem fundatam in substantia non sufficit ad constituenda per se diversa prædicamenta: ergo neque sufficiet distinctio inter relationem, & accidens, in quo fundatur ad constituenda diversa prædicamenta accidentalia, quia non est maior ratio in vno, quam in alio, & si in accidenti sufficit ad constituendum diversum prædicamentum relationis accidentale, sufficiet etiam in substantia talis distinctio, ad constituendum diversum prædicamentum substantiale relationis.

15 Secundo probatur eadem prima, & principalis maior: omne illud, quod constituit diversum prædicamentum ab alio, debet distingui ab illo saltem per rationem; sed relatio neque per rationem distinguitur ab absoluto: ergo non constituit distinctum prædicamentum; probatur minor eisdem argumentis, quibus adversarij probant suam sententiam, palmus, & semipalmus per suas ipsas entitates præciso quocunque per rationem distincto sunt inæquales: ergo inæqualitas neque per rationem distinguitur à quantitatibus, & idem argumentum fit in albedine præcisa quacunque formalitate rei, vel per rationem ab albedine vt quatuor est similis alteri albedini vt quatuor: patet, similia sunt, quorum qualitas est vna; sed tunc præcisa per mentem quacunque formalitate, qualitas illarum est vna: ergo relatio similitudinis neque per rationem distinguitur ab albedine.

16 Dices albedines illas præcisa per mentem relatione non esse similes formaliter, sed virtualiter, seu materialiter.

17 Sed contra, quia hoc est incidere in meam solutionem, quam antea tu ipse oppugnabas: nam in mea sententia præcisa relatione realiter ab albedine, illa est fundamentaliter, aut materialiter similis, & sic quidquid contrarij respondeant huic argumento in distinctione per rationem, ego respondeo in distinctione modali ex natura rei, & fortasse probabilius, quia vrgentiores sunt rationes, quare si aliquid debes respondere est nec per rationem distingui ab vtraque albedine quatenus albedo est, sed vtraque albedo est absoluta: ergo etiam relatio erit absoluta, & non respectiva, ac proinde non erit relatio.

SVBSECTIO I.

In qua nostra secunda ratio principalis ponitur.

18 SEcundo sic argumentor: positis eisdem entitatibus, & existentibus illis, quæ modo sunt relata possunt actualiter à parte rei non referri: ergo relatio distinguitur ab entitatibus fundamenti, & termini simul sumptis: consequentia est evidens in principijs Patris Hurt ideo enim ipse colligit contra P. Suarez, relationem distingui à fundamento solum, quia potest dari fundamentum quin detur relatio, & ideo etiam ipse colligit, relationem non distingui ab entitatibus fundamenti, & termini simul, quia positis illis necessario datur relatio. Item hæc consequentia est evidens lumine naturæ ex illo evidentissimo principio,

cipio, quæ separantur à parte rei distinguuntur à parte rei; sed ea separantur à parte rei, quæ ita se habent, vt existentibus ijs illa non existant à parte rei, vt patet ex supra dictis: ergo actualiter referri, seu actualis relatio distinguitur ab entitatibus fundamenti, & termini: patet hæc consequentia, quia existentibus fundamento, & termino, seu entitatibus illorum, non referuntur actu, ac proinde non datur actuale referri in illis, quod est actualis relatio; sed hoc modo se habere est relationem separari ab entitatibus fundamenti, & termini: ergo relatio separatur ab illis à parte rei: ergo distinguitur ab eisdem à parte rei.

19 Antecedens, in quo tota est difficultas, sic demonstratur, quia Petrus est Pater Ioannis per relationem paternitatis, & filiationis existentem in ipsis; sed positis, & existentibus eisdem entitatibus Petri, & Ioannis simul, potest non dari in ipsis relatio paternitatis, & filiationis: ergo positis entitatibus, quæ modo sunt relatæ, & modo referuntur, possunt non referri, quia sine actuali relatione non possunt referri; nam actualiter referri seu esse actualiter relatum est effectus primarius formalis relationis, qui non potest dari sine forma relativa adhuc divinitus. Probatur maior: In tantum datur relatio paternitatis inter Petrum, & Ioannem, in quantum Petrus generavit Ioannem; sed possunt dari idem Petrus, & idem Ioannes, quin Petrus generet illum: ergo possunt existere simul, aut coëxistere Petrus, & Ioannes, quin existat relatio paternitatis in illis: maior est certissima, minor non est minus certa, quia Deus potest producere vtrunque immediate, sicut produxit Adamum sine eo quod Petrus producat Ioannem; itaque bene potuit Deus ita disponere res, vt Ioannes qui nunc productus est à Petro non productus fuisset ab illo, & Petrus qui produxit Ioannem nunc, non produxisset illum, sed ambo simul, & solum à Deo producti essent.

20 In quo casu eædem existerent entitates Petri, & Ioānis sine generatione vnius ab alio: ergo sine relatione paternitatis Petri respectu Ioannis, & sine relatione filiationis Ioannis respectu Petri, quia non datur relatio sine ratione fundandi: ergo eædem entitates Petri, & Ioannis possunt coëxistere sine relationibus, ac proinde distinguentur entitates coëxistentes à relationibus.

21 Dices, ad hoc vt dicatur Petrus pater Ioannis esse necessariam actionem generativam.

22 Sed contra, quia vel illa generatio est necessaria, vt pars relationis, vel vt conditio sine qua non, vel nullo modo est necessaria: sed non primum, neque secundum: ergo tertium; si tertium, adhuc non existente generatione poterit Petrus esse pater Ioannis. Minor illa quoad primam partem sic probatur, si actio generationis esset pars relationis, iam paternitas includeret aliquid distinctum ab entitatibus fundamenti, & termini essentialiter: ergo iam distingueretur relatio ab illis à parte rei saltem distinctione includentis ab incluso, quod est contra ipsos, qui nec formaliter, aut per rationem dicunt distingui posse coëxistentiam vtriusque extremi à relatione: ergo, &c. secundo, & efficacius, quia implicat quod generatio sit pars essentialis relationis, nam existentibus, & conservatis relationibus paternitatis, & filiationis in Petro, & Ioanne non conservatur, nec permanet actio generationis, per quam Petrus produxit Ioannem; sed non potest conservari, & permanere totum sine aliqua parte essentiali, vt videre est in homine, qui non potest conservari sine vnione, vel sine materia, aut forma: ergo generatio non est pars essentialis relationis. Maior est certa, quia generatio non durat toto tempore, quo vivunt Petrus, & Paulus (nam Petrus, & Paulus non conservantur per generationem, per quam fuerunt producti, quia illa generatio erat concursus causæ primæ, & secundæ, & modo non datur talis concursus: sed solus influxus causæ primæ conservativus illorum. Itaque certum est solum Deum conservare substantias, quæ non solum à Deo sunt productæ; vnde transeunte instanti generationis transit actio generativa Petri respectu Ioannis, quia est instantanea, ac proinde solum durat vnico instanti, & loco illius datur actio conservativa à solo Deo, quod pro certo habetur non solum ab adversarijs: sed etiam ab omnibus): sed toto illo tempore durat, & datur relatio paternitatis in Petro, & Petrus vere est Pater Ioannis: ergo non conservata actione generativa existit, & conservatur relatio paternitatis: ergo actio generativa non est pars essentialis relationis, quia nihil potest sine illo, quod est sibi essentiale perseverare. Alia multa dicuntur contra hoc argumentum ab adversarijs, quæ latè à nobis impugnantur infra *sect. 3. subsect. 2. à §. 2. pars vsque ad sect. vltimam exclusive*; videantur ibi.

Minor quoad secundam partem sic probatur, 23 quia talis solutio est contra P. Hurt. nam eodem modo potest respondere ipsius argumentis P. Suarez, qui dicit, relationem non distingui à solo fundamento, quia tota relatio est albedo existens in Petro: sed requiritur vt conditio Albedo Ioannis, vt denominet simile; item ait, relationem Paternitatis in Petro esse entitatem Petri exigentem pro conditione, & non pro constitutivo formali, & essentiali entitatem Ioannis genitam à Petro. Ecce tua ipsa formalissima solutio; sed impugnas illam acerrime, & ais non solvere difficultates, & bene ais, & meo videri *superiori quæstione* à nobis demonstratum est: ergo neque hæc solutio tua solvit argumenta evidentia supra à nobis facta contra Patrem Suarez, quæ æque efficaciter hanc solutionem tuam funditus labefactant, ac evertebant solutiones P. Suarez. Vnde omnia illa argumenta debent accommodari cuicunque solutioni, quæ à Patre Hurt. aut Arriaga dari potest. Exempli gratia; entitates coëxistentes Petri, & Ioannis non dependent à generatione, tanquam à conditione sine qua non, vel tanquam à requisito essentiali, quia si à solo Deo producerentur, coëxisterent eædem entitates, & darentur actu coëxistentes ipsæ, quæ nunc habent tales relationes paternitatis, & filiationis, & nihilominus tunc non darentur relationes, quæ modo sunt paternitatis, & filiationis in illis: ergo relationes paternitatis, & filiationis dependent tanquam à conditione, & requisito essentiali à parte rei à generatione, & non dependent illæ entitates Petri coëxistentes à parte rei à tali requisito, & conditione generationis; ergo relationes paternitatis, & filiationis distinguuntur realiter, seu ex natura rei ab entitatibus coëxistentibus Petri, & Ioannis, quia idem non potest dependere, & non dependere simul realiter

ab

ab aliquo, & ideo tu probas, relationem, & fundamẽtum non esse idem realiter contra Suarium, quia fundamentum quoad esse seu quoad entitatem, hoc est vt existat, & conservetur à parte rei non dependet à termino, & relatio paternitatis dependet realiter quoad entitatem relationis, hoc est vt sit, & conservetur à parte rei à termino; sed entitates coëxistentes Petri, & Ioannis vt conserventur, & dentur à parte rei non dependent à generatione, & relationes paternitatis, & filiationis, vt sint, & existant, dependent à parte rei à generatione Petri in Ioannem: ergo ex tuis principijs evidenter colligitur, relationes paternitatis, & filiationis distingui à parte rei à termino, & fundamento coëxistentibus.

SVBSECTIO II.

In qua tertium argumentum ponitur.

24 TErtio sic argumentor: relatio est vnum ens per se completum; sed si esset vtrumque extremum æque, non esset ens per se: ergo relatio non est vtrunque extremum. Maior est evidens, quia omne quod per se ponitur in prædicamento, est vnum ens per se completum, & ideo non ponitur populus, exercitus, & numerus, seu quantitas discreta in vestra sententia, vt patet ex anteprædicamentis, & ex argumentis, quæ contra numerum posuimus in prædicamento quantitatis.

25 Sed relatio prædicamentalis ponitur per se in prædicamento, vt lipis, & tonsoribus notum est, siquidem vnum integrum prædicamentum distinctum ab alijs est coordinatio relationum prædicamentalium, ac proinde adæquate, & complete constat ex suis relationibus prædicamentalibus: ergo relatio est vnum ens per se completum.

26 Minor prima, & præcipua sic demonstratur. Illud non est vnum ens per se, sed per accidens, quod constat ex pluribus entibus completis sine aliqua vnione per se; sed si relatio prædicamentalis, v. g. creaturæ ad creatorem esset entitas creaturæ, & entitas Dei simul, constaret ex pluribus entibus completis in actu sine vlla propria, & vera vnione per se: ergo relatio prædicamentalis non esset vnum ens per se sed omnino per accidens, si esset vtrunque extremum fundamentum nimirum, & terminus, aut constaret ex illis: ergo relatio non constat ex illis. Maior evidens est, vt patet in numero, in acervo lapidum, in populo, &c. minor quoad primam partem sic probatur: quia entitas Dei, & entitas creaturæ in omni ratione sunt entia completa, & loquor de Angelo, qui absolute, ac simpliciter completus est, ac proinde sub nulla ratione concipi possunt Deus, & Angelus vt quid incompletum; sed talis relatio creaturæ constat ex Angelo, & Deo: ergo constat ex entibus completis simpliciter in actu.

27 Dices; Angelus, & Deus non sunt incompleti quoad entitatem, sunt tamen incompleti in esse causæ, & effectus, ac proinde in esse relativi sunt incompleti.

28 Sed contra, quia tunc aliqua causa est incompleta, quando in esse causæ est partialis, & est compars alterius causæ; sed Deus quatenus est causa Angeli non est partialis causa, sed potius totalis, cum totaliter, & adæquate causet Angelum, neque indigeat ad creandum Angelum alia concausa: ergo non est incompletus Deus in esse causæ, sed potius totalis, & completus. Maior est certa; nam ideo intellectus est causa incompleta in esse causæ, quia est partialis causa indigens concursu speciei impressæ, quia ipse solus non sufficit ad producendam visionem, & sic ex intellectu, & specie impressa coalescit vna causa completa.

Vrgetur, quia Deus, & Angelus non ordinantur ad componendam, seu complendam aliam causam, quia nec Deus in quantum causa Angeli ordinatur in esse causæ ad complendam aliam causam, nec Paulus aut Angelus in esse effectus ordinantur ad complendum effectum; sicut Deus non completur in esse causæ per Angelum quatenus effectum illius: quia tunc completur aliquid in esse causæ quando per aliam causam incompletam adiuvatur, & non per illud, quod minime habet rationem causæ, sed potius rationem effectus: v. g. materia non completur in esse causæ hominis per hominem qui est effectus illius, sed per aliam causam partialem, scilicet formam; nec potentia visiva completur per visionem in esse causæ visionis, sed potius per speciem impressam quæ est alia causa partialis, sed Angelus est effectus Dei, & Deus est causa illius: ergo Deus non completur in esse causæ per Angelum, nec Angelus in esse effectus completur per Deum; sed nec per aliam causam completur Deus in esse causæ, & Angelus per alium effectum non completur in esse effectus: ergo falsum est dicere, Deum & Angelum esse incompletos in esse causæ, & effectus: ergo nec in esse relativi; quia in tantum sunt relativi, in quantum sunt causa, & effectus: sed in quantum sunt causa & effectus sunt completa entia: ergo in quantum sunt relativi sunt completi. 29

Præterea: quia per te Deus, & Angelus quoad entitates proprias sunt entia completa simpliciter; sed secundum suas entitates præciso quocunque alio sunt relativa relatione diversitatis: ergo in esse relativorum sunt completi. Minor hæc sic demonstratur, quia in tantum Deus est diversus à creatura, dissimilis & distinctus ab ea, in quantum Deus est increatus, infinitus per essentiam, actus purus, & infinite perfectus, &c. & creatura est finita per essentiam, limitata, & imperfecta. Itaque creatura præciso quocunque modo ex natura rei distincto ab ipsa creatura est diversa à Deo, & dissimilis ipsi ex vi propriæ finitudinis, limitationis, & imperfectionis, & Deus ex vi talium perfectionum, quas annumeravimus, dicit diversitatem respectu creaturæ; atqui tales perfectiones non conveniunt Deo ratione alicuius distincti à se, sed sunt ipsa entitas, & substantia Dei. Item imperfectiones creaturæ iam supradictæ non conveniunt entitati illius ratione alicuius superadditi, sed potius sunt ipsa entitas, & essentia creaturæ: ergo creatura, & Deus sunt diversi non per aliquid superadditum, sed ratione propriarum entitatum: Vnde si essent incompleti secundum quod relativi, essent incompleti secundum quod diversi, aut tandem essent incompleti secundum proprias entitates, siquidem per proprias entitates sunt diversi. 30

Consequentia prima & præcipua est manifesta; quia quidquid convenit subiecto ratione prædicati superioris, convenit ipsi ratione prædicati inferioris; sed Deo, & creaturæ convenit esse 31

completum ratione entitatis:ergo conveniet ipsis ratione talis entitatis, id est relativæ; vel aliter clarius, quando respectu alicuius prædicati subiectum est tale, necessario est tale respectu eiusdem prædicati, vt ex terminis patet; sed ratione propriarum entitatum Deus,& Angelus sunt completi: ergo ratione relationum, vel quatenus sunt relativi, sunt entia completa: quia idem est esse relativum in illis relatione diversitatis,ac esse talia entia,quia per tales entitates,& non per aliud sunt diversi, distincti, & dissimiles, hoc est relativi relatione disquiparantiæ;ratio autem à priori, cur Deo (qui diversus dicitur à vobis relatione diversitatis respectu creaturæ)conveniat ratio completa in omni genere, est manifesta, quia esse ens completum, est perfectio simpliciter simplex, ac proinde perfectio sine imperfectione ex vi præcisa entis completi; sed omnis perfectio simpliciter simplex debet in omni genere convenire Deo, itavt in nullo genere detur perfectio simpliciter simplex, quæ non conveniat Deo: ergo ratio entis completi convenit in omni genere Deo: ergo in genere relativo convenit illi ratio entis completi, vt videre est in relationibus ad intra: nam Pater æternus est completus in esse personæ; sed non est persona absoluta,sed relativa: ergo in esse relativi est completus Pater æternus,quia est perfectio, ratio completi, & contraria ratio est summe imperfecta,& ideo fides catholica absolute definit (cuius oppositum est aperte hæreticum) Deum nullo modo esse partem formalem, materialem, integralem, aut in esse naturæ, vt aperte demonstrat P.Suarez *tom. 1. in primam p.lib.1. de essentia Dei, cap.5. per totum.* Idem demonstrat P. Vasq. *tom.1. in prim. p.disp.22. q.3. art.8. n.27. §. confirmatio articuli,* & ratio manifesta est, quia in nullo genere potest esse incompleta entitas;omnis enim pars est incompleta, & ideo nullo modo potest esse pars, quin sit incompleta ratio, quia sicut pars est quæ componit totum,ita incompleta ratio constituit completum, seu componit illud; atqui fides catholica excludit à Deo rationem incompletam, & partialem in ratione materiæ non propter rationem differentialem materiæ, alias non excluderet rationem partis formalis seu rationem formæ, quæ non est materia: ergo excludit illam propter rationem partis vt sic,aut incomplementi,vt sic.

32 Dices,excludere rationem partis essentialis, vt sunt materia,& forma.

33 Sed contra manifeste; quia etiam excludit fides catholica à Deo rationem partis integralis,ac proinde incompletam rationem integralem, quæ non est pars essentialis, imo non convenit cum materia, & forma in alia ratione differentiali,nisi in ratione præcisa vniversalissima partis vt sic, & incompleti vt sic: ergo non hanc, vel illam rationem incompleti, sed omnem rationem incompleti excludit à Deo, itavt in nullo genere aut in nullo munere possit Deus esse incompletus à parte rei, quia ratio incompleta est imperfectio; quæ in nullo genere potest Deo convenire; sed per vos incomplementum in esse relativi est vera, & propria ratio incompleta: ergo est imperfecta: ergo nullo modo potest concedi Deo ratio incompleta in esse relativi: ergo in esse relativi est completus sine aliquo incomplemento.

34 Quod adeo verum est vt si in aliquo munere admisceretur ratio incompleta, non posset Deus exercere tale munus,&ideo non potest Deus exercere munus partis integralis, materialis, aut formalis, quia in tali munere admiscetur ratio partis,& incompleti:ergo si in munere componendi relationem prædicamentalem admiscetur ratio partis,& ratio incompleta per se(de hac enim solum loquimur, quæ necessaria est solum ad componendum vnum ens per se prædicamentale,qualem dicitis esse relationem, & ideo non loquimur de incomplemento per accidens,aut de parte alicuius entis per accidens,quia non est ad rem)tale munus non posset convenire Deo,ne Deo conveniret imperfectio simpliciter imbibita in tali munere,& admixta illi:ergo relatio creaturæ ad creatorem aut non est ens per se vnum,si componitur ex creatura,& Deo,& si est vnum ens per se non componetur per se ex creatura, & Deo, alias Deus erit pars per se, & incompletus per se in aliquo genere,ac proinde imperfectus in illo genere.

Evidentius hoc demonstratur: quia quando 35
concurrunt in aliquo,subiecto duæ denominationes quasi oppositæ subiectum illud non denominatur simpliciter à perfecta,sed potius ab imperfectiori, vt v.g. quia in homine concurrunt duæ rationes incorruptibiles,materia scilicet,& anima rationalis,& solum concurrit altera ratio corruptibilis, non dicitur simpliciter incorruptibilis propter illas licet principaliores sint respectu hominis;sed potius dicitur absolute, ac simpliciter corruptibilis ab vnione,quæ minus principalis est respectu hominis.Item quia in capite,manu, aut pede dantur duæ rationes,seu denominationes,altera completi,aut totius essentialiter(totum enim essentialiter,& completum est caput,quia constat ex materia prima,& anima rationali, & ideo caput essentialiter non componit hominem, quod clarius videtur in digito,pede,& manu, sine quibus non solum divinitus, sed etiam naturaliter conservatur totus homo essentialiter, seu tota essentia completa hominis) altera incompleti, aut partis integralis,absolute, & simpliciter dicuntur partes,& incomplete rationes sine aliquo addito, & ideo dicimus,caput est pars hominis,& digitus est incompleta ratio illius;imo vt caput vocemus totum,& completam rationem,debet esse per aliquod additum,scilicet essentialiter,& ratio à priori est,quia bonum ex integra causa,malum autem ex quocunque defectu;vnde cum in omni genere manus,& caput non sint completa,licet in principaliori genere sint talia,absolute incompleta nominantur;sed licet Deus essentialiter sit completus, nihilominus est per se incompletus per vos quatenus componit relationem,quæ est vnum ens per se:ergo ab hac ratione debet simpliciter,& absolute vocari incompletus, & non simpliciter, & absolute completus:sicut v.g. si Deus haberet quancunque etiam minimam ignorantiam, aut corruptibilitatem,non deberet vocari simpliciter, & infinite sapiens, & incorruptibilis, sed potius corruptibilis,& ignorans,quia bonum ex integra causa,malum autem ex quocunque defectu;sed secundum nostram fidem catholicam, vt patet ex Concil.Lateran.*cap.firmiter,de summa Trinit.& fide Catholica*, & ex Concil. Remensi contra Gilbert.Porret.& ex Leone Papa *epist.91.alias 93.ad Toribium,*& ex multis sacræ Scripturæ locis constat,Deus est simpliciter, & absolute completus, itavt absolute non possit dici incompletus, aut pars alicuius:ergo minime est incompletus in aliquo genere,sive relativo,sive absoluto.Minor illa

prima

prima quoad secundam partem,

36 Scilicet quod nulla detur vnio per se inter extrema relativa prædicamentaliter, sic probatur; quia vel illa vnio realis est idem, ac ipsæ entitates, Dei videlicet, & creaturarum, vel aliquid distinctum ab illis. Si est idem, quod ipsæ entitates: ergo non fit ens per se per illam vnionem, quia si entitates ex se non faciunt vnum ens per se, nec illa vnio faciet; cum illa vnio sit idem ac ipsæ entitates; nam quod non facit aliquid, non facit idem.

37 Item, quia semper vnio distinguitur ex natura rei à terminis vnitis, vt ipse Hurtado fatetur: ergo relatio convenientiæ inter Petrum, & Paulum secundùm essentias non solum sunt ipsæ entitates Petri, & Pauli coëxistentes, sed aliquid aliud distinctum ab illis, quod est expresse contra Hurtado, qui sic probat, relationem nihil addere supra entitates coëxistentes Petri, & Pauli, quia præciso quocunque alio inquit Hurtado, distincto ab essentijs Petri, & Pauli, ipsæ essentiæ, & entitates illorum conveniunt essentialiter, quia sicut Paulus est homo essentialiter præciso quocunque alio à sua essentia, ita Petrus est homo, etiam præciso quocunque distincto ab ea; sed hoc est dicere relationem: ergo præciso quocunque, &c. vnde superflua est quæcunque vnio ad tales relationes convenientiæ: ergo relatio in tua sententia sunt solum duæ essentiæ completæ in esse essentiæ sine aliqua vnione per se: ergo relatio est ens per accidens, & non vnum per se, siquidem coalescit ex duobus entibus completis sine aliqua vnione per se.

Dices, ad hoc vt aliquid sit ens omnino per accidens non solum debere coalescere ex duobus completis sine vnione, sed etiam ex duobus diversorum prædicamentorum.

38 Sed contra manifeste: quia licet relatio convenientiæ non coalescat ex duobus entibus diversorum prædicamentorum, nihilominus relatio diversitatis, quæ datur inter quantitatem & substantiam, qualitatem & vbi, coalescit ex rebus completis diversorum prædicamentorum: ergo talis relatio est omnino per accidens.

39 Secundo sic patet manifeste secunda pars illius minoris præcipuæ, quia per te relatio creaturæ ad Creatorem, aut effectus ad causam, aut diversitatis, & dissimilitudinis coalescit ex creatura, & Deo; sed inter Deum, & creaturam nullam aliam vnionem physicam per se cognoscit fides Catholica, nisi vnionem hypostaticam inter Verbum Divinum, & naturam humanam Christi Domini: ergo talis vnio per se inter Deum, & creaturam nullo modo est concedenda, sed potius vt fictitia reijcienda, quia nihil novi debet introduci, non solum in reipsa, sed quoad modum loquèdi circa Deum, quod non contineatur in sacra Scriptura definitum sit à Concilijs, traditum sit à Patribus, & sanctis Doctoribus Ecclesiæ, quia in re tam gravi sine huiusmodi luce nec latum vnguem debemus pedem movere; sed nec Sancti, nec Scriptura, nec Concilia, nec Theologi cognoscunt aliquam per se vnionem (præter hypostaticam dictam) inter Deum, & creaturam: ergo nullo modo est concedenda, ac proinde tales relationes coalescent ex creatura, & Deo sine aliqua vnione per se.

40 Quod denuo sic probatur; quia non solum vna, sed pene infinitæ relationes, effectus videlicet convenientiæ, & disconvenientiæ dantur creaturæ ad Deum: nam lapis v.g. dicit relationem effectus ad Deum, & etiam relationem convenientiæ ad ipsum, quatenus lapis est substantia: Item dicit relationem disconvenientiæ; quia lapis est corpus, & sic de cæteris: ergo si relatio petit vnionem per se inter extrema relata dabuntur inter Deum, & creaturam infinitæ vniones per se essentiales, & accidentales, quia vnumquodque accidens creaturæ distinctum ab alio, dicit relationem distinctionis, & diversitatis ad perfectiones, & attributa divina.

Item inter suppositalitatem creatam, & suppo- 41
sitalitates divinas dabuntur quam plurimæ vniones per se: quia inter tales suppositalitates, aut personalitates dantur quamplurimæ relationes convenientiæ, & disconvenientiæ.

Sed concedere tot, ac tantas vniones per se est 42
inauditum, & meo videri, aut hæreticum, aut erroneum, aut minimum temerarium; quia sine sufficienti fundamento, & contra communem sensum Doctorum asseritur ad minutias relationis defendendas inaudito modo res, & incommoda tam indecentia Deo, ex quibus ingentia inconvenientia oriuntur.

Verbi gratia quod quæcunque creatura sit ado- 43
randa adoratione latriæ; nam si propter vnionem hypostaticam adoratur Christus Dominus aut humanitas eius, quia vnitur, aut habet vnionem ad Deum per se: ergo lapis, qui vnitur per se non solum vna vnione per se, sed innumeris adorandus erit.

Vrgetur, quia si Crux ex eo quod contactum 44
habuit ad Christum Dominum non propter vnionem per se, sed propter contactum solum adoratur adoratione latriæ, à fortiori lapis, qui in vestra sententia vnitur per se infinitis vnionibus non cum humanitate Christi, sed cum ipso Deo immediate, adorari deberet in vestra sententia, quod est summum absurdum.

Præterea, quia species sacramentales, quia ha- 45
bent talem vnionem ad corpus Christi adorantur, & sanctæ vocantur: ergo creaturæ omnes adorabuntur propter vnionem ad Divinitatem per se.

Tandem, quia Deus est sanctitas essentialiter: 46
ergo si vnitur animæ rationali, aut Angelo, sanctificabit illam, & Angelum. Imo expellet ab anima peccatoris omnem maculam peccati, nec desinet vllo modo ex vi talis vnionis per se animum hominis esse in peccato, sed potius impeccabilem reddet illum; sed per vos ad componendam relationem prædicamentalem convenientiæ & disconvenientiæ, effectus & creaturæ, omnis anima rationalis vnitur per se cum essentia Divina: ergo sanctificatur talis anima (multo magis, ac perfectiùs, quam sanctificatur per vnionem ad gratiam habitualem) & reddetur impeccabilis absolute, quod est summum absurdum, & aperte contra fidem catholicam.

Vrgetur amplius, quia quotiescunque duæ sub- 47
stantiæ vniuntur per se tanquam incompletæ in aliquo genere, resultat vnum ens per se substantiale; sed Deus, & creatura in genere relativo sunt duæ substantiæ incompletæ, & vniuntur per se: ergo substantialiter vniuntur: ergo ex eis coalescit vna substantia per se; ideo enim ex materia, & forma resultat vnum per se substantiale essentialiter compositum, quia materia, & forma ex quibus coalescit sunt duæ substantiæ incompletæ essentialiter, aut in genere essentiali, & vniuntur per se, & ideo ex capite, manibus, & pedi-

bus coalescit vnum ens per se substantiale, quia manus, caput, pedes, &c. sunt partes in genere integrali incompletæ, & vniuntur per se quatenus tales; sed omnia elementa, & mixta, omnes cæli, & Angeli; item Deus sunt substantiæ, & in genere relativo per vos incompletæ, & per se vniuntur: ergo substantialiter per se vniuntur, quia omnis vnio inter substantias quatenus substantias, est vnio substantialis: quia vnio sequitur res, quarum est vnio. Vnde vnio inter materiam, & formam, inter partes substantiales integrales, inter naturam substantialem, & suppositalitatem, est sine dubio, & sine controversia vnio substantialis, quia tales entitates sunt substantiales; sed essentiæ omnium creaturarum dictarum, & essentia Dei quatenus tales essentiæ præciso quocunque alio distincto sunt relativæ, & componunt relationem dictam convenientiæ, disconvenientiæ, &c. & ad talem relationem componendam vniuntur per se: ergo talis vnio est substantialis, quia tales essentiæ quatenus essentiæ, & quatenus componunt relationem sunt substantiæ.

48 Ergo ex Deo, & ex omnibus creaturis fit vnum ens per se substantiale, ac per se vna substantia: sicut ex materia, & forma, ex partibus integrantibus, ex natura, & personalitate fit, & resultat vna per se substantia.

49 Hæc adeo summa, & ingentia absurda sunt, vt omnes Catholicas aures sine dubio terreant.

Confirmatur, quia omnis vnio est in ordine ad compositionem: ergo si Deus vnitur per se in ordine ad constituendam relationem, sine dubio componet per se illam; sed omnis compositio adæquate dividitur in compositionem essentialem, integralem, & hypostaticam, aut suppositalem: ergo Deus aliqua ex ijs debet componere relationem; sed non suppositaliter, vt de se patet, nec integraliter: quia pars integralis non est de essentia totius, & essentia illius potest salvari sine aliqua parte integrali, vt hominis essentia salvatur sine brachio, & essentia quantitatis sine vna parte integrali; sed essentia relationis nullo modo potest salvari sine aliquo ex extremis, ac proinde vtrunque extremum essentialiter petit: ergo Deus, qui est terminus relationis creaturæ, componet sine dubio relationem essentialiter; sed omnis pars essentialis aut est materia, aut forma: ergo Deus aut est materia, aut forma talis compositionis: sed apertè definitum est in Concil. Lateranen. *cap. damnamus*, Deum minime componere, neque vt materiam, neque vt formam: ergo Deus minime essentialiter componit relationem.

50 Declaratur amplius, quia relatio non debet esse entitas simplex per se suppositò quod coalescit ex duobus entibus: ergo est composita; sed non per aliquam vnionem, vt patet ex dictis: ergo sine vnione: ergo non est composita per se, etiam si vtrunque extremum sint entia incompleta: sicut v. g. ex materia prima, & anima rationali D. Petri non coalescit vnum ens per se, quia nulla datur nunc vnio per se inter illas, etiam si sint entitates incompletæ.

51 Item, quia per vos ex accidenti, & substantia non resultat vnum ens per se; sed ex accidenti, & substantia resultat relatio diversitatis: ergo talis relatio, quæ resultat ex illis non est ens per se.

52 Vltimò; ad addendam maiorem vim his argumentis sic insurgo, quia inter materiam primam, aut inter animam Petri, & ipsum Petrum datur relatio disconvenientiæ aut dissimilitudinis in ratione completi, & incompleti, quod clarius sine vlla æquivocatione patet in anima quacunque rationali, & Angelo; è contra vero vnus Angelus cum alio in ratione completorum maxime convenit, & assimilatur, dicuntque relationem convenientiæ, & dissimilitudinis, quæ necessariò requirit ad hoc vt sit talis, vt Angeli sint completi, quia talis convenientia est illorum, quatenus sunt entia completa, imo non convenirent, si non essent entia completa tali genere relationis seu convenientiæ, provt distinctæ à relatione, quæ datur inter incompleta, v. g. inter duas animas rationales, aut inter duas materias primas, quarum convenientia, & relatio requirit, necessario esse entia incompleta: ergo relatio similitudinis, aut convenientiæ Angelorum quatenus sunt completi, petit necessario, & essentialiter vt talia extrema sint completa formaliter; sed talia extrema, quatenus talia, & in quantum conveniunt in esse completorum componunt necessario talem relationem convenientiæ completorum, quæ distinguitur à relatione disconvenientiæ completi, & incompleti, & à relatione duorum incompletorum: ergo compositio talis relationis formaliter, & in actu exercito petit, vt componentia sint completa formaliter quatenus completa: ergo talis compositio relationis non est compositio per se, & rigorosa, sed potius omnino per accidens, ac proinde totum cõpositũ, quod est relatio, non erit vnũ ens per se rigorosum, sed potius omnino per accidens: hæc consequentia exẽplis demonstratur. Ideo acervus lapidum, exercitus, & numerus, hic in tua sententia, illa in omnium, sunt entia omnino per accidens, & non per se, quia compositio illorum petit vt extrema componentia, quatenus componentia in actu exercito sint entia completa in actu, & idem est de verso, qui componitur ex Deo, & creaturis, & è contra ideo homo est vnum compositum per se, sive essentialiter, sive integraliter, quia compositio illius petit vt extrema talis compositionis, vel quæ componunt tale compositum sint in actu exercito entia incompleta, & minime completa actu.

Sed compositio relationis convenientiæ duorum completorum, quatenus completorum petit necessario, & in actu exercito, vt extrema, quæ talem relationem componunt, quatenus componunt illam, sint entia completa in actu omnino, & per se, quod sic patet. Quia in tantum duo Angeli componunt talem relationem, in quantum conveniunt, quia in tantum componunt talem relationem in quantum sunt relativa vel fundant talem relationem, saltem nostro modo concipiendi, & fundant illam quatenus conveniunt, ac proinde componunt relationem quatenus conveniunt; sed conveniunt tali convenientia, de qua nunc loquimur (etiam si aliàs per alias convenientias etiam conveniant in reliquis prædicatis essentialibus, aut accidẽtalibus) quatenus sunt entia completa formalissime; quia si non essent entia completa, non convenirent tali convenientia, vt de se patet: ergo quatenus sunt entia completa formalissime componunt talem relationem convenientiæ. 53

Ergo talis compositio relationis convenientiæ completorum non est per se, sed per accidens, 54

ac proinde relatio, quæ componitur, non erit ens per se; sed per accidens. Ratio autem à priori huius conclusionis est, quia vnum completum omnino non indiget per se alio: ergo non petit per se aliud: ergo quando illi aliud completum adiungitur non per se illi adiungitur: ergo per accidens illi adiungitur, ac per consequens per accidens illi vnitur; quia idem est adiungi, & vniri: vnde vnio non erit per se; sed per accidens inter illa: ergo vnum, quod resultat ex illis non erit per se: sed per accidens; sed vt componatur relatio convenientiæ duorum completorum, est necesse vt vnum adiungatur, seu vniatur alteri completo: ergo talis compositio est per accidens.

55 Deinde ex his omnibus demonstro, falsam esse solutionem adversariorum, nimirum relativa, vt relativa semper esse incompleta in esse relativorum, quia vt iam diximus, convenientia, vt convenientia in esse completorum sunt relativa, vt relativa; sed convenientia vt convenientia in casu à nobis posito non sunt incompleta, sed completa formalissime: ergo relativa vt relativa in eo casu sunt incompleta formalissime.

SVBSECTIO III.

Quartum argumentum ponitur.

56 QVarto sic argumentor, vnum relativum est oppositum realiter suo termino, & ipsa relatio est oppositio realis, per quam constituitur relativum in esse oppositi, à parte rei respectu termini: ergo relativum formaliter, & relatio non est idem, quod fundamentum, & terminus: sed aliquid distinctum à parte rei à termino. Antecedens est certissimum, vt patet ex D. Thoma 1. *p. quæst.* 28. *art.* 2. *in corpore*; vbi sic ait: respondeo dicendum, quod ex eo, quod aliquid alicui attribuitur, oportet quod attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illius; sicut cuicunque attribuitur homo, oportet, quod attribuatur ei esse rationale; de ratione autem relationis est respectus vnius ad alterum secundum quem aliquid alteri opponitur relative: cum igitur in Deo realiter sit relatio, oportet, quod realiter sit ibi oppositio, relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem: vnde oportet quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quæ est essentia, in qua est summa vnitas, & simplicitas: sed secundum rem relativam.

Explicans autem amplius ad primum, respectu cuius detur distinctio in vna relatione, ait esse respectu alterius relationis, quatenus est terminus talis oppositionis relativæ: verba D. Thomæ hæc sunt, & similiter licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, & similiter filiatio: tamen hæc duo in suis proprijs rationibus important oppositos respectus; vnde distinguuntur ad invicem; vbi Angelicus Doctor ex oppositione, quam habet relatio vt sic (provt abstrahit à creata, & increata) respectu sui termini, propter quam distinguitur relatio à suo termino, evidenter convincit paternitatem in Divinis opponi realiter filiationi, quia est terminus talis paternitatis, ac proinde distingui à parte rei ab illa: in quo procedit D. Thomas eo modo, quo D. Anselmus, quando dixit, in divinis omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio; quæ verba protulit *lib. de processione Spiritus Sancti, cap.* 3. vbi etiam distinctionem divinarum personarum probavit ex oppositione relationis vt sic; quæ reperitur inter Patrem, & Filium, &c. ergo sine dubio dicendum est, vnum relativum, & vnam relationem oponi realiter relationi oppositæ, & termino, quam oppositionem expresse docuit Aristoteles *prædicam. de ad aliquid, & lib.* 3. *met. cap.* 4. dum divisit oppositionem vt sic in quatuor species celebres oppositionis, contradictoriam nimirum, privativam, relativam, & contrariam; de qua divisione late egit D. Thomas *q.* 7. *de potentia, art.* 10. & super *lib.* 10 *met. Aristotelis, c.* 7.

Ratio autem huius oppositionis consistit in hoc, quod relativum vt sic, & terminus habent inter se talem habitudinem, & conditiones ita distantes, vt necessario requirant inter se distinctionem; nam relativum est id, quod aliud respicit, terminus autem est id, quod respicitur ab alio, atque ita ex proprijs rationibus requirunt alieitatem, vt sic dicam: hæc autem oppositio inter relationem, & terminum solet vocari oppositio terminativa, vt distinguatur ab alia oppositione quæ datur inter ipsas relationes, quæ non consistit in hoc, quod semper vna relatio respiciat aliam, vt terminum; sed in hoc quod vna respiciat vt terminum id, quod est fundamentum alterius; & è converso, seu quod idem est, quia habent oppositas rationes: nam vna refert suum subiectum ad aliud, alia vero è contrario refert illud aliud ad id, quod erat subiectum alterius: ex quo talem inter se habent repugnantiam, vt non possint ambæ relationes vni, & eidem simul inesse, quia non potest vnum, & idem esse fundamentum, & terminus respectu eiusdem simul: vnde idem non potest esse pater, & filius simul respectu eiusdem; hanc oppositionem vocavit D. Thomas *quæst.* 7. *de potentia, art.* 8. *ad* 4. formalem oppositionem; nam est inter proprias formas, quatenus se mutuo excludunt ab eodem subiecto; & hæc solet etiam relativa, & non terminativa vocari: vnde eadem entitas relationis potest habere cum altera, & oppositionem terminativam, & relativam, vt postea dicemus.

Itaque non potest dubitari, quin tota relatio, & totum relativum opponantur realiter cum suo termino; quod expresse docent præter D. Thomam, & Anselmum Concilium Toletanum 11. *in confessione fidei*, vbi ex oppositione relationis realis vt sic colligit oppositionem divinarum relationum, ac proinde distinctionem à parte rei inter illas; idem docet Concilium Nicenum, cuius testimonium citat Bessar. *cap.* 6. *suæ orationis, ex lib. ad Ablauium*, quod asseruit expresse Augustinus *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 4. Nazianzenus *oratione* 1. Ioannes Theologus ex sententia Græcorum Patrum, & præsertim Gregorij Nazianz. in Concilio Florent. *sess.* 18. *post medium*, & ideo Concil. Toletanum sic ait, quod Pater est non ad se: sed ad Filium, & quod Filius est non ad se: sed ad Patrem est; vbi duo indicat: primum oppositionem inter Patrem, & Filium, ita vt Pater secundum totum esse Patris, quatenus tale opponatur filio; & è contra, secundum vt ater, secundum quod Pater est, distinguatur à filio, quo probatum manet Antecedens principale.

Consequentia

57 Consequentia prima, & præcipua, in qua est difficultas, sic demonstratur: quia oppositio inter duo non potest esse vtrumque extremum oppositum ratione illius oppositionis; sed relatio est oppositio realis, vera, & propria inter Patrem, & filium v.g. ergo talis relatio v.g. Paternitas non est vtrumque extremum oppositum ratione paternitatis. Maior sic probatur inductione: nam oppositio contradictoria inter duo v.g. inter hominem, & non hominem non potest esse vtrumque extremum formaliter, scilicet homo, & non homo, itavt oppositio, qua homo opponitur non homini sit non solum entitas hominis, sed etiam formaliter non homo, qui est negatio hominis. Item nullus sanæ mentis potest dicere oppositionem, qua formalissime opponitur privatio formæ non solum esse ipsam privationem, sed etiam formalissime ipsam formam; quia certissimum est, oppositionem ex parte privationis ad formam minime includere ipsam formam vt partem constitutivam talis oppositionis, sed potius totaliter, & adæquate per se solam opponi privationem formæ, & non per se, & per formam formæ: sicut albedo non opponitur nigredini propria oppositione contrarietatis, aut adæquate aut inadæquate per ipsam nigredinem, sed solum per propriam entitatem. Itaque in vnoquoque opposito respectu alterius nihil aliud est oppositio adæquate, & totaliter, nisi repugnantia quæ datur in vno opposito respectu alterius. Vnde privatio, aut albedo non opponuntur suis oppositis per ipsa opposita.

58 Quod sic demonstro evidenter: Nam si vnum oppositum opponeretur alteri per alterum oppositum; v.g. tenebræ per lucem ipsi luci, & calor frigiditati per ipsam frigiditatem, idem sibi oponeretur, quod est maximum absurdum: Nam sicut idem non potest distingui à seipso realiter, ita imo à fortiori non potest sibi ipsi realiter opponi, nec vt quo, nec vt quod: quia oppositio realis includit essentialiter distinctionem realem.

59 Sequela illa sic manifeste demonstratur: quia quando aliqua opponuntur alicui propter aliquam rationem, non solum illa opponuntur tali extremo, sed etiam formalissime opponitur tali extremo ratio illa propter quam opponuntur ea: v.g. quia tenebrosum opponitur luminoso propter tenebras, non solum opponitur id, quod est tenebrosum luminoso, sed à fortiori, & magis opponuntur luminoso ipsæ tenebræ, & quia aqua frigida opponitur igni calido contrarie, non solum ipsa aqua, sed à fortiori, & magis opponitur frigiditas aquæ, quæ est ratio, propter quam aqua opponitur calori, & igni calido; vt patet ex illo evidentissimo axiomate; propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Item si homo opponitur equo propter rationalitatem, à fortiori opponitur rationalitas equo, & si peccator ratione peccati opponitur gratiæ, à fortiori ipsum peccatum opponetur gratiæ: ergo si vnum oppositum v.g. tenebræ opponitur luci propter ipsam lucem, & ratione lucis formaliter, à fortiori ipsa lux sibi realiter opponetur, ac proinde à se realiter distinguetur; sed hoc est impossibile: ergo impossibile est, quod vnum oppositum opponatur alteri ratione illius: ergo vnum oppositum quatenus oppositum non est vtrunque extremum, sed potius quid omnino, & adæquate distinctum ab altero termino opposito, ac per consequens oppositio vnius oppositi respectu alterius, v.g. tenebrarum respectu lucis, peccati respectu gratiæ, non erunt tenebræ, & lux, peccatum, & ipsa gratia, sed potius ipsa ratio tenebrarum, & sola adæquate ipsa malitia peccati. Nam si oppositio formalis lucis ad tenebras esset lux, & essent tenebræ, lux constitueretur in esse oppositæ tenebrarum per entitatem lucis, & per ipsas tenebras simul adæquate, & inadæquate per ipsas tenebras: ergo inadæquate opponeretur lux tenebris per tenebras, ac proinde aliquid opponetur illi per ipsum aliud, ac proinde idem sibi ipsi opponetur realiter, & per consequens à seipso distinguetur realiter, quod est falsissimum: ergo oppositio vnius ad aliud non includit vtrunque extremum oppositum, sed tantum se habet ex parte oppositi cum adæquata distinctione respectu alterius, ac proinde nec concretum ex tali oppositione v.g. Pater erit pater, & filius simul generans, & genitum, sed potius erit tantum generans cum relatione paternitatis adæquate distincta ab ipso filio, & genito.

Ratio autem à priori videtur esse, quia oppositio vt sic nihil aliud est quam repugnantia, seu antypatia, aut capacitas, quæ datur in vno opposito vt destruat totaliter aliud, itavt nihil illius remaneat simul cum oppositio, sed totaliter, & adæquate expellatur à subiecto, in quo est alterum oppositum secundum id, quo formalissime pugnant, & opponuntur: v.g. oppositio, quæ datur in morte respectu vitæ, & in cæcitate respectu visus est quædam repugnantia, antypatia, seu capacitas, vt mors destruat totaliter vitam, & in cæcitate, vt destruat totaliter visum. 60

Dixi, secundum id, quo formaliter pugnant, &c. quia aliqua opposita non se adæquate destruunt, vt frigiditas non adæquate destruit calorem, sed solum gradus illos caloris, secundum quos formaliter pugnat vtrumque oppositum; sed talis repugnantia, vt destruat suum oppositum, non potest adæquate, aut inadæquate, includere alterum sibi oppositum formale, alias seipsum destrueret, & expelleret; imo à contrario sensu, nunquam vnum contrarium expelleret aliud, aut destrueret illud; quia vnum contrarium est ipsum, & aliud contrarium per vos: sed idem non se destruit, nec adæquate, nec inadæquate, ideſt totum non se destruit totaliter, nec aliquam partem sui, nam si aliquam partem sui destrueret totum, totum se ipsum destrueret, quod est impossibile, cum nihil destructionem propriam intendat; sed vnum oppositum est totum coalescens ex vtroque extremo oppositio, v.g. si contrarium est idem, quod albedo, & nigredo, & oppositum privativum sunt tenebræ, & lux. Oppositum complerum contrarium erit totum quoddam ex natura sua coalescens ex albedine, & nigredine, ex frigiditate, & calore: itavt totum illud solum sit complete, & perfecte contrarium, & vnaquæque ex illis qualitatibus non sit oppositum completum, sed potius incomplete oppositum: sicut complete homo non est materia, neque forma, sed compositum ex vtraque; atqui totum non potest destruere aliquam partem sui, ac proinde non potest contrariari illi: ergo non potest albedo destrui vllo modo à contrario, ex quo evidenter sequitur nullum habere contrarium, siquidem de ratione contrarij est, vt sit destructivum, & destruat sibi oppositum. 61

Dices, totum non destruere partem, nec coales- 62

cens

cens ex albedine, & nigredine destruere nigredinem, ac proinde nigredinem non opponi contrarie compositio illi ex albedine, & nigredine coalescenti (alias natura ipsa sibi contraria esset, & se destrueret, quod est absurdum: Nam si albedo esset contraria toti, destrueret totum, & totum destrueret suam partem; sed natura petit, vt pars conservet totum, constituat illud, componat, & non destruat ipsum. Item natura totius requirit, vt totum non destruat suam partem, alias se ipsum destrueret, ac proinde natura sibi contrariaretur) sed potius nigredinem opponi albedini, ac proinde nigredinem destruere albedinem, & è contra sicut, v. g. frigiditas non contrariatur alicui composito ex ipsa, & calore: sed solum calori.

63 Sed contra primo manifeste, quia non potest exercere aliquod munus, nec in actum secundum se reducere aliquod subiectum si sit incomplete constitutum in actu primo proportionato tali actui secundo, v. g. non potest homo intelligere actu, nisi completus sit in esse intellectivi, &c. sed destruere vnum aliud, aut expellere ipsum est actus secundus oppositionis: ergo quod non est complete, & adæquate oppositum complete, & adæquate constitutum in esse oppositi, non potest destruere, aut expellere aliud quod est se reducere ad actum secundum oppositionis; quod patet exemplo aduersariorum; ideo enim ipsi asserunt, calorem vt tria non posse expellere frigiditatem vt tria, quia calor in tribus gradibus, aut in illo statu non est complete constitutus in ratione oppositi cum frigiditate, aut respectu illius: quando autem constituitur ab octavo gradu, quia complete constitutus est in esse contrarij, potest exercere munus, seu actum secundum talis oppositionis, hoc est expellere, & destruere frigiditatem vt octo.

46 Tunc sic, sola frigiditas non est complete, & & adæquate oppositum respectu caloris, quia oppositum, vt oppositum completum neque est frigiditas, nec calor diuisim, & vna quatenus distinguitur ab alia: sed potius vtraque simul: ergo frigiditas nullo modo potest destruere calorem, aut expellere illum.

65 Secundo contra euidentius, quia per te frigiditas non potest destruere totum illud coniunctum aut coalescens ex frigiditate, & calore, ne natura sibi contrarietur, & eadem res destruat id quod intendit componere, quod esset vestigijs Penelopis insistere; sed si frigiditas destrueret totum coalescens ex illa: quia totum destruitur ad destructionem cuiuscunque partis: ergo frigiditas non potest destruere calorem.

66 Exemplo manifestatur, si anima rationalis destrueret suam vnionem, aut materiam primam, sine dubio destrueret hominem compositum ex illis; sed frigiditas destruit calorem per vos, qui est pars compositi: ergo necessario destruit compositum ex calore; sed nullo modo potest frigiditas destruere compositum, quod componit, ne componat, destruat, & non destruat; ergo frigiditas non destruit calorem, nec calor frigiditatem.

67 Sed est certissimum calorem vt octo destruere frigiditatem vt octo: ergo natura non ita constituit res, vt frigiditas, & calor componant vnum compositum quod sit complete, & adæquate oppositum, quia ex rebus repugnantibus non potest coalescere vnum, nam vt ait sapientia Patris; regnum in se diuisum desolabitur, si partes eius opponantur, & destruantur ad invicem; quod idem est, ac alibi dicitur, si ad invicem pugnatis, videte ne ad invicem consumamini: ergo oppositum quod secundum veritatem philosophicam est vnum, non est coalescens ex frigiditate, & calore: sed solum erit entitas caloris per repugnantiam, & capacitatem quam habet, vt destruat frigus.

Quod sic demonstro, quia sola frigiditas, & 68
sola gratia sanctificans duntaxat per id, quod est gratia sanctificans, & frigiditas, destruunt calorem, & peccatum, & non destruit gratia peccatum per se, & per peccatum, & frigiditas non destruit calorem per se ipsam, & per calorem, alias calor per se ipsum destrueretur, & peccatum per ipsam rationem peccati: ergo sola frigiditas adæquate est opposita calori, sicut sola gratia est opposita peccato, ita vt nullo modo opponatur frigiditas per calorem ipsi calori; patet hæc consequentia; quia cui soli convenit actus secundus, soli convenit actus primus, vt quia intellectui convenit intelligere, & non voluntati, convenit illi soli, & non voluntati esse intellectum, & quia soli calori convenit calefacere, & non convenit frigiditati, soli illi convenit esse calorem, & non frigiditati; sed frigiditati solum, & adæquate convenit actus secundus oppositionis contrariæ, scilicet expellere, & destruere calorem, & minime convenit calori destruere se ipsum aut se ipsum expellere: ergo soli frigiditati convenit adæquate actus primus talis contrarietatis, scilicet esse oppositam calori.

Vnde asserendum est inter duo opposita, v. g. 69
frigiditatem, & calorem non esse vnam solum numero realiter oppositionem contrariam: sed potius duplicem, ita vt frigiditas per vnam oppositionem distinctam opponatur calori, & per aliam distinctam à parte rei opponatur calor frigiditati: sicut Petrus per vnam distinctionem distinguitur à Paulo, & per aliam distinctam distinguitur Paulus à Petro.

Minor prima præter iam supra, probatur his, 70
quia idem non potest esse pater, & filius respectu eiusdem; sed necessario si Petrus, v. g. est pater Pauli, non potest simul esse filius respectu eiusdem Pauli: ergo ratio Patris, & Filij inter se habent incompatibilitatem, repugnantiam, & antypathiam in eodem subiecto respectu eiusdem termini, ratione cuius se expellunt ab eodem subiecto; ergo habent veram, & propriam oppositionem ratio Patris, & Filij, quia vera, & propria oppositio consistit in vera repugnantia, antypathia, & incompatibilitate duarum rationum in eodem subiecto respectu eiusdē; ideo, enim contradictoria habent veram oppositionem quia habent veram repugnantiam, & incompatibilitatem, vt sint in eodem subiecto respectu eiusdem; & idem est de oppositione privativa; sed ratio Patris, & Filij, aut paternitas, & filatio ita repugnant vt omnino sint incompatibiles in eodem subiecto respectu eiusdem termini, vt vna destruat aliam, & minime reperiatur cum alia: ergo tales relationes habent veram, & propriam oppositionem.

Consequentia illa prima sic demonstratur, 71
quia quando conuenit aliquibus aliquod prædicatum, non ratione differentiarum; sed prop-

ter rationem communem, tale prædicatum convenit etiam omnibus participantibus illam rationem communem secundum illud principium Logicæ, dici de omni; hoc est quidquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo, participantique talem rationem communem; de quo latius egi supra: sed oppositionibus contrarijs, quæ reperiuntur inter frigiditatem, & calorem, inter albedinem, & nigredinem, convenit non includere vtrumque extremum, vt supra probatum manet, & hoc non propter differentiam contrarietatis, alias hoc non conveniret oppositioni privativæ, quæ contraria oppositio non est, neque contradictoriæ oppositioni propter eandem rationem, vt lumine naturali evidenter patet: ergo frigiditati quatenus oppositæ respectu caloris convenit non esse oppositam respectu caloris per calorem, non propter rationem contrarietatis, sed propter oppositionem vt sic: atqui paternitas, seu ratio patris habet in se veram rationem oppositionis vt sic respectu filiationis, aut filij: ergo rationi paternitatis quatenus oppositæ filiationi, & filio convenit vere, & propriè non includere in suo esse filiationem, & filium: ergo paternitas non est vtrumque extremum, entitas nimirum patris, & entitas filij.

SVBSECTIO IV.

In qua hæc tertia ratio magis confirmatur.

72 PRimo, quia privatio in tantum est opposita luci, in quantum est carentia lucis: sed in quantum est carentia lucis non includit lucem in esse carentiæ: ergo de primo ad vltimum privatio in quantum opposita luci non includit ipsam lucem in constitutione ipsius oppositionis, sed solum connotat lucem, vt extremum extrinsecum, quod potest destrui per ipsam carentiam lucis; Item frigiditas in tantum est contraria calori, oppositaque illi, in quantum tali differentia frigiditatis repugnanti omnino differentiæ caloris constituitur, ac proinde in tantum frigiditas erit opposita calori, in quantum habet esse frigiditatis; sed in esse frigiditatis non constituitur formaliter per calorem: ergo in esse oppositæ calori non potest constitui per calorem formaliter cui opponitur: sicut, quia homo differt ab equo per rationale non potest differre ab equo per id, quod est in equo, itavt per esse equi constituatur in rationali per quod differt ab equo; & ratio à priori est, quia differentia est propria differentijs, & nihil illius est in eo à quo differtur per illam; alias differentia esset communis vtrique, quod est contra evidens axioma metaphysicum, nimirum subiecta non differre per communia, sed per propria vniuscuiusque differentis, ac proinde non dari communionem in differentijs; sed vnum oppositum non solum differt, aut distinguitur ab alio opposito, sed maxime distinguitur, maxime differt, & maxime distat ab illo, quatenus oppositum illi: ergo in esse oppositi, per quod formaliter opponitur alteri, maxime differt, & maxime distinguitur ab illo, non constituitur formaliter, & essentialiter per illud, cui opponitur; sicut homo non potest constitui essentialiter in esse hominis per irrationale, itavt irrationale sit de essentia hominis; quia homo in esse hominis, & per esse hominis constituitur in esse oppositi respectu irrationalis, & opponitur tali irrationali; sed ratio patris, aut paternitas est opposita realiter respectu filiationis, aut filij vt geniti, itavt per paternitatem pater opponatur relative genito, & filiationi: ergo pater in esse patris non constituitur per filiationem, aut per esse genitum formaliter; quia pater per esse patris formaliter maxime differt, maxime distinguitur vere, ac propriè opponitur relative esse filij, esse geniti, aut filiationi.

Secundo evidentius vrgeo, Paternitas in diui- 73
vinis qua pater constituitur in esse Patris non est idem, quod persona Patris, & persona Filij simul, itavt non distinguatur paternitas à generante, & genito realiter; sed potius secundum nostram fidem paternitas divina distinguitur realiter à filiatione, & filio, neque constituitur formaliter paternitas in esse paternitatis à generante, & genito simul formaliter: ergo similiter paternitas creata non constituitur formaliter in esse paternitatis per generantem, & genitum, itavt formaliter nihil aliud sit paternitas nisi generans, & genitum, hæc consequentia sic patet.

Primo propter rationem qua probavimus 74
quæst. superiori, conclus. 2. relationem non esse denominationem extrinsecam, quia relatio creata est participatio; v. g. paternitas paternitatis divinæ secundum illud Pauli *ad Ephes. 3.* huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. Vnde Dyonisius *de divinis nominibus, cap. 2. inter medium, & finem*, Damascē. *lib. 1. fidei, cap. 9. post medium*, colligunt rem, & nomen paternitatis, & filiationis à Deo derivatum esse ad creaturas, cuius vestigijs insistens (Apostoli nimirum) Cyrillus *lib. 12. thesauri, cap. 5. post medium*, colligit, nos esse patres per imitationem, qua Creatorem imitamur, per imitationem inquit, qua suum Creatorem imitantur, Patres dicuntur, ipsum vero Deum, & Patrem primo, &c. alij autem Patres (inquit Teodoretus) sive sint corporales, sive spirituales, è superis traxerunt appellationem, à Deo nimirum, qui vere est Pater, qui non ab alio hoc accepit, sed ipse alijs impertit, quod videtur transtulisse, aut transcripsisse ex verbis Dionisij, vbi supra; qui sic ait: divinam omnem Patris, ac Filij rationem à prima, & Patris, & Filij ratione, quæ ab omnibus secreta est, & nobis donatam esse, &c.

Atqui omnis ratio participata participat ra- 75
tionem prædicati divini formaliter eo modo, quo est divinum excepta infinita perfectione talis prædicati, cuius non est capax prædicatum creatum, aut ratio participans, quod late probavi loco citato; sed relatio divina non est vtrumque extremum: ergo relatio creata, quæ participat talem relationem divinam, non erit vtrumque extremum, sed potius aliquid intrinsecum ex parte relati distinctum à termino, & à relatione illius; hæc consequentia sic probatur: quia relatio divina non habet ex vi infinitæ perfectionis non includere vtrumque extremum (Nam relatio transcendentalis creata, licet non habeat infinitam perfectionem, etiam non includit in suo conceptu vtrumque extremum) sed propter communem conceptum relationis abstrahentem ab infinita, & finita relatione; & ratio evidens à priori est: quia relatio vt sic ex vi suæ essentiæ est cuius totum suum esse est ad aliud, itavt quidquid est in

in relatione, sit distinctum à termino, quia est aliud ab ipsa; vnde terminus ex vi definitionis relationis vt sic non potest constituere formaliter relationem: quia terminus debet esse adæquate extra relationem, ac proinde distinctus adæquate à toto esse relationis, cum terminus sit aliud à toto esse relationis; quia relatio (vt dixi) est cuius totum esse est ad aliud, id est ad terminum.

76 Deinde relatio vt sic ex vi sui conceptus opponitur adæquate termino, & constituit vnum extremum, vt oppositum termino, ac proinde terminus ratione oppositionis vt supra probavimus, non potest includi in constitutione formaliter relationis, aut alterius extremi relativi sibi oppositi. Itaque divina relatio ex vi conceptus relationis vt sic, quatenus est tota ad aliud, & quatenus opponitur termino non includit ipsum terminum, & per consequens non est vtrumque extremum; sed relatio creata est vera, & propria relatio, & includit in se verum conceptum ordinis, & relationis vt sic: ergo totum esse illius est ad terminum, tanquam ad aliud cum oppositione respectu illius: ergo relatio creata, sicut divina non includit in sua constitutione formaliter terminum suæ habitudinis, ac proinde formaliter non erit vtrumque extremum: quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed in creata relatione datur eadem aut similis ratio formalis propter quam relatio divina non includit terminum in sui constitutione, videlicet esse ad terminum, tanquam ad aliud, & oppositio cum termino: ergo in tali relatione creata datur idem effectus, vel quasi effectus, scilicet quod in sua constitutione formali non includat terminum, ac proinde non sit formaliter idem quoad vtrumque extremum.

77 Dices, ideo Paternitatem divinam, non includere vtrumque extremum, quia est transcendentalis respectu Patris ex eo quod constituat personam Patris in esse talis, & sic non advenit personæ constitutæ, quod non est proprium relationis divinæ; sed omnis relationis transcendentalis, etiam creatæ in quo distinguitur talis relatio à relatione prædicamentali. Vnde si Paternitas non constitueret personam in esse personæ, sed quasi resultaret, aut adveniret personæ constitutæ, esset quasi prædicamentalis, & non transcendentalis vocaretur, & sic esset vtrumque extremum.

78 Sed contra manifeste; quia spiratio activa est vera, & realis relatio, & supponit personam plene constitutam in ratione personæ, neque ad hanc constitutionem vllo modo necessaria est, ideoque solum intelligitur existere quatenus ex operatione, seu productione aliqua talis personæ iam constitutæ consequitur; quod his verbis docet P. Suarez, secundum doctrinam catholicam; at vero spiratio est in Deo, quasi per resultantiam quandam, seu indirectam consequutionem. Quia talis relatio non est per se in Deo absque interventu alicuius processionis, in quo differt à Paternitate. Et ratio differentiæ est, quia Paternitas est proprietas constituens personam primam, ideo secundum esse suum antevertit omnem processionem seu productionem, quia prior est constitutio personæ, quam operatio, seu productio; & ideo talis relatio non est quasi resultans, &c. spiratio autem activa quasi resultat, & non constituit personam: ergo relatio spirationis activæ non est transcendentalis, sed ad modum prædicamentalis.

79 Quod amplius patet, quia relationes personales, quæ sunt transcendentales, non habent proprium fundamentum in quo quasi nitantur, quia per se intrinsece subsistentes sunt, & constituunt personas, & non supponunt illas, vt eis adveniat; sed spiratio activa, quia personæ iam subsistenti incommunicabiliter advenit, illam supponit vt proximum fundamentum suum, in quo quasi resultat posito termino per spirationem, seu productionem Spiritus sancti, quæ est quasi ratio fundandi talis relationis spirationis activæ: ergo non est transcendentalis, aut quasi transcendentalis, sed potius ad modum prædicamentalis.

80 Tunc sic; hæc relatio spirationis activæ, quæ est in Patre, & Filio, non includit in sui constitutione Spiritum sanctum, (qui est terminus talis relationis) tanquam partem constitutivam sui formaliter; nam esset hæreticum dicere, relationem spirationis activæ esse idem formaliter quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus; ita vt componatur ex principio spirante, & ex Spiritu sancto: ergo omnes relationes in divinis tam transcendentales, quam prædicamentales excludunt à suo esse formali, neque componuntur in illo à termino: ergo non est proprium relationis transcendentalis excludere terminum à sua constitutione formali: ergo est commune hoc relationi transcendentali, & prædicamentali: ergo convenit illis ratione relationis, & ordinis vt sic; sed relatio etiam prædicamentalis creata est vera, & propria relatio, ac verus, & proprius ordo: ergo participat à relatione quasi prædicamentali divina, hoc quod est excludere terminum à sui constitutione: quia quidquid convenit alicui ratione prædicati communis, participatur ab ipsis, quę conveniunt in tali prædicato.

81 Secundo contra, quia ideo relatio transcendentalis non includit terminum, quia opponitur termino; sed etiam relatio prædicamentalis opponitur termino: ergo non includit illum in sui constitutione, licet connotet illum, vt extremum sibi oppositum.

82 Vrgetur, quia relatio prædicamentalis est, cuius totum suum esse est ad aliud: ergo ex definitione constat terminum esse aliud à tota relatione, cum dicatur, cuius totum esse est ad aliud: ergo nec adæquate, nec inadæquate terminus est relatio, id est pars relationis: patet consequentia, quia si terminus saltem inadæquate esset relatio, id est pars illius, non totum esse relationis esset ad aliud: Nam terminus esset aliquid relationis, & non esset ad terminum, vt ad aliud; alias terminus esset ad terminum, vt ad aliud, ac proinde idem esset ad se, vt ad aliud, ac proinde vt ad distinctum à se, quod est impossibile: quia idē non distinguitur à se ipso: ergo aliquod esse esset in relatione, quod non esset ad aliud: ergo non totum, aut omne esse relationis esset ad aliud; sed ex definitione totum esse relationis prædicamentalis est ad aliud: ergo terminus non est aliquod esse relationis prædicamentalis, neque pars illius, ac per consequens non constituetur à termino, nec formaliter erit idem, quod fundamentum, & terminus formaliter.

SVBSECTIO V.

In qua Neoterici cuiusdam solutio refutatur.

83 QVidam modernus in Logica *disp. 12. sect. 9. num. 42.* hæc verba profert (vt nostra argumenta labefactet:) dixi supra in Patre æterno similem duplicem relationem reperiri, & idem est de alijs personis inter se, vnam transcendentalem sibi omnino intrinsecam, eo quod in divinis productio activa, à qua ea relatio provenit, est intrinseca producenti, vt ostendi supra, alteram prædicamentalem, partim intrinsecam ab ipso Patre provenientem, & partim extrinsecam à Filio desumptam: sic ille, quæ verba profert, vt respondeat huic obiectioni: ergo etiam relatio Patris componitur extrinsece ex ipso Filio, quod videtur absurdum.

84 Hanc obiectionem his verbis diluit; respondeo Patrem sumi dupliciter, vel vt est causa generans, & vt sic denominatur quidem extrinsece à sola tamen generatione, quæ est in filio: quod idem est in alijs causis, quæ denominantur causantes à sola actione existente in effectu, non vero ab ipso effectu, quia hic non est pars causalitatis; vel sumi posse Patrem, vt relativum prædicamentaliter, & vt sic fateor illum denominari inadæquate à Filio, & à generatione: sicut vnum simile denominatur ab alio, quomodo dixi supra probabile esse in Patre æterno similem duplicem relationem, &c. sic ille. Vbi in persona Patris ponit duplicem paternitatem, aut duplicem relationem generantis ad genitum; aliam prædicamentalem, & aliam transcendentalem; & in Filio duplicem aliam filiationem, sicut in Spiritu Sancto aliam duplicem, quod amplius explicat hic author *eadem disp. 12. logica sect. 4. num. 15.* his verbis. Objicies, Pater æternus refertur ad Filium divinum relatione prædicamentali (vt dicam *sect. 3.*) & tamen illa relatio non est distincta à Patre æterno, nequit enim esse, quin sit Pater: ergo falsum est, omnem relationem prædicamentalem esse distinctam à subiecto, aut posse ab illo abesse. Respondeo Patrem æternum (vt infra etiam dicam) referri ad Filium duplici relatione: vna transcendentali quæ est illi essentialis, alia vero prædicamentali: hæc autem distinguitur inadæquate à Patre, neque illi est essentialis adæquate, quia Filius, à quo desumitur inadæquate non componit Patrem.

85 Hucusque author supra dictus, vbi non solum ait, dari quatuor relationes reales originis, & productionis ad intra, quibus se personæ respiciunt; sed potius ponit alias plures, quas vocat prædicamentales convenientes personis ratione processionum, & productionum, &c.

86 Contra hanc opinionem de novo inventam argumentor primo ab inconvenienti hac demonstratione Theologica, quia omne novum tam quoad modum loquendi, quam quoad rem ipsam, quod non solum non continetur in Scriptura, traditur à Concilijs, docetur à Sanctis Patribus, & affirmatur à Theologis: sed quod caput est, quando pugnat contra receptam sententiam omnium Patrum, & scholasticorum est fugiendum à viro Catholico, minimeque affirmandum à Theologo in rebus fidei, & præcipue in mysterio Trinitatis: sed sententia hæc non solum non continetur in Scriptura, Sanctis, & Doctoribus; sed potius noviter opponitur communi sensui Doctorum, & Patrum circa mysterium Trinitatis: ergo omnino fugienda, & refellenda est à Catholico, neque affirmanda à Theologo.

Maior prima, & præcipua probatur primo au- 87
thoritate sanctorum Patrum, qui vniversim asserunt tum de omnibus mysterijs fidei, tum vel maxime de Trinitate loquentibus opus esse cautissima, prudentissima, & temperatissima modestia, ne levi quidem mutatione vocis, recedendo à modo loquendi Scripturæ, & antiquorum Patrum ansam tribuat errandi catholicis. Quæ docet expresse D. Dyonisius *de divinis nomin. cap. 1. in principio*; omnibus Theologis prædictam legem denunciando his verbis: sit quoque nobis illa divinorum scriptorum ante præscripta lex, vt veritatem doceamus eorum, quæ de Deo dicuntur, non imperspuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis Theologorum, quæ agitata est à spiritu: omnino igitur non audendum est quidquam de summa, abstrusaque divinitate aut dicere, aut cogitare, præter ea quæ nobis divinitus scripta divina enunciaverunt, & paucis interiectis debemus, inquit, eatenus ad superna contendere, quatenus divinorum scriptorum radius se ipse effert, ita duntaxat, vt ad superiorem splendorem moderatione, & reverentia, quam rebus divinis debemus, coërceamur: sic Dyonisius.

Auribus vsurpate nunc aureum os Augustini 88
non dicam aureis, sed gemmeis verbis huic veritati fulgentissimum luminis splendorem mirum in modum offundens *lib. 10. de civit. cap. 23. post medium*, vbi agens potissimum de mysterio Trinitatis sic ait, liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia de rebus quæ his significantur impiam gignat opinionem, & *lib. 1. de Trinit. c. 3. sub initium*, maxime inquit in ijs, vbi quæritur vnitas Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, &c. quid clarius, & evidentius.

Damascenus etiam *lib. 1. fidei, cap. 2. in fine*, ait, 89
non igitur fieri potest, vt præter illa, quæ divinitus sacra nobis, & veteris, & novi testamenti enunciarunt eloquia, quæve dixerunt, & manifestarunt quippiam eloquamur de Deo, aut penitus intelligamus. Basil. *lib. de Spiritu sancto, ad Amphiloc. cap. 1.* monet, & ex professo probat, ac docet, ad veram mysterij Trinitatis cognitionem opus esse non modo syllabas: sed etiam nutus, & eorum significationem observare diligenter, modumque loquendi ad Sacros Canones componi debere; & post multa concludit: si ex lege, nec vnum iota nec apex vnus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit, vel minutissima transilijsse? sic ille.

Hieronymus *epist. 57. ad Damasum*, de hyposta- 90
sibus diligenter, ac solicite discutit istius vocis vsum, & significationem, & post medium ait non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiunt; ac proinde maxime timet Doctor maximus, ne venenum sub melle lateat, & Satanas se transfiguret in Angelum lucis. Vnde ab omnibus scolasticis recipitur quod magister ex Hieronymo retulit *4. sent. dist. 13. fine*, & ex eodem

eodem Hieronymo sanctus Thomas affert 1. *p.* q. 31. *art.* 2. *in corpore*, ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis: hoc diligenter quæsitum, & investigatum secundum formalia, & expressa verba non reperitur apud Hieronymum, neque in proprijs, neque in suppositijs operibus, potuit tamen aliquis id colligere *ex epist.* 57. nuper citata, vel ex commentario Hieronymi in Ecclesiastem, *cap.* 5. *sub initium*, ad illud; multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia; nam exponit, debere verba nostra esse moderata; sicut enim qui in multis cogitationibus est, ea somniat frequenter de quibus cogitat; ita qui plura voluerit de divinitate disserere, incidit in stultitiam, nulla vero deterior stultitia, quam novitas loquendi sine fundamento in re gravi.

91 Nazianzenus *orat.* 26. omnem novitatem dicendi circa mysteria fidei, sobrietate, modestia, & humilitate expellendam esse docet his verbis: ego certe humilitatis, ac modestiæ laudem huic demum tribuerim, non qui de seipso pauca, idque apud paucos, & raro commemorat, nec qui inferiorem humiliter affatur, sed qui parce, ac moderate, de Deo loquitur, ac quædam proloqui, quædam premere, & retinere quorundam etiam inscitiam, fateri novi: (& longe inferius) verba ea, quibus simul cum lacte imbutus es, mordicus retine, sermonis autem, & disputationis curam eruditioribus manda, hoc est, nihil innova circa ea, quæ Patres Ecclesiæ, eruditiores, & sapientiores te scriptis tradiderunt.

92 Secundo probatur authoritate Scripturæ provt à Patribus, & Concilijs explicatæ, in qua prohibetur novitas devians à communi modo loquendi, & curiosa investigatio, atque scrutatio rerum divinarum nulla divinæ lucis face præevnte, aut nulla stella duce à Deo in hunc finem missa, medijs Doctoribus, atque magistris fidei.

93 *Proverb.* enim 25. sic dicitur; qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria, *& Ecclesiast.* 3. *post medium*, altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; quod amplius explicat D. Paulus, 1. *Corinth.* 2. quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei ex quo sic argumentor: ergo quæ sunt Dei, nullus debet docere, nisi spiritu Dei, aut ductu illius, ac proinde nemo debet loqui de illis, nisi verbis, & modis, quibus Deus in Scriptura, & Doctoribus loquitur.

94 Cuius rationem mirabilem tradidit Concilium Nizenum *lib.* 2. *multo propius ad medium*, quam ad finem, vbi quintam responsionem earum, quas dedit per Eusebium, ita incipit: ne quæras ô philosophe, alioquin studes, te præcipitem agere præscrutari tétans quæ inscrutabilia sunt: sic Concilium, nam si creatos spiritus, & animæ nostræ substantiam, imo & corporis constitutionem, & ea quæ manibus contrectamus, non penetramus, nec intelligimus nisi ruditer, & crassa Minerva, & dum de illis rebus loquimur sine duce, multis implicamur erroribus, quanto magis timendum nobis est, dum de rebus divinis sine duce pro nostro libito, vt nova solum proferamus sermonem miscemus; Sixtus Papa secundus *epist.* 1. *ad Gratum Episcopum* (habetur *tom.* 1. *Conciliorum*) ad confirmandam hanc veritatem in medium profert verba illa *Iob. cap.* 28. sapientiam Dei vnde invenies? latet enim ab oculis hominum, & à volucribus Cæli abscondita est: Clemens Romanus *epist.* 1. *ad Iacobum fratrem Domini col.* 10. addit, Deum à nobis discutiendum non esse, qui in nobis ipsis nescimus quod sapimus, quomodo mens nostra generat verbum, qua propter acriter invehitur Irenæus, contra hos novatores *lib.* 2. *contra hæreses, cap.* 48. ex *Matth.* 24. & *Mar.* 13. de die illa nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus, à fortiori concludit quicunque nituntur generationes, & relationes plures, quam fides concedit enarrare non sunt compotes sui, ea, quæ inenarrabilia sunt enarrare promittentes in plurali generationes dicit, & relationes dicit plures, quam fides concedit, quoniam Gnosticos suggillat, qui plures generationes, & relationes plures, quam fides docet somniabant in divinis: quibus omnibus evidenter patet, nobis ad certam regulam loquendum necessarium esse, quando de divinis rebus loquimur, ne verborum licentia de rebus impiam gignamus opinionem, vt ait Augustinus, quod non eodem modo contingit, dum nobis loquendum sit de rebus phylosophicis, liberis enim verbis loquuntur philosophi: quia nullam offensionem religiosarum aurium pertimescunt; vt optime adnotavit ipse Cherubicus Doctor, nec ad minutias scientiarum humanarum defendendas secundum nostram opinionem possumus aliquid innovare in divinis mysterijs ad libitum nostrum, sed potius ita debemus regulare opiniones philosophicas regulis divinorum mysteriorum, vt si hæ aliquomodo opponantur illis, omnino objciantur, & expellantur.

Tertio eadem maior ratione Theologica sic 95
probatur, quia omne, quod est temerarium debet omnino fugi, minimeque asseri à viro Catholico; sed omne, quod est ita novum in mysterijs fidei, vt nec contineatur in Sanctis, nec doceatur à Theologis, sed potius pugnet contra receptam sententiam omnium Patrum, & Scholasticorum, est aperte temerarium, tam negative, quam positive: ergo quod est ita novum, est omnino reijciendum, & fugiendum à viro Catholico, nec potest vllo modo affirmari ab illo. Maior est evidens, quia propositio temeraria est vna ex damnabilibus secundum fidem: minor est certissima, quia continet ipsam definitionem temeritatis seu potius fabricatur ex definitione propositionis temerariæ, vt patet ex ijs verbis Patris Suarez *tom. de fide, disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 20. §. *tandem addi potest*; vbi secundum communem consensum omnium Theologorum, & Patrum tradens definitionem propositionis temerariæ sic ait: est autem temeritas teste D. Thoma 2. 2. *q.* 53. *art.* 3. *ad* 2. præcipitatio quædam faciendi aliquid sine iudicio, vel regula rationis: hinc ergo propositio temeraria dicitur generaliter, quæ sine rationis regula profertur, sub regula autem rationis authoritas comprehendenda est, quia de plerisque rebus ratio ipsa dictat multum ex authoritate pendere.

Maxime tamen hoc verum est in materia, de qua tractamus: agimus enim de temeraria propositione in doctrina fidei, vel Theologiæ, quæ in authoritate maxime nititur. Vnde duplex gradus huius propositionis subdistingui potest: nam quædam dici potest positive temeraria, alia privative: positive dico, quando pugnat contra receptam sententiam, vel Patrum, vel Scholasticorum, itavt omnes, vel fere omnes in illa conveniant, etiamsi non asserant esse certam, sed omnino probabiliorem, aut simpliciter veram; quia tunc vix fieri potest, vt secundum regulam rationis possit aliquis tantæ authoritati opponi, quia non est credibile, tot Patres sine cogente ratione, vel sacro

testimonio in eam sententiam conspirasse, ideoque non potest contraria propositio efficaci ratione niti: vnde cum etiam destituatur authoritate, & tot Doctoribus opponatur, temeraria positive, & contraria merito censetur. Privative autem voco temerariam propositionem illam, quæ solo proprio iudicio sine sufficiente authoritate, vel cogente ratione excogitata est. Nam illa etiam deficit à recta regula rationis, & aliquid habet præsumptionis, ac proinde in materia Theologica, & supernaturali non caret temeritate, quamvis minori, quam in priori gradu, scilicet positivo inveniatur: sic P. Suarez, sincere, & secundum veritatem agens de hoc negotio: ergo nostra minor est evidens, consequentia autem est manifesta, vt ex terminis patet.

96 Minor prima, & præcipua prioris syllogismi est certa, nam licet dubitetur inter Theologos, an relationes æqualitatis, &c. sint reales, nihilominus omnes asserunt, relationes ex vi originum, & processionum convenientes divinis personis, vt est paternitas, filiatio, spiratio activa, & passiva non esse plures, quam quatuor relationes; sic docent ex Theologis Henricus 2. *parte summæ, art.* 55. Alexan. 1. *p. q.* 68. Sanctus Bonavent. *in* 1. *dist.* 26. Albertus 1. *p. q.* 39. *membro* 2. *art.* 1. *p.* 1. *ad* 2. Scotus Gabriel. Bassol. & reliqui Thomistæ, Caietanus, Capreolus, Ferr. & cæteri. Ex modernis gravissimus, & sapientissimus Pater Didacus Ruiz, hanc veritatem his verbis docet *tom. de Trinit. disp.* 18. *sect.* 4. §. *concluditur*, non esse plures, quam quatuor relationes, docent scholastici; colligitur autem ex Patribus citatis *tota disp.* 16. nam eorum alij tres tantum relationes personales exprimunt subintelligentes quartam; alij clarius exprimunt spirationem activam sub nomine Donatoris, nemo tamen vltra quatuor auget numerum relationum; numerum non esse maiorem, probatur primo, quia in Deo non sunt possibiles aliæ relationes, nisi originis; sed in Deo non sunt possibiles origines plures, quam duæ: ergo non sunt possibiles in Deo plures, quam quatuor relationes, sic ille.

97 P. Franciscus Suarez communis huius sæculi magister cognomento pius, & eximius authoritate sedis Apostolicæ: hanc veritatem tractans sic ait *tom.* 1. *in* 1. *tract.* 3. *lib.* 5. *de relationibus divinis, cap.* 2. *num.* 1. §. Quoniam numerus harum relationum ita à nobis præscribendus est, vt nec minor, nec maior esse ostendatur, ideo in primis supponendum est in Deo nullas esse relationes reales ad intra præter eas, quas relationes originis vocamus, &c. & *num.* 2. *in principio*, sic ait ex hoc fundamento infertur alia veritas, quam hic vt certam supponimus, videlicet relationes reales divinas non posse esse plures, quam quatuor; ita docet D. Thomas *dicta q.* 28. & consentiunt omnes Theologi; probatur que, quia hæ relationes sunt originis; sed origines, seu processiones intra Deum solum sunt duæ, vt in *lib.* 1. ostensum est: ergo relationes ad summum possunt esse quatuor, & non plures: probatur consequentia: quia ex vnaquaque processione non consurgunt, nisi duæ relationes: ergo si processiones sunt tantum duæ, relationes ad summum erunt quatuor: idem docet P. Vasq. *tom.* 2. *in primam partem disp.* 138. *c.* 2. *in principio*, vbi ait, solum dari quatuor relationes originis in divinis, & *eodem tom. disp.* 40. *cap.* 3. *in principio capitis*, hæc formalissima verba profert: verum hanc sententiam merito impugnat Bonaventura eo loco, quia ex illa sequeretur esse in Deo quinque relationes reales contra scholasticorum communem sententiam; Pater Valent. *to.* 1. *disp.* 2. *de Trinit. q.* 2. *de relationibus divinis punct.* 2. sic ait: Quatuor sunt relationes reales in divinis secundum originem, vt D. Thomas hic *art.* 4. docet, & alij Theologi, videlicet Paternitas, & Filiatio, spiratio, & processio id patet; nam duæ sunt tantum origines in divinis, altera per intellectum, quæ generatio dicitur, altera per voluntatem, quæ nominatur spiratio: quælibet autem origo duarum tantum relationum fundamentum est, quarum altera sit relatio principij, altera eius, quod est à principio per originem, & postea sic ait: cum D. Thoma asserimus, tantum esse quatuor relationes reales in Divinis. P. Granado *tract.* 3. *in primam p. disp.* 2. *per totam* concludit esse tantum quatuor relationes originis in Divinis; *& num.* 13. sic ait; nec propter hanc identitatem realem dicendum est non esse quatuor relationes in Divinis; nam communis Doctorum affirmat, esse quatuor, licet non sint quatuor res. Pater Floravantius *lib. de Trinit. in notationibus brevibus ad Teoriam. lib.* 2. *not.* 1. sic ait: de secundo hæ relationes reales sunt tantum quatuor; quia ex qualibet productione oriuntur per se duæ relationes reales producentis ad productum; & producti ad producentem; sed in divinis sunt duæ productiones; *& in nota marginali fol.* 93. ait, est communis sententia, & idem docet *pag.* 151. §. *an quatuor tantum sint relationes*, & citat pro ea Sanctum Thomam 1. *p. q.* 28. *art.* 4. cum suis, Ægidium *d.* 2. 5. *q.* 2. Valentiam, & Suar. Idem docet expresse D. Molina *in* 1. *p. q.* 28. *art.* 4. *disp.* 1. §. *conclusionem in medio parraphi*, vbi sic ait; quare cum in Deo sit duplex tantum processio, vt in superioribus est habitum, vna secundum actionem intellectus, quæ est processio Verbi, & proprijssime dicitur generatio: alia secundum actionem voluntatis, secundum quamlibet autem processionem sint duæ relationes reales oppositæ, vna procedentis à principio, altera principij, à quo procedit, fit, vt in Deo sint tantum quatuor relationes reales, & licet ipse Molina *in principio, disp.* 1. sic dicat, quod ad posteriorem vero attinet, videlicet in Deo non esse plures relationes reales, quam quatuor, est controversia, vt *quæst.* 42. est examinandum, nihilominus non destruit hoc, quod dicimus, quia in hoc loco non loquitur de relationibus originis (quia de his ait, esse certum esse tantum quatuor) sed potius de alijs relationibus: v.g. æqualitatis, similitudinis, identitatis, &c. de quibus controvertitur inter Doctores, vt supra dixi, an sint reales, vel non: nam de relationibus originis, v.g. Paternitatis, filiationis, processionis, &c. certissimum est sine controversia apud Doctores tantum esse quatuor, quod autem Molina loquatur de relationibus æqualitatis, similitudinis, &c. patet ex ipsis verbis; nam vbi ait non esse plures relationes, quam quatuor, est controversia: citat *q. suam* 42. vbi ait examinandum esse hoc punctum; sed *in tota illa, quæst.* 42. *ab artic.* 1. *usque ad art.* 6. *integra disp.* 1. vbi solum de hoc punto agit, disputat non de relationibus originis vllo modo, sed de æqualitate, similitudine, &c cæteris: ergo.

Tandem P. Becano affirmat hanc veritatem, vt 98 communem *tract.* 2. *de sanctissima Trinit. c.* 2. *q.* 2. *per totam*: hos modernos authores elongius, & fusius citavi, quia summa diligentia omne tam antiquum quam novum legerunt, atque relegerunt, itavt nihil eos lateat: ergo si tam vnanimi consensu asse-

runt,

runt, esse communem sententiam Patrum, & Doctorum non dari, nisi quatuor relationes originis in Divinis, pro certo habendum est, ac proinde qui contrarium docuerit, asserendo non solum dari quatuor relationes realis originis, sed etiam plures, septem aut octo, &c. ita vt dupliccnt, aut multiplicent relationes paternitatis, filiationis, &c. pro certo habendum est, pugnare aperte talia proferentem contra communem omnium tam Sanctorum, quam Theologorum sententiam.

99 Patres Ecclesiæ, qui hanc veritatem docuerunt, sunt innumeri; inter quos Boëtius *lib. de Trin. prope finem*, Augustin. *serm.* 38. *de tempore colum.* 3. vbi, ipsa relatio Spiritus sancti, &c. & *lib.* 5. *de Trinit. a cap* 11 *vsque ad* 15. sed præcipue 11. & 12. Anselmus *lib. de processione Spiritus sancti, cap. penult. quod incipit. Patet ergo.* Item continetur in Concilio Toletano XI *in confessione fidei cap.* 1. quod idem transcribit Concilium Vvormatiens. *in professione fidei.*

Et in Concilio Florentino indicatur, *sess.* 18. *post modium* §. *divina substantia*, & §. *dixi equidem.*

100 Cui concordat decretum Eugenij Papæ in literis vnionis; Nazianzenus etiam *oration.* 37. *quæ est quinta de Theologia*, Nyssenus, & Basilius, ille quidem *lib. de differentia essentiæ, & hypostaseos, in medio*; cum ait: qui spiritum solum dixit, &c. hic *epist.* 43. *ad Gregorium Nyssenum in medio.* Athanas. *dialogo* 1. *de sancta Trinit. contra Anomæum colura.* 3. ibi nulla differentia, &c. & in quæstionibus de natura Dei, quæ incipiunt, quid est Deus *q.* 11. *&* 12.

101 Aperte colligitur hæc veritas ex Hylario *lib.* 2. *de Trinit. inter medium, & finem*, Spiritus Sanctus de Patre, &c. Gregorio *lib.* 30. *moral. cap.* 5. *alias* 8. Cyrillo, & alijs, qui videri possunt in Valentia, & Ruiz ad longum: ergo omnes Patres aperte docent, non multiplicari nec dari plures relationes originis, quam quatuor in Divinis: ergo hęc sententia neoterici, quem impugnamus, aperte pugnat cum communi sententia sanctorum Patrum.

102 Dices, Patres, & Doctores scholasticos solum loqui de relationibus transcendentalibus, non de prædicamentalibus, transcendentales enim solum sunt quatuor, trenscendentales autem, & prædicamentales simul plures sunt, quam quatuor; in quo nihil temeritatis datur.

103 Sed contra manifeste, quia hoc est certum apud omnes, vt iam vidimus supra, omnes relationes reales originis non esse plures, quam quatuor, & nihilominus est controversum inter Doctores, an tales relationes sint transcendentales, vel prædicamentales: quidam enim asserunt tres relationes paternitatis, filiationis, & processionis esse transcendentales; alij autem, & maxima probabilitate asserunt esse prædicamentales, vel ad instar illarum: sic P. Didacus de Ruiz *tom. de Trinit. disp.* 90. *sect.* 1. *num.* 4. ibi; prima conclusio sit, persona prima non constituitur plena constitutione per relationem mere transcendentalem: sed præter hanc formalitatem potentialitatis nimirum personæ potentis generare, vt plene constituta sit persona, requiritur actualis relatio ad Filium actu existentem; quæ relatio est ad instar relationis prædicamentalis, vt videbimus *sect.* 2. in ea autem sectione sic ait: postrema conclusio, relatio, quæ constituit personam Divinam, accedit ad relationem prædicamentalem; probatur primo, quia relatio constituit personam Divinam; sed non constituit relatio mere transcendentalis, quia relatio pure transcendentalis est ens simpliciter absolutum, quapropter si patris persona constitueretur per relationem transcendentalem aut potentialem, constitueretur per proprietatem simpliciter absolutam: ergo constituit relatio actualis, & quasi prædicamentalis, quia transcendentalis non est proprie relatio: sed merum ens absolutum, &c.

Citat pro sua opinione Scotum *in primo dist.* 28. *quæst.* 3. §. *ad quæst. & quodlibet* 4. §. *ex dictis duabus* Durandum Gabrielem, Cartusianum, & alios, & minimum de spiratione activa, quod sit relatio prædicamentalis à multis gravissimis authoribus asseritur, & meo videri evidenter probant differentiæ, quas adducit P. Suarez *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 8. *per totum, & præcipue a num.* 7. *vsque ad* 12. *inclusive*, inter spirationem activam, & cæteras relationes divinas: quod etiam dicendum est sine dubio à Neoterico, cum quo pugnamus; nam ipse in Logica *disp.* 12. *de relatione sect.* 2. *num.* 8. ita ait; vltimo tandem relatio alia dicitur transcendentalis, quæ ita est de essentia subiecti, *& sect.* 3. §. 10. sic ait. Respondeo ergo propterea me dixisse, eam esse relationem transcendentalem quæ est essentialis adæquate fundamento, sive possit separari, sive non; alibi ait, constituere rem in suo esse primario. 104

Atqui relatio spirationis activæ, vt *subsect. superiori* diximus, non constituit personam in esse personæ, nec adæquate est de essentia illius, & potest persona Patris intelligi, saltem nostro modo concipiendi sine illa; quia advenit iam personæ constitutæ: ergo talis relatio secundum hunc authorem, & secundum veritatem non est transcendentalis, sed prædicamentalis. 105

Ergo ita est illud primum certum, nimirum non dari plures relationes reales originis in divinis, præter quatuor, vt minime dependeat ab opinione posteriori, an videlicet sint prædicamentales, vel transcendentales, quia quod certissimum est, non dependet à dubio, nec firmitas nostræ fidei dependet ab opinionibus: primum enim non dependet à posteriori; atqui cuicunque gradus certitudinis fidei est primum respectu cuiuscunque opinionis, & opinio est secundarium respectu catholicorum: ergo certitudo fidei, cuius oppositum est temeritas, non dependet ab opinionibus: sed ita stabilis debet esse talis veritas vt sive tales dentur, sive non dentur, ipsa stabilis, immobilis, & firma sit sine eo, quod aliquomodo labet, aut innitatur talibus opinionibus, alias si ab illis dependeret conclusio hæc non esset certa de fide: sed opinio; quia conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum; sed talis opinio de prædicamentali, vel transcendentali relatione in divinis potest esse præmissa, & est de facto à qua dependet per vos veritas illa, quod non dentur plures, quam quatuor relationes reales originis: ergo hæc non est veritas, nec certitudo fidei, sed opinio, sicut est præmissa opinio, à qua dependet: atqui non est opinio talis veritas: sed potius certitudo fidei quarto gradu certitudinis: ergo non dependet ab illa opinione; an dentur in Deo relationes prædicamentales, vel transcendentales; quare dicendum est absolute non esse plures 106

nisi

nisi quatuor reales relationes sive sint prædicamentales, sive transcendentales. Vnde quando Patres, & Doctores Ecclesiæ asserunt, dari tantum quatuor relationes, & non plures vtuntur terminis vniversalissimis excludentibus omnes alias relationes tam prædicamentales, quam transcendentales, nam terminus ille, plures relationes reales non alligantur ad significandum solum relationes transcendentales, sed potius extenduntur ad omnem, & quancunque relationem realem: ergo si ipsi per tales terminos excludunt omnes alias præter quatuor, signum evidens est non solum excludere alias transcendentales, sed etiam omnes alias prædicamentales.

107 Confirmatur, quia illa propositio vniversalis, in Deo sunt tantum quatuor relationes reales originis, quia exclusiva est, duas habet exponentes: prima est; in Deo sunt quatuor relationes reales originis: secunda est; in Deo non sunt plures relationes reales originis, vbi terminus ille relationes reales, idem significat in duabus propositionibus exponentibus: quia ille terminus, qui est in duabus exponentibus, est idem qui erat in illa propositione exclusiva, vbi eodem modo loquebatur de relationibus realibus vniversaliter; sed in prima exponente, terminus ille, relationes reales, quando dicitur in Deo, sunt quatuor relationes reales, non solum significat relationes transcendentales, v. g. quæ constituunt personas, sed etiam extenditur significando relationem spirationis activæ, quæ est prædicamentalis: vnde sensus illius propositionis est, in Deo sunt quatuor relationes reales, quarum tres sunt transcendentales, quia constituunt personas, scilicet relatio Paternitatis, Filiationis, &c. & quarta est prædicamentalis, quia non constituit personam: itaque in prima propositione terminus ille, relationes reales affirmat de Deo non solum transcendentales relationes, sed etiam prædicamentalem: ergo in secunda exponente idem terminus, relationes reales, excludit omnes alias, præter quatuor sive sint transcendentales, sive prædicamentales: siquidem idem excluditur in secunda in maiori numero, quod affirmatur in prima in numero quaternario; sed in numero quaternario affirmatur non solum relatio transcendentalis, sed etiam prædicamentalis: ergo in secunda excluduntur in maiori numero, quam quaternario omnes aliæ relationes, sive prædicamentales, sive transcendentales: ergo evidenter convincitur falsam esse sententiam adversariorum dicentium, per illam propositionem vniversalem exclusivam solum excludere Doctores plures alias relationes transcendentales, non prædicamentales: alias si hoc esset verum, diuiderentur sine dubio Doctores, itavt qui docerent non dari relationes prædicamentales in Deo, assererent tantum esse quatuor; & qui affirmarent, dari relationes prædicamentales, dicerent non solum dari in Deo quatuor, sed etiam plures relationes reales originis; atqui in exclusiva vniversali omnes vniuntur, & vnanimi consensu asserunt sine controversia, quatuor. & non plures dari relationes originis in Deo, etiamsi dividantur in hoc, an sint prædicamentales, vel transcendentales: ergo signum evidens est, quod ipsi ita asserant dari quatuor relationes solum, & non plures, vt hoc non dependeat ab opinione de prædicamentali, vel transcendentali relatione, sed potius pro certissimo haberi ab illis dari solum quatuor relationes reales originis; sive dentur, vel non dentur, dicantur vel non dicantur transcendentales, aut prædicamentales.

Secundo contra; & demus per impossibile, quod 108
isti authores non se opponant positive communi sensui Doctorum, ac proinde liberentur à novitate in primo gradu, certe non possunt liberari à secundo gradu novitatis qui privative talis dicitur à Patre Suarez. Nam certe nullus hucusque Doctor ausus est asserere, dari plures quam quatuor relationes originis in Deo reales duplicando relationes originis, quis enim vnquam talem mentem induit? vt asserat firmiter dari in prima persona duplicem paternitatem, in secunda duplicem filiationem, in tertia duplicem spirationem passivam, seu relationem Spiritus sancti, certe nullus: ergo nullius Doctoris nititur authoritati, dum talia profert hic author, & talia introducit in mysterium Trinitatis. Tandem demus quod liberetur à novitate dicta quoad rem ipsam, certe non potest liberari à novitate in modo loquendi, in quam acriter invehuntur sancti Patres, vt patet ex locis à nobis supra citatis: ergo talis sententia omnino est fugienda.

SVBSECTIO VI.

Alijs inconvenientibus refellitur eadem solutio.

PRimo, quia Paternitas in Divinis nullo modo 109
realiter distinguitur à persona Patris tanquam res à re; sed si daretur in Patre Paternitas prædicamentalis, vt ab adversarijs ponitur, talis Paternitas distingueretur realiter à persona Patris tanquam res à re distinctione includentis ab incluso: ergo talis Paternitas non est danda in Divinis, hæc minor sic demonstratur: quia id quod resultat vel componitur ex duabus absolute, ac simpliciter rebus distinguitur à quacumque seorsim realiter distinctione includentis ab incluso, vt videre est in homine qui distinguitur à materia prima realiter distinctione includentis ab incluso; quia componitur ex materia, & forma realiter distinctis, dicendo realitatem formæ vltra realitatem materiæ, & includit materiam addendo præter illam formam; sed per vos Paternitas prædicamentalis non solum dicit personam primam Patris, sed etiam simul Personam Filij realiter distinctam à Persona Patris, itavt talis paternitas formaliter sit idem, quod Persona Patris, & Filij, itavt talis relatio includat in sua formalissima constitutione personam Patris, addendo vltra illam personam Filij realiter distinctam à persona Patris: ergo talis paternitas distinguitur realiter à persona Patris distinctione includentis ab incluso. Maior est certa secundum nostram fidem, quod docet P. Vasquez, *tom. 1. in 1. p. disp. 158. cap. 2.* vbi absolute dicit sola ratione Paternitas à Patre distinguitur, & supponit nullam in hoc dubitationem reperiri secundum illum locum D. Hieronymi *in expos. fidei ad Damasum*; vbi ait, ita etiam impietatem Sabelli declinantes, &c. quod etiam docet Pater Ruiz. *disp. 46. sect. 4. num. 7. fol. 403.* idem P. Suarez *lib. 5. de relationibus Divinis*: quod adeo verum est, vt licet Scotus doceat, relationem Paternitatis distingui ex natura rei formaliter à persona Patris, nihilominus nullus hucusque ausus est dicere, relationem

nem Paternitatis divinæ distingui realiter absolute, ac simpliciter distinctione includentis ab incluso ab ipsa persona.

Et patet manifeste ex Concilio Florent. *sess. 19. colum. vlt.* vbi tres disputatores, Ioannes, Marcus, & Bessarion tacite approbante Concilio in eo conveniunt, quod Patris persona non nisi ratione ab ipsa Paternitate, substantiaque differt; cum ab alijs duabus personis re quoque differat; ita Ioannes, §. *in patre*, & paulo inferius, §. *ex tuo sermone*, idem asserit; quod idem evidenter colligitur *ex tota præcedenti sess. 18. præcipue post medium* § *divina substantia, & §. dixi equidem, & sequentibus.* In quibus omnibus distinctio rationis solum ponitur, & minime realis inter relationem, & personam, cuius relatio est, & idem est inter essentiam, & ipsam relationem. Idem docet Damascenus *lib. 1. fidei, cap. 9. à § vnumquemque, vsque ad illa verba, atque perfectam credamus.* Item Sanctus Martialis cognomento Apostolus, & contemporaneus Apostolorum *epist. 1. ad Burdegalenses, c. 10. sine ab illis verbis, hæc in personis tri-*. Idem docet Nazian. *orat. 25. ad Arrianos, & orat. 37. quæ est 5. de Theolog.* quibus similia dixerat *orat. 13. quæ est 2. de pace.* Athan. *in orat. contra Gregales Sabelli.* Iustinus *q. 17 ad ortodoxos, ab illis verbis, divinarum consistentiarum,* & Hilarius *lib. 2. de Trinit. colum. 2.* Ambros. *in symb. Apostol. cap. 2. ad finem, ab illis verbis, Sabellius vsque ad illa transfunditur.* Tandem Cyrillus *lib. 1. Thes. c. 6. post medium.*

110 Vrgeo, nam pro certissimo habetur à Theologis nullam ralationem distingui realiter distinctione absolute, ac simpliciter reali à persona quam constituit, vel cuius relatio est. Nam ipsi secundum definitionem Concilij Remensis contra Gilbertum Porretanum absolute docent, nullam relationem realem realiter distingui à divinitate; quod adeo verum est, vt sententiam Scoti dicentis, relationem ex natura rei formaliter distingui à divinitate, omnes, præter Scotistas improbabilem iudicent, P. Vasq. hæreticam nominet, P. Molina errorem, P. Didacus de Ruiz temerariam: ergo à fortiori non potest distingui realiter ab ipsa persona Patris: quia minus distinguitur Paternitas à Patre, v.g. concretum ab abstracto, quam abstractum Paternitatis à divinitate, & ideo omnes Thomistæ fatentur magis differre per intellectum relationem ab essentia, essentiam ab attributis, & attributa inter se, quam differat relatio à persona, vt Paternitas à Patre.

111 P. Vasquez *tom. 2. in 1. p. disp. 122. c. 5. num. 18. in medio*, sic ait: fateor igitur inter relationem & personam, concretum, & abstractum minorem esse in Deo distinctionem, quam inter essentiam, & relationem, &c. quod vt commune omnium asserit: ergo si relatio non distinguitur realiter vllo modo à divinitate, nullo modo distinguetur à fortiori ab ipsa persona, & hæc veritas, videlicet, quod Paternitas non distinguatur realiter à Patre, virtute definita est in Concilio Remensi contra Gilbertum Porretanum asserentem relationes distingui realiter à Divinitate: Vnde sine dubio etiam definivit virtualiter, imo à fortiori non distingui realiter absolute à persona relata, v. g. Paternitatem à Patre, filiationem à Filio, spirationem ab Spiritu sancto propter rationem iam dictam: ergo nullo modo potest dici, relationem

112 Paternitatis distingui realiter à Patre.

Secundo ab inconvenienti sic argumentor: quia per te relatio Paternitatis in Divinis non est sola entitas Patris, sed etiam entitas Patris, & Filij: itavt relatio illa sit quoddam quasi totum compositū, aut coalescens ex Patre, & ex Filio: ergo in Trinitate comparando vnam personam cum duabus in esse Patris, vel in esse Filij, maius erunt simul Pater, & Filius, quam solus Pater, vel solus Filius: sed hoc est falsum: ergo Pater in esse Patris, & Paternitas non est totum quasi compositum, & coalescens partim ex ipso Patre, & partim ex ipso Filio: Hęc minor aperte traditur in Symbolo Athanasij, vbi sic dicitur: & in hac Trinitate nihil maius, aut minus, quod etiam docuit D. Augusti. *lib. 6. de Trinit. cap. 7.* his verbis; aliquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater, & Filius; & *cap. 28.* confirmat idem *lib. 15. de Trinit.* his verbis: neque aliquid maius dici potest Pater, & Filius simul quam solus Pater, vel solus Filius, cum itaque tantus solus est Pater vel solus Filius, &c. quantus est simul Pater, & Filius: ergo pater solus, aut solus Filius in esse patris, aut Filij, aut in ratione Paternitatis, aut Filiationis, non est minus, quam Pater, aut Filius simul, nec maius pater, & Filius simul, quam Filius solus, vel pater solus, ac proinde erit falsum oppositum huic veritati. Idem docet sanctus Cyrill. *lib. 1. thes. cap. 6. post medium*, perfectus inquit) & completus Pater est, non solum quia Deus, sed etiam quia pater: vnde non pars, nec minus Filio, & Spiritu sancto, quod alibi dixerat his verbis: Deo patre, Filio, & Spiritu sancto sic est quod quilibet eorum stat tam completus, sicut alius.

Consequentia illa prima sic probatur: quia 113 totum est maius sua parte, & pars est minus suo toto; sed per vos pater in esse patris, vel paternitas est totum coalescens ex patre, & Filio simul, itavt prima persona sit pars talis paternitatis, & Filius sit pars illius: ergo relatio paternitatis est maius, quam pater solum, aut Filius solum; sed Paternitas, vt paternitas est idem formalissime, quod pater, & Filius simul: ergo Pater, & Filius simul sunt maius, quam Pater solum, aut Filius solum in ratione Paternitatis, quod est falsissimum ex supra dictis: ergo Paternitas non est totum coalescens ex patre, & Filio simul, sed solum erit ipsa entitas patris distincta à Filio, relata tamen ad ipsum.

Dices: quando sanctus Athanasius *in Symbolo*, 114 & D. August. *lib. 6. de Trinit. cap. 7.* asserunt, Patrem solum non esse minorem patre, & Filio simul, & Patrem, & Filium simul non esse maius quam Patrem solum, aut Filium solum, non loquutum fuisse de relatione paternitatis, aut Filiationis, sed de maioritate, & minoritate in substantia, & essentia, itavt non probaret D. Augustinus tali loco, patrem, & Filium non esse simul vnam relationem paternitatis.

Sed contra manifeste, quia licet in alijs locis 115 dicat D. Augustinus, Patrem, & Filium simul non esse maius, quam patrem solum, aut Filium solum ad probandam eandem essentiam esse in vno, ac in alio: v.g. *sermone 18. de tempore, prope medium*, ibi: neque aliquid maius tres simul dici Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quam vnus quælibet, vel alter, vel Filius, vel Spiritus sanctus: (quod aperte patet ex ratione, quam tribuit sanctus Doctor his verbis) quia eadem natura est in vnaquaque persona simul dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis.

Nihilominus *cap. 7. lib. 6. de Trinit.* ideo solum 116 ait Patrem, & Filium simul non esse maius, quam

solus pater est, non quia sint eiusdem essentiæ; sed potius quia pater, & Filius simul non sunt pater; itaque ad nostrum propositum loquitur solum D. Augustinus in eo capite, & eo modo argumentatur ille, sicut nos, dicens: si pater & Filius simul essent pater, minor esset pater solus, quam pater, & Filius simul; & pater, & Filius simul essent maius, quam pater solum aut Filius solum; verba Augustini sic se habent: [alioquin minor erit pater solus, au Filius solus, quam simul pater, & Filius, quanquam non inveniatur quomodo dici possit aut pater solus, aut Filius solus, cum semper atque inseparabiliter, & ille cum Filio sit, & ille cum Patre non vt ambo sint Pater, aut ambo Filius: sed quia semper in invicem neuter solus, ita solum patrem dicimus Patrem, non quia separatur à Filio: sed quia non simul ambo Pater sunt.]

Ecce quomodo D. August. aperte probat, Patrem non esse minorem Patre, & Filio simul, & dat rationem, quia Pater, & Filius simul ambo non sunt Pater, alias si ambo essent simul Pater, minor esset Pater solus, quam Pater, & Filius simul: vnde concludit evidenter D. August. Patrem esse solum Patrem, & non Patrem & Filium simul; sed ne aliquis intelligeret per illum terminum, solum Patrem separari realiter à Filio in hoc sensu, vt Pater aliquando sit sine Filio, & sic solus existat sine eo; explicat se D. Augustinus dicens, non eo sensu se loquutum fuisse, (quia nunquam Pater est sine Filio, siquidem Pater semper refertur ad Filium, sicut Filius semper refertur ad Patrem, ratione cuius neque Pater sine Filio, neque Filius sine Patre possunt esse; sed potius simul sunt semper, sine eo quod vnus sit prior duratione & natura, quam alius, quia relativa, & quæ invicem vel ad invicem referuntur, sunt simul natura, & cognitione) sed potius in eo, quo significet in constitutione Patris non esse Filium, ita vt Filius non constituat Patrem in esse Patris, quia Pater in esse Patris per solam Paternitatem simplicem sine vlla compositione partium constituitur in esse Patris, ita vt Filius non sit pars Paternitatis, ratione cuius minime coalescit Paternitas, per quam constituitur Pater ex Patre, & Filio, ac proinde Pater, & Filius simul non sunt Pater, & sic Pater solus est Pater, sicut solus Filius est Filius licet semper existant simul respiciendo se ad invicem: ergo optima est nostra argumentatio contra adversarios; siquidem desumpta est ex D. Augustino, *lib. 6. de Trinit. c. 7.* ac proinde falsa est solutio adversariorum.

SVBSECTIO VII.

In qua clarissimis verbis D. Augustini refutatur solutio adversariorum.

117 PEr te relatio Paternitatis in divinis sunt Pater, & Filius coëxistentes simul, & sic asseris idem esse formalissime relationem Paternitatis, ac personam generantem, & genitam simul, & ideo asseris, talem relationem prædicamentalem partim intrinsecam esse ab ipso Patre provenientem, & partim extrinsecam à Filio desumptam, vt te ostendisse inquis, in materia de Trinitate; itaque asseris, Patrem adæquate, & totaliter neque tantum esse primam personam, neque tantum secundam, sed vtranque simul, ita vt adæquate sit Pater Pater, & Filius simul.

Sed hæc sententia vt iacet expresse refutatur à 118
D. Augustino multis in locis, præcipue *lib. 6. de Trinit. toto cap. 2.* ibi: [sed si non dicitur in seipso, nisi quod ad Filium dicitur, id est Pater, vel genitor vel principium eius, si etiam gignens ei, quod de se gignit, consequenter principium est quidquid aliud dicitur cum Filio dicitur, vel potius in Filio, sive magnus ea magnitudine, &c.] & paulo post, [Filius vero sicut in se ipso dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur: sed ad Patrem, non sic, & in se ipso magnus: sed cum Patre, cuius ipse magnitudo est, sic & sapiens cum Patre dicitur cuius ipse sapientia est; quidquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero, id est quidquid dicuntur, quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur; si hæc ita sunt, iam ergo nec Deus est Pater sine Filio, nec Filius Deus sine Patre: sed ambo simul Deus, & quod dictum est, in principio erat Verbum, in Patre erat Verbum, intelligitur, quod sequitur, & Verbum erat apud Deum, Verbum quidem solus Filius accipitur non simul Pater, & Filius, tanquam ambo vnum Verbum, sic enim Verbum quomodo imago, non autem Pater, & Filius simul ambo imago: sed Filius solus imago Patris, quemadmodum & Filius, non enim ambo simul Filius; quod vero adiungitur, & Verbum erat apud Deum, multum est vt sic intelligatur Verbum quod solus est Filius, erat apud Deum, quod non solus est Pater, sed Pater, & Filius simul Deus: sed quid mirum si in duabus quibusdam rebus longe inter se diversis potest hoc dici? quid enim tam diversum, quam animus, & corpus? potest tamen dici, animus erat apud hominem, id est in homine, cum animus non sit corpus, homo autem animus simul, & corpus sit, vt etiam quod consequenter scriptum est, & Deus erat Verbum: sic intelligatur, vt Verbum, quod non est Pater, Deus erat simul cum patre: quomodo ergo Deus de Deo lumen de lumine, non enim simul ambo Deus de Deo: sed solus Filius de Deo, scilicet patre, nec ambo simul lumen de lumine: sed solus Filius de lumine patre; quod si ita est, hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt: sicut Verbum de Verbo dici non potest, quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius, nec imago de imagine, quia non simul ambo imago, nec Filius de Filio, quia non simul ambo Filius, secundum quod dicitur: ego, & pater vnum sumus: vnum sumus enim dictum est, quod ille hoc, & ego secundum essentiam non secundum relativum.]

Sic Augustinus, vbi expresse docet, nullo modo posse dici, quod pater, & Filius simul ambo sint pater: sicut nec potest dici, Verbum, & pater sunt simul ambo Verbum: sicut nec Filius, & pater simul sunt Filius, neque imago, & nihilominus ait posse dici; Pater, & Filius simul Deus, Pater & Filius simul sapiens: vt patet ex illis verbis: sic, & sapiens cum Patre dicitur; quidquid ergo ad se dicuntur non dicitur alter sine altero, id est quidquid dicuntur, quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur; si hæc ita sunt iam; ergo nec Deus est Pater sine Filio, nec Filius Deus sine Patre; sed ambo simul Deus, & rationem discriminis tribuit, quia ratio Patris, ratio Filij, &c. sunt rationes

tiones relativæ, ratio autem Dei, sapientis, magni, &c. non est relativa, sed absoluta, & ideo ait, quidquid ergo ad se dicitur non dicitur alter sine altero; & concludit, docendo expresse hanc differentiam relativi, & absoluti esse in causa, vt aliquod prædicatum dicatur de illis simul, & aliud non dicatur de illis simul, & sic ait: ego, & Pater vnum sumus, vnum sumus enim dictum est secundum essentiam non secundum relativum. Itaque omne illud prædicatum, quod est ad se, vel in ordine ad seipsum, & non respectu alterius, quod est idem, ac esse absolutum, ait posse dici de Patre, & Filio simul, vt omnipotens, magnus, sapiens, &c. non autem posse dici illud prædicatum, quod est respectu alterius, seu relativum; vt patet ex vltimis verbis; sed prædicatum Patris, sive transcendentaliter sive prædicamentaliter est relativum, & non est absolutum vllo modo: ergo sicut transcendentaliter non potest dici, prima & secunda persona simul sunt pater, ita nullo modo poterit dici prædicamentaliter prima, & secunda persona generans, & genitum simul in divinis sunt Pater, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed ratio formalis, quare prædicatum Patris transcendentaliter, non sit Pater, & Filius simul, est quia ratio Patris transcendentaliter est relativa, & non absoluta; sed etiam ratio Patris prædicamentaliter est relativa, & non absoluta: ergo ratio Patris non potest dici de Patre, & Filio simul, ac proinde non possumus dicere, prima, & secunda persona simul coëxistentes sunt Pater prædicamentaliter.

119 Confirmat amplius D. Augustinus hanc veritatem *lib. 7. de Trinit. cap. 2.* his verbis: [Pater igitur, & Filius simul vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia; sed non Pater, & Filius simul ambo vnum Verbum, quia non simul ambo vnus Filius, sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur; ita & Verbum ad eum cuius Verbum est refertur, cum dicitur Verbum, eo quippe Filius quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius; quoniam igitur Pater, & Filius simul, non vtique vnus Filius, consequens est, vt Pater, & Filius simul non ambo vnum Verbum, & propterea non eo Verbum quo sapientia; quia Verbū non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cuius Verbum est, sicut Filius ad Patrem, sapientia vero eo quo essentia, & ideo quia vna essentia, vna sapiētia, quoniam vero, & Verbum sapientia est, sed non eo Verbum, quo sapientia; Verbum enim relative, sapientia vero absolute, & essentialiter intelligitur: at quod sapientia est, quoniam & ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstretur, & hoc eius esse, quod sapere: vnde Pater, & Filius simul vna sapientia, quia vna essentia, quapropter non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non vna essentia, quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Vterque autem simul vna sapientia, non autem simul vterque Verbum, aut Filius quia non hoc est esse, quod Verbum esse, aut Filium esse; sicut iam satis ostendimus ista relative dici:] sic D. Augustinus, vbi asserit, Patrem, & Filium simul vnam essentiam, vnam magnitudinem, vnam veritatem, vnam sapientiam, non tamen posse dici, Patrem, & Filium simul Patrem esse, Patrem, & Filium simul aut Verbum esse aut Filium; nam ait D. Augustinus, sapientia dicitur de duabus simul personis, Pater autem non dicitur de illis, quia ratio sapientiæ absoluta est, & ad se vt patet ex illis verbis; at in altero, quod est sapientia, quoniam & ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est; vnde Pater, & Filius simul vna sapientia: ratio autem Filij, Patris, & Verbi relativa est, vt patet ex illis verbis, sed non Pater, & Filius simul, ambo vnum Verbum, quia non simul ambo vnus Filius: sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur; ita & Verbum ad eum, cuius Verbum est refertur, cum dicitur Verbum; & paulo post, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur, & in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur. Itaque D. Augustinus omnia prædicata absoluta, seu quæ ad se sunt, sive sint essentialia, vt Deus, sive attributalia, vt sapientia, veritas, & magnitudo, dicit talis esse conditionis, vt vnumquodque ex illis prædicetur de duabus personis simul: v.g. de Patre, & Filio, & ideo vere dicimus, Pater, & Filius simul sunt Deus, Pater & Filius simul sunt magnitudo, sapientia, & veritas.

E contra vero ait, prædicatum relativum, v.g. 120
Pater, Verbum, imago, Filius non posse dici de duabus personis simul quæ adinvicem referuntur per talem relationem, & ideo nullo modo potest dici, inquit cherubicus Doctor, Pater, & Filius simul sunt Pater, Filius & Pater simul sunt Verbum, imago, & Filius, & hoc formalissime, quia prædicatum relativum est, & non absolutum.

Ratio autem à priori huius veritatis Sancti 121
Doctoris sine dubio videtur esse, quia vnum relativum opponitur alteri correlativo, ac proinde distinguitur ab ipso: quia in divinis omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio: atqui vnum oppositum non potest constitui in ratione oppositi per alterum oppositum: ergo vnum relativum in esse relativi non potest constitui per alterum sibi correlativum: atqui Pater in esse Patris est oppositus, & correlativus Filij: ergo in esse Patris non constituitur per Filium, quatenus Filius est: ergo formaliter non est idem Pater, aut Paternitas, quod Pater, & Filius simul coexistentes.

Minor illa sic demonstratur: quia quando ali- 122
quod oppositum constituitur in esse oppositi respectu alicuius non solum constitutum, sed etiam id per quod constituitur in esse oppositi, opponitur illi realiter, cui opponitur constitutum, quod sic patet, quia v. g. albedo constituitur in esse oppositæ realiter per disgregationem visus, non solum ipsa albedo constituta opponitur nigredini realiter, sed etiam ipsa ratio disgregandi visum, & quia tenebræ opponuntur luci non solum tenebræ opponuntur illi, sed etiam carentia lucis, seu privatio, quia tenebræ constituuntur in esse oppositarum lucis per rationem carentiæ lucis, & per privationem talis lucis. Tandem quia homo quatenus homo opponitur realiter suo modo bruto, aut animali irrationali non solum opponitur homo equo aut bruto, sed etiam rationale formaliter, per quod constituitur in esse hominis formaliter; sed idem non potest sibi ipsi realiter opponi, alias à se ipso realiter distingueretur, quia oppositio dicit realem distinctionem: ergo vnum oppositum non potest constituere aliud sibi oppositum: patet hæc consequentia, quia vt iam vidimus, quidquid constituit oppositum respectu alicuius, opponitur illi cui opponitur constitutum; sed per te oppositum B, constituit oppositum A, in esse oppositi respectu ipsius B: ergo non solum A opponitur B, sed etiam B sibi ipsi

opponitur : ergo si vnum oppositum constitueret aliud, idem oppositum sibi realiter opponeretur, & à se ipso realiter distingueretur, ac proinde idem simul esset, & non esset oppositum, quod est omnino impossibile ex illo axiomate evidentissimo metaphysicæ, impossibile est idem simul esse, & non esse. Tunc sic; omnis Pater, sive transcendentaliter sive prædicamentaliter non est absolutus, sed relativus formaliter respectu Filij, & personæ genitæ; sed omne relativum est oppositum correlativo termino : ergo omnis Pater formaliter vt pater, sive transcendentaliter sive prædicamentaliter est oppositus, sive transcendentaliter, sive prædicamentaliter suo Filio, & personæ à se genitæ, qui est terminus correlativus Patris: ergo Pater, aut paternitas, sive prædicamentaliter, sive transcendentaliter sumatur, non constituitur in esse Patris, & Paternitatis per Filium, aut personam genitam à Patre : ergo paternitas, seu Pater formaliter non est Pater, & Filius simul, quia si esset simul vterque, per vnumquemque constitueretur in ratione Patris; v.g. quia homo est corpus, & animus simul in esse hominis constituitur per animum, sicut constituitur per corpus, & quia Verbum, & homo sunt vnus Christus in esse vnius Christi constituitur per Verbum sicut per humanitatem, & ideo dicitur in Symbolo, ita Deus, & homo vnus est Christus.

123 Vrgetur hoc, quia relatio spiratoris activi in divinis non est relatio transcendentalis, quia vt supra diximus, neque constituit personam cui advenit, neque est de essentia illius: ergo vel est prædicamentalis, vel alterius rationis, quæ nec sit transcendentalis, nec prædicamentalis; si est prædicamentalis, argumentor sic: hæc relatio non est idem formalissime, quod principium spirativum, & Spiritus sanctus, hoc est, non est idem formalissime, quod vtrumque extremum correlativum secundum nostram fidem; nam principium spirativum, v.g. Pater, & Filius quatenus vnum principium Spiritus sancti sunt, formaliter distinguuntur realiter ab Spiritu sancto : ergo non solum relatio transcendentalis non est vtrumque extremum correlativum, sed etiam relatio prædicamentalis in divinis : ergo Paternitas prædicamentalis à te ficta, quæ vere relatio est per te non includet formaliter vtrumque extremum correlativum, neque erit formaliter Pater, & Filius simul coexistentes à paritate rationis inter spirationem activam, & Paternitatem; quia vtraque est relatio prædicamentalis in divinis, vtraque dicit oppositionem cum termino, ac proinde in vtraque datur eadem ratio formalis, & per consequens idem effectus, vel quasi effectus formalis, non includendi vtrumque extremum.

124 Si autem non est prædicamentalis, nec transcendentalis, sed media quædam relatio inter vtramque : ergo convenit relatio non transcendentalis, & media cum relatione transcendetali in hoc, quod nulla ex illis est vtrumque extremum correlativum; sed non potest hoc conuenire illis propter differentias, quibus inter se differunt; quia v. g. si transcendentali relationi conveniret non esse vtrumque extremum ratione differentiæ, hoc prædicatum non conveniret relationi non transcendentali, quia cui non convenit differentia, non convenit prædicatum sequutum ad illam formaliter, sicut v. g. quia equo non convenit rationalitas, non potest convenire risibilitas, quæ sequitur formaliter ad rationalitatem. Item, quia implicat, quod aliquid sit commune duobus ratione differentiarum, per quas maxime differunt, & non conveniunt; sed non esse vtrumque extremum formaliter correlativum, convenit non solum relationi transcendentali, sed etiam relationi non transcendentali: ergo non convenit hoc prædicatum ratione differentiæ, sed ratione prædicati communis relationi non transcendentali, & transcendentali.

125 Neque potest dici, convenire hoc relationi transcendentali, non solum ratione differentiæ, hoc est quia transcendentalis est, sed potius ratione totius coniuncti, scilicet quia relatio transcendentalis est; hoc enim non potest dici, quia alias non conveniret illud prædicatum relationi non transcendentali, quia cui non convenit totum coniunctum, non potest convenire ratio sequuta ad tale coniunctum : vt v. g. quia Christo Domino convenit esse Christum ratione totius coniuncti, Verbi, & humanitatis, tale prædicatum non convenit Petro: quia Petro non convenit esse coniunctum ex Verbo, & humanitate, sicut quia composito ex animo rationali, & corpore convenit, quod sit homo ratione coniuncti, & talis ratio coniuncti non convenit equo, minime convenit equo quod sit homo. Vnde si aliquod prædicatum convenit, non solum huic coniuncto, sed etiam equo, tale prædicatum non conveniet huic coniuncto propter rationem coniuncti, quæ non est in equo, sed potius debet convenire illi propter aliquam rationem communem coniuncto, & equo.

126 Atqui quod relatio non includat vtrumque extremum correlativum convenit non solum relationi transcendentali, sed etiam non transcendentali, vt est spiratio activa, cui non convenit vllo modo aut differentia transcendentalis, aut coniunctum ex relatione, & transcendentali: ergo non esse formaliter idem quod vtrumque extremum non convenit relationi transcendentali, neque ratione differentiæ, neque ratione coniuncti: ergo convenit illi ratione prædicati communis, in quo conveniunt formaliter relatio transcendentalis, & non transcendentalis; sed illud prædicatum non est aliud, nisi ratio relationis vt sic, propter oppositionem quam dicit cum relatione opposita, & cum termino correlativo : ergo ideo convenit illi præcise, quia relatio realis est, & participat communem rationem relationis vt sic, ac proinde quia relationi in communi, seu relationi vt sic convenit non includere vtrumque extremum; sed paternitas relativa, aut relatio paternitatis prædicamentalis est vera, & realis relatio: ergo non includit vtrumque extremum, Patet hæc consequentia : quia quidquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo; sed relationi vt sic propter oppositionem, quam habet cum suo termino convenit vt non constituatur formaliter ab ipso, ac proinde vt non includat vtrumque extremum formaliter: ergo relationi prædicamentali, v.g. paternitati, filiationi, &c. convenit propter oppositionem quam habent cum termino, vt non componantur ab illo, aut constituantur formaliter, ratione cuius non poterit dici, Pater, & Filius simul sunt Pater, Filius, & Pater simul sunt Filius prædicando ad invicem Filiationem, & Paternitatem, quia huiusmodi prædicatio pugnat cum oppositione relativa, vt inquit Anselmus *epist. de proc. Spiritus sancti, cap. 2. post medium*, ibi; hæc sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater, & Filius,

Filius, & Spiritus sanctus dici non possint de invicem, sed alij sint ab invicem; quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, &c. & *cap. 5. non longe à principio, eadem epist.* sic ait, supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia prædictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum de invicem dici, & propria singulorum alijs attribui.

SVBSECTIO VIII.

In qua amplius confirmantur dicta.

127 QVia duæ personæ simul non sunt vna persona in Divinis, & ratio est manifesta: quia personalitas vniuscuiusque est omnino incommunicabilis cæteris; sed relationes v. g. Paternitatis, filiationis, &c. sunt etiam omnino incommunicabiles; relatio enim paternitatis minime est communis Patri, & Filio; sed solum est propria Patris, vt patet ex Anatematismis, quos contra Nestorium edidit, Cyrillus Alexandrinus hortante Concilio Ephesino (habetur *in 5. tom. eiusdem Concilij, cap. 1. anatemastismo 9.*) ibi: vnigenitum Dei Verbum omnia præter solam paternitatem cum Patre æqualia, & communia habens, & Concilium Florentinum ex literis vnionis Eugenij quarti sic decernit: omnia, quæ Patris sunt ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem. Et Augustinus *5. de Trin. cap. 14.* sic ait, est Filius hoc omnino, quod Pater, non tamen est Pater; idem docet Cyrillus *lib. 2. thesauri, cap. 1.* ibi, nihil proprium vni est, quod alteri non insit excepta solummodo Patris, & Filij appellatione, ac re: quod adeo verum est, vt pro axiomate in Theologia habeatur, sumpto ex Augustino, qui constanter vbique docet, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse vnum tantum secundum ea omnia, quæ absoluta sunt: cæterum quoad ea solummodo, quæ relative dicuntur non esse vnum, sed tres, nec prædicari de se invicem, ac proinde nec Patrem solum esse Filium, nec Filium, & Patrem simul esse Filium, & vtrumque non esse vnum Verbum, ita docet *lib. 5. de Trin. cap. 8. à principio, & cap. 11. à principio*; fusius autem *lib. 7. cap. 2. & cap. vlt. inter medium, & finem, & per epilogum lib. 8. cap. 1. initio, & lib. 11. cap. 10. prope medium.* Idem frequenter repetit *serm. 38. de tempore, præcipue inter principium, & medium*, quam doctrinam recipiunt Magister, & communiter Scholastici *in primo dist. 22. capite sciendum, & cap. Deus.*

Quam doctrinam mirifice declaravit Nazianzenus *orat. 23. in laudem Heronis prope finem* his verbis: eodem modo Filium vere esse Filium, quod & solus, & solius, ac singulari modo, & solum; non enim Pater quoque simul est, & in totum, & totius, & à principio hanc rationem habens, quod
128 solus ex solo natus est.

Ergo duæ relationes non sunt vna relatio, neque duo relativa sunt vnum relativum, ratione cuius paternitas, & Filiatio simul in divinis non sunt paternitas, & Pater, & Filius simul non sunt Pater: sicut Filius, & Pater simul non sunt Filius: ergo paternitas in Divinis non est formaliter idem quod vtrumque extremum correlativum: alias daretur ansa ad confundendas personas, quod prohibuit strictissime Athanasius in Symbolo, illis verbis. Neque substantiam separantes, neque confundentes personas: ergo omnino est expellenda sententia, quæ docet vtramque personam simul esse Patrem, & vtramque personam simul esse Filium.

Deinde, quia Pater per vos, aut Paternitas præ- 129
dicamentalis est persona generans, & genita simul: sed prima persona Trinitatis per vos est vere Pater tam prædicamentaliter, quam transcendentaliter: ergo prima persona est generans, & genita, quod est falsissimum vt docet Athanasius in Symbolo; ibi: Pater à nullo est factus nec creatus, nec genitus: ergo Pater in divinis, aut paternitas nullo modo est vtraque persona simul: sed sola prima, quod sic patet: quia relatio prædicamentalis paternitatis fundatur in persona generante, ita vt persona, quæ non genuerit, non sit Pater. Vnde sola persona generans est Pater: sed sola prima persona in divinis generat Filium: ergo sola prima persona in Divinis est Pater, sive prædicamentaliter, sive transcendentaliter.

Maior illa sic patet ex Athanasio *oratione 2.* 130
contra Arrianos, inter principium, & medium, ibi: quia genuit, Pater est, & Filius, quia aliunde genitus est solus: ergo Pater, Pater, quia solus Pater genuit, sicut solus Filius, Filius; quia solus Filius genitus est: quæ verba concordant cum illis, quibus vsus est in Symbolo ipse Athanasius ad probandum solum Patrem esse ingenitum, & generantem Filium, & Filium solum esse genitum à solo Patre: verba sic se habent, Pater à nullo est factus nec creatus, nec genitus, Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus: sed genitus; Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus; sed procedens.

Similia multoties profert Cyrillus Alexandri- 131
nus veluti *libris Dialogorum de Trin. & præcipue lib. 2. colum. 2. & lib. 4. colum. 5.* dicit, Pater solus quidem, quia solus genuit, *& lib. 1. thesauri, c. 5. circa medium*, Pater est, quia generat, Filius quia generatur. Nazianzenus *orat. 37. de Theologia, vero 5. colum. 5.* ex ijs vero ait, quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat effectum est, vt alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur. Ambrosius *lib. 1. de fide ad Graf. cap. 2. circa medium.* Filius, inquit, quia genitus ex Patre; idem colligitur ex omnibus fere Patribus asserentibus, propterea Filium esse, vel appellari Verbum, quoniam genitus est, sive conceptus per mentem. Clarius Gregorius Boëtius *lib. de Trinit. propius ad medium, quam ad finem*, hoc solo, inquit, differens à Patre Filius, quod ille Pater est, & hic Filius, id est quod ille genuit, & hic natus est, ratione cuius dixit Ambrosius *lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio, c. 9. in medio*, ita scribit cum Filium dico generatum significo, cum Patrem quoque dico generasse declaro; eadem repetit Ambrosius *4. de fide ad Gratian. c. 4.* cur Filius Pater non est, inquit; quia, & Pater Filius non est, quia non iste generavit, quia nec ille generatus est, nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est, nec Pater minus habet, quia Filius non est: dixit enim Filius, omnia quæ Pater habet; mea sunt; adeo generatio in paterna proprietate non in iure est potestatis: ergo solus dicitur Pater, quia solus generavit, & Filius dicitur Filius; quia solus genitus est à solo Patre.

Secundo ratione sic probatur, quia relatio pa- 132
ternitatis est relatio originis, interrogo, an sit originis activæ, vel passivæ; sed non passivæ, vt

fides nostra docet ; ergo activæ : ergo solum ille dicitur Pater, qui producit ex vi originis activæ per intellectum : sicut solum ille dicitur Filius qui productus est per intellectum : sed producere per intellectum est generare: ergo solum illa persona dicitur Pater, quæ generat ; sed sola prima persona generat, & minime generant duæ personæ simul, videlicet Pater, & Filius secundum nostram fidem catholicam : ergo sola prima persona est Pater, & minime sunt Pater, & Filius simul.

133 Vrgetur, quia relatio prædicamentalis solum est in eo subiecto, in quo est transcendentalis similis illi : quia ex vi relationis transcendentalis subiectum est capax talis relationis prædicamentalis : sed relatio transcendentalis paternitatis solum est in prima persona, & non in prima, & secunda : ergo relatio prædicamentalis etiam debet esse solum in prima (loquor de paternitate.) Maior probatur: Relatio spiratoris activi est prædicamentalis, & illa non est in principio spirativo, & in Spiritu sancto simul : sed solum in principio spirativo, quia solum principium spirativum producit Spiritum sanctum, & non producunt Spiritum sanctum principium spirativum, & ipse Spiritus sanctus simul : ergo relatio prædicamentalis, quæ sequitur ad originem activam solum est in principio activo, vbi datur relatio transcendentalis principij activi, & non simul in principio activo, & termino producto; sed paternitas est relatio prædicamentalis sequuta ad originem activam : ergo solum est in principio activo generante, scilicet in prima persona, & non in generante, & genito simul, ac proinde talis paternitas non erit generans, & genitum simul: sed solum prima persona.

134 Tandem sic probatur, quia nullum relativum in Divinis est compositum ex duabus partibus: sed vnumquodque relativum est simplex. Vnde Pater in Divinis non coalescit ex duabus partibus, vt docuit Athanas. *orat. contra gregales Sabelli, multo propius ad medium, quam ad principium*, loquens de Patre, & Filio, ibi : duos autem non bifidos ex duabus partibus : sed duos prorsus integros, eo quod integer sit, & perfectus Filius ex integro, & perfecto Patre ; vbi asserit Athanasius, neque Patrem componi ex duabus partibus in esse Patris, neque Filium; sed potius Patrem esse integrum Patrem, & Filium esse integrum Filium, ita vt vnaquæque persona sit simplicissima sine vlla compositione, vt ait Richardus Victorinus *lib. 3. de Trinit. toto cap. 22.* cuius in fine concludit ; in singulis itaque summa simplicitas, & ideo Basil. *homil. 28. contra Sabellian.* plenus est, inquit, Pater, non pars alterius : sed perfectus, & totus in se ipso considerandus ; ad quod respiciens Bernardus *epist. 190. ad Innocentium*, ita disserit de summo bono Trinitatis ; totum, inquit vnum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulos; sed per vos Pater prædicamentaliter componitur, & coalescit ex persona genita, & generante : ergo talis Pater non est dandus in divinis: vnde Cyrillus Alexandrinus *lib. 3. thesauri, cap. 4. prope finem* ; ita redarguit hæreticos, quomodo Pater omnium rerum principium erit, si non simplex, sed compositus erit ? primum enim simpliciter, haudquaquam compositum esse potest, quia nihil potest ipso præintelligi, à quo componatur, nec vlla diversitas in primo simpliciter est; composita vero congregationem diversorum simplicium habent, quæ ipsis necessario præintelliguntur : sic ille, cui consonat Ambrosius in Symbolo Apostolorum *cap. 1. post medium*, ibi ; compositus esse non potest, cum aliqua eo anteriora existere putare nefas sit.

Vnde sapienter Iustinus *quæst. 129. ad ortodoxos*, 135 qui non habet, inquit, à quo factus sit, nec compositus est; ergo Pater simplicissime est Pater, neque vllo modo in ratione Patris compositus debet esse, sicut nec Filius, aut Spiritus sanctus; quod optime docuit Augustinus *lib. 3. contra Maximinum, c. 10. ad finem*, ibi : propter vniuscuiusque relationem ; & proprietatem tres personæ sunt, & propter singulorum perfectionem partes vnius non sunt, quid clarius, & evidentius ad nostram sententiam demonstrandam : ergo illa est omnino vera, & adversaria omnino falsa, ac proinde reiicienda.

Maioris illius primæ prima pars est nota: quia 136 simplicitas omnimoda est perfectio quæ formaliter reperitur in Divinis, & in his, quæ formaliter in Deo inveniuntur ; vnde compositio vera omnino excludenda est à perfectionibus Divinis; atqui esse relativum, aut relationem est perfectio in Deo : ergo habet omnimodam simplicitatem sine vlla compositione, ratione cuius spiratio activa, quæ est relatio, non componitur à parte rei ex Filiatione, & paternitate, sed potius vt vna simplicissima relatio, identificatur cum paternitate, & Filiatione, ratione cuius Pater, & Filius sunt vnum simplex principium Spiritus sancti: bene enim potest in Divinis vna simplicissima entitas identificari cum duabus relationibus realiter distinctis, vt videre est in Divinitate, quæ identificatur simplicissime sine vlla compositione cum paternitate, & filiatione. Ita similiter in nostro casu vna simplicissima relatio spirationis activæ identificatur cum Paternitate, & Filiatione sine vlla compositione.

SECTIO III.

In qua alia argumenta contra adversarios ponuntur.

QVinto argumentor principaliter, relatio ef- 137 fectus creaturę ad creatorem non potest formaliter provenire à Deo : ergo talis relatio non includit formaliter terminum, Deum videlicet: probo antecedens, omnis forma, vel quasi forma tribuens aliquem effectum vt quod, debet habere illum in se vt quo, eo modo quo illum tribuit ; sed Deo repugnat essentialiter esse effectum creatum vt quo complete, vel incomplete : ergo relatio effectus in creatura tota provenit ab ipsa formaliter, & minime à Deo. Maior est fundamentum adversariorum, quorum sententiam modo impugnamus. Minor, in qua est tota difficultas, adeo certa est, vt oppositum sit absurdissimum; Deus enim essentialiter, adæquate, complete, & totaliter est ens creatum à se independens: ergo repugnat illi omnis ratio effectus creati : ergo neque vt quo, neque vt quod potest esse effectus creatus complete, vel incomplete: ergo relatio, seu denominatio effectus creati in creatura provenit complete ab ipsa creatura : ergo relatio effectus creati complete, & totaliter est in creatura : patet consequentia. In illo est complete ali-

qua

qua forma, à quo complete, & adæquate provenit denominatio totalis formæ; sed denominatio effectus creati provenit complete, & adæquate à creatura: ergo forma est complete in creatura; atqui talis forma est relatio: ergo relatio creaturæ complete est in creatura, & complete, totaliter, & adæquate est ens creatum: ergo non includit Deum.

138 Confirmatur, Petrus vt generat Ioannem, distinguitur ab illo realiter: ergo vt distinguitur ab illo, dicit relationem generantis ad illum. Antecedens est certissimum, quia inter causam, & effectum necessario datur distinctio realis; sed Petrus vt generat Ioannem est causa Ioannis: ergo vt sic distinguitur ab illo, prima consequentia probatur: Petrus in quantum causa Ioannis dicit relationem causæ ad Ioannem; de hac enim denominatione quærimus, sed in quantum est causa Ioannis distinguitur à Ioanne: ergo in quantum dicit relationem ad illum, distinguitur ab illo: ergo in quantum dicit talem relationem ad illum non dicit illum: ergo non includit illum. Antecedens est certum: quia quod distinguitur ab alio non est illud à quo distinguitur, sed potius dicit non esse illius; sed non esse alicuius non dicit in sua constitutione illud aliud cuius non esse est, sed potius removet à sua constitutione illud aliud: v. g. quia tenebræ dicunt non esse lucem, non solum non dicunt talem lucem, sed etiam removent, & expellunt illam à sua constitutione, ac proinde lux nullo modo potest constituere formaliter tenebras, & propter eandem rationem vita non potest constituere mortem, neque visus cæcitatem, aut è contra.

139 Clarius, quia creatura quatenus creatura est dicit non esse Deum, omnino excludit à sua constitutione formali Deum, ratione cuius summum absurdum esset dicere, creaturam quatenus creaturam, & in esse creaturæ formaliter constitui à Deo, Deumque intrare formaliter constitutionem creaturæ, & ratio est, quia impossibile videtur, intrare Deum in eam constitutionem, à qua omnino removetur; cum talis constitutio, & res constituta sit non esse Dei; sed causa quatenus causa, & quatenus relative est ad effectum, distinguitur ab effectu: ergo dicit in suo esse non esse effectum, cuius causa est: ergo removet effectum à sua constitutione: ergo non includit effectum: ergo falsum est dicere, relationem causæ ad effectum includere effectum formaliter.

140 Amplius vrgeo hoc in duobus entibus realiter distinctis, quæ ex vi distinctionis, aut propter distinctionem dicunt relationem ad invicem distinctionis: (nam distingui vnum ab alio non est conceptus absolutus: sed relativus, vt late probo *in metaphys. disp. de distinctione*) atqui ideo vnum ex illis refertur ad aliud, quia distinguitur ab illo in actu exercito; sed distingui ab alio est excludere illud à suo esse: ergo quatenus dicit relationem ad illud distinctionis, & quatenus relativum est, excludit illud à suo esse, & sua constitutione; distingui enim, vt iam dixi, est excludere illud à quo distinguitur: ergo relativum distinctionis non est vtrumque extremum, quæ inter se distinguuntur.

SVBSECTIO I.

In qua amplius oppugnatur sententia adversaria.

SExto principaliter sic argumentor: relatio 141
essentialiter est esse, seu respectus ad aliud; sed si relatio non distingueretur à fundamento, & termino, non esset ad aliud: ergo, &c. probatur minor. Relatio paternitatis essentialiter, & complete dicit entitatem Patris, & Filij, itavt vtraque entitas simul sumpta sit relatio; sed vtraque entitas simul sumpta non est ad aliud: ergo, &c. Maior est sententia adversariorum, minor est certissima, vel dicant adversarij, quod sit illud aliud, ad quod est relatio adæquate sumpta? quia vel illud aliud est aliquid distinctum ab entitatibus Patris, & Filij simul sumptis, & hoc non: quia alias illud esset terminus, ac proinde esset distinctus adæquate ab ipsa relatione, quod intendimus vel est ipsa entitas Filij præcise in quantum producta à Patre, & hoc non; quia ipsa entitas est pars relationis: ergo non est dabile illud aliud, ad quod sit relatio.

Vrgetur: ergo paternitas non referet, aut ordi- 142
nabit personam Patris ad Filium, ac proinde tolletur formalitas relationis à tota latitudine entis, quod est falsissimum: sequela sic probatur. Nam si formalitas relationis est in rerum natura, debet esse proprie respectus, & ordinatio propria, ac proinde debet ordinare, & referre subiectum in quo est: quia relationi convenit esse talem ex vi propriæ definitionis, qua dicimus relatio est ordo, seu respectus ad terminum: ergo si tollitur ordinatio propria, & respectus proprius, tollitur sine dubio formalitas relationis.

Respondet Hurtado his Verbis, relatio non 143
ordinat, id est non respicit aliud, tanquam id à quo pendeat, concedo consequentiam, non ordinat, idest non comparat, nego consequentiam.

Sed contra primo, quia relatio per te non res- 144
picit, licet comparet: ergo relatio non est relatio per te: patet hæc consequentia; quia id, cui non convenit definitio, non convenit definitum; sed relationi non convenit respicere terminum, & ordinari ad illum per modum respectus (quod est definitio relationis, vt de se patet) per te: ergo non convenit relationi definitum, idest non erit relatio.

Secundo contra: quia tu concedis relationem 145
comparare vt quo: ergo debet esse comparatio: ergo debet esse inter duo, quia comparatio comparat vnum extremum cum altero: ergo non est ipsa extrema comparata per talem comparationem: quia id quod est inter duo non sunt ipsa duo; sicut linea, quia est inter duo indivisibilia, non est ipsa duo indivisibilia, & quia actio generativa est inter agens & terminum, distinguitur ab illis.

Tandem, quia vnio est inter materiam, & for- 146
mam vniendo materiam cum forma, talis vnio non est materia, & forma simul, sed aliquid distinctum ab illis; sed per te relatio est comparatio, quæ reperitur inter fundamentum, & terminum vt fundamentum comparetur cum termino: ergo non est vtrumqu extremum.

Tertio contra, quia propria relatio prædica- 147
mentalis habet totum suum esse ad terminum, vt

patet

patet ex eius definitione, quia hæc est definitio illius, ac proinde specificatur essentialiter à termino; sed specificatio est in aliquo genere causæ, sive formalis extrinsecæ, sive finalis: ergo terminus est causa formalis extrinseca, vel finalis relationis: ergo relatio dependet à termino: quia causa est, à qua dependet effectus: ideo enim Pater æternus nullo modo est causa Filij: quia nullo modo Filius dependet à Patre, licet producatur ab illo, itaque omnis effectus dependet à sua causa eo modo, quo est effectus illius; sed terminus formalis specificativus essentialiter relationis est causa finalis, vel formalis extrinseca relationis: ergo relatio dependet à termino formali, à quo specificatur: ergo falso procedunt adversarij, quando dicunt relationem non dependere à termino.

148 Confirmatur ratio principalis; nam vel duæ albedines per modum vnius formæ faciunt Socratem similem Platoni, & iterum ambæ simul Platonem Socrati, vel è contra vna facit Socratem Platoni similem, & altera Platonem similem Socrati: sed ambæ simul non possunt habere oppositos effectus formales cum sumantur per modum vnius, vt de se patet; nam si habent oppositos effectus formales debent esse oppositæ causæ in causando tales effectus oppositos: Nam causa in tantum est causa in quantum causat effectum; vnde si vnum effectum causant duæ causæ, dicuntur causæ per modum vnius, & si vnaquæque ex illis causat distinctum effectum, non per modum vnius causare dicuntur, neque esse per modum vnius causæ: sed potius distinctæ causæ absolutæ appellantur, vt exemplis manifestis patet; duo enim luminosa si concurrunt ad producendam eandem lucem in pariete, dicuntur concurrere per modum vnius causæ; è contra vero si concurrunt ad producendas distinctas luces, non dicuntur concurrere per modum vnius causæ, sed solum per modum diversarum; à fortiori autem quando duæ causæ ita se habent, vt vnaquæque producat oppositum effectum, sine dubio dicuntur oppositæ, & distinctæ causæ, & minime per modum vnius causæ nominantur; vnde si per potentiam Dei absolutam darentur in eodem subiecto duo effectus formales oppositi, v. g. esse calidum, & esse frigidum vt octo, nullus sanæ mentis posset dicere, tales effectus oppositos inter se oriri à duabus causis formalibus per modum vnius; sed potius sine dubio deberemus dicere, tales effectus formales oppositos oriri ab oppositis causis, vel entitatibus, & minime ab vna causa formali, aut à duabus per modum vnius, etiam si tales effectus oppositi reperiantur in eodem subiecto, vt dixi, quia sicut per accidens est vnitas subiecti respectu illorum effectuum oppositorum, neque vllo modo conducit ad hoc vt tales effectus fiant vnum; ita similiter nullius momenti est talis vnitas ad hoc vt tales causæ non sint oppositæ, quatenus causant illos oppositos effectus.

149 Clarius, esse album in vno subiecto, & esse nigrum in alio, quia opponuntur realiter, nullo modo possunt oriri formaliter vel ab vna, & eadem causa formali, vel à duabus per modum vnius causæ formalis concurrentibus, & ratio evidens est, quia effectus oppositi formales causati formaliter in diversis subiectis non possunt oriri ab eadem causa formali, vel à duabus per modum vnius concurrentibus; sed potius necessario vnusquisque effectus oppositus alteri debet totaliter, & adæquate causari ab vna adæquata causa totali distincta, & opposita alteri, & non possunt causari illi effectus quatenus oppositi à duabus simul per modum vnius causæ formalis concurrentibus, sed esse Patrem in Petro, v. g. & esse Filium in Ioanne respectu eiusdem Petri sunt effectus formales relative oppositi: ergo nullo modo possunt causari à duabus entitatibus simul per modum vnius; sed necessario debent causari à duabus completis causis formalibus oppositis inter se realiter; ergo relatio Paternitatis, & relatio Filiationis, quæ in genere causæ formalis constituunt Petrum in esse Patris, & Ioannem in esse Filij respectu eiusdem Petri non possunt esse entitas Petri generantis, & entitas Ioannis geniti per modum vnius simul; sed potius debent esse paternitas solum entitas Petri generans, & Filiatio entitas Ioannis genita divisim, & separatim sumptæ cum oppositione vnius respectu alterius.

Itaque causa Filij non possunt esse simul per modum vnius causa Patris, & causa Filij, neque constitutionem paternitatis, quæ est causa adæquata Patris in Petro potest ingredi entitas genita Ioannis, quæ est causa Filij in ipso Ioanne, neque possunt simul entitas Petri, & entitas Ioannis concurrere per modum vnius ad causandum in Ioanne esse Filij, & eædem ipsæ simul concurrere per modum vnius ad causandum in Petro esse Patris respectu Ioannis, quia esse Patris in Petro respectu Ioannis, & esse Filij in Ioanne respectu eiusdem Petri sunt duo effectus formales oppositi inter se vera, & propria oppositione relativa, & duo effectus formales oppositi vera oppositione non possunt oriri ab eadem causa coalescente ex duobus per modum vnius: quis enim potest dicere, esse tenebrosum in aëre, & esse lucidum ita causari, vt lux, & tenebræ simul per modum vnius constituant formaliter lucidum, & iterum ipsæ eædem simul tenebræ, & lux per modum vnius causent formaliter esse rebrosum? certe nullus mentis compos; sicut nullus potest dicere, aquam frigidam in esse frigidæ constituere frigiditatem, & calorem per modum vnius, & iterum ipsam frigiditatem, & calorem constituere aut ipsam aquam, aut ignem per modum vnius in esse calidi: ergo relatio Paternitatis, & relatio filiationis, quæ sunt causæ formales constitutivæ Petri Patris in esse Patris, & Ioannis in esse Filij non possunt esse formaliter entitas Petri, & entitas Ioannis per modum vnius, & idem est de similitudine Petri, & de similitudine Ioannis inter se.

SVBSECTIO II.

Reliqua argumenta ponuntur.

150 SEptimo principaliter sic argumentor, & confirmo amplius dicta: per te relatio nihil aliud est formaliter, & realiter, nisi duo entia absoluta, ita vt à cæteris absolutis distinguatur relatio, seu prædicamentum ad aliquid in eo solum quod vnumquodque ex absolutis entibus seu prædicamentis includat vnam entitatem absolutam duntaxat; v. g. aut substantiam aut quantitatem, aut qualitatem; ens autem relativum, aut prædicamentum ad aliquid necessario requi-

rat

rat duo absoluta simul: ergo tria absoluta simul facient aliud distinctum prædicamentum, seu aliud novum genus entis distinctum ab absoluto, & relativo, & quatuor absoluta simul facient aliud novum ens aut prædicamentum distinctum à cæteris: nam sicut se habet vnum ad duo, ita se habent duo ad tria, & tria ad quatuor; sed existentia duorũ absolutorum sufficit ad distinguendum novum genus entis per se: ergo tria sufficient ad constituendum aliud genus entis distinctum ab illis, quia sicut coëxistentia duorum absoluto rum addit supra existentiam vnius absoluti alteram existentiam absoluti, & hæc additio seu coëxistentia sufficit ad constituendum distinctum genus entis per se eo modo, quo debet esse in prædicamento, ita coëxistentia trium absolutorum addit supra duos alteram existentiam, quæ simul cum illis duobus constituet aliud novum genus entis à paritate rationis, quia non datur maior ratio, quare coëxistentia duorum componat genus entis distinctum ab existentia vnius, & non coëxistentia trium, quatuor, quinque, sex, mille, &c. vnde si hi omnes numeri distincta prædicamenta constituunt, infinita dabuntur prædicamenta, quia dantur infinitæ species distinctæ numerorum, & si non sufficiunt isti numeri, nec numerus binarius sufficiet, & sic è medio tolletur omnis relatio, quod est absurdum vt patet ex dictis *q. superiori conclusione. 2.*

151 Deinde probatur contra aduersarios binarium absolutorum non sufficere ad constituendum prædicamentum omnibus argumentis, quibus in prædicamento quantitatis vti sumus ad probandum numerum non esse ens per se, eo modo quo est necessarium ad ponendum in prædicamento, quia eodem modo hîc, ac ibi vrgent argumenta illic facta.

152 Octavo principaliter sic argumentor: omnis tendentia realis in terminum petit terminum realiter distinctum ab ipsa tendentia; sed relatio prædicamentalis est tendentia realis ad terminum: ergo relatio prædicamentalis distinguitur à parte rei ab ipso termino, quod non solum verum est de distinctione inadæquata, sed etiam de distinctione adæquata. Maior est certa, quia scientia, intellectus, voluntas, & omnes potentiæ, & habitus; imo & actiones potentiarum, & habituum distinguuntur à suis obiectis realiter, quia sunt tendentiæ in illa, quod etiam verum est in actibus reflexis; nam licet verum sit quod intellectus per vnum actum reflectat supra alium, ille actus reflexus distinguitur ab actu, supra quem reflectit, in quo distinguitur reflexio creata ab increata: nam increata reflexio est eiusdem actus supra seipsum, reflexio autem creata est eiusdem actus supra aliud distinctum.

153 Solum videbatur difficile, si consideretur reflexio intellectus supra seipsum: nam intellectus per talem reflexionem tendit ad se, & habet pro obiecto suæ tendentiæ seipsum.

154 Sed adhuc in hoc casu tendentia distinguitur à termino talis tendentiæ, & ratio est manifecta, quia quando intellectus per reflexionem tendit in seipsum, tendentia illa, per quam reflexe tendit est actus intellectus, seu cognitio; atqui omnis cognitio creata distinguitur ab intellectu creato: ergo talis tendentia distinguitur ab ipso intellectu.

155 Dices, relationem transcendentalem, seu huiusmodi tendentiam distingui à termino: quia transcendentalis est, non vero tendentiam seu relationem prædicamentalem.

Sed contra, quia in tali relatione transcenden- 156
tali, & datur ratio relationis, & datur ratio transcendentis; sed non distinguitur à termino ratione transcendentis, sed ratione relationis ex vi oppositionis, quam habet relatio cum termino: omnia enim in divinis sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio. vnde tota distinctio, quæ datur inter relationem, & terminum in Divinis est solum propter oppositionem, quæ datur inter illam, & terminum; atqui relatio prædicamentalis, etiam habet oppositionem cum termino: ergo etiam relatio prædicamentalis distinguitur à termino: vnde non potest solum venari distinctio relationis transcendentalis à suo termino propter prædicatum transcendentiæ, sed potius propter rationem relationis, in qua conveniunt relatio transcendentalis, & prædicamentalis, ac proinde sicut conveniunt relatio prædicamentalis, & transcendentalis in ratione formali, propter quam relatio transcendentalis distinguitur à termino, ita etiam debent convenire in effectu, vel quasi effectu formali distinctionis nimirum à termino.

Minor illa prima sic probatur, quia divinitas 157
est prædicatum transcendens, & sine dubio ratio entis secundum ipsos aduersarios, qui hoc contra Scotum late probant in metaphys., & nihilominus neque ratio entis, quod est de essentia divinitatis distinguitur à parte rei in Patre à Filio, nec in Filio à Patre, & nihilominus in patre distinguitur realiter relatio paternitatis à Filio: ergo talis relatio ratione transcendentiæ, aut quia est prædicatum transcendentale, non distinguitur à Filio, aliàs ipsa divinitas distingueretut à Filio, quia etiam est transcendentale prædicatum respectu Patris, sicut ralatio, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis, & quando alicui ratione alicuius prædicati communis convenit aliqua ratio, omnibus convenientibus in tali prædicato convenit illa ratio; atqui divinitati convenienti cum relatione paternitatis in esse transcendentalis respectu patris, non convenit distingui à Filio, vt de se patet: ergo relationi paternitatis non convenit distingui à Filio ex eo quod sit transcendentale prædicatum respectu Patris: sed potius ex eo quod quatenus relatio opponitur Filio: vnde Patres, & Concilia nullam mentionem facientes de ratione transcendentali in paternitate, totam distinctionem quam habet paternitas à Filio refundunt tanquam in causam vnicam totalem, & adæquatam in oppositionem relativam, quæ intercedit inter paternitatem, & Filium.

Quod autem divinitas sit prædicatum trans- 158
cendentale respectu Patris, sicut paternitas, imo magis transcendentale sic probatur: Nam divinitas est de essentia Patris, & constituit substantialiter Patrem, & est de primo conceptu substantiali Patris non minus ac paternitas, imo secundum probabiliorem opinionem transcendit divinitas ipsam relationem paternitatis (ratione cuius magis transcendentalis potest dici paternitate divinitas) sed paternitas dicitur transcendentalis solum quia substantialiter constituit Patrem, & non est de essentia divinitatis, nec transcendit illam: ergo divinitas non est minus sed magis, vt ita dicam transcendentalis respectu Patris quam paternitas.

159 Vrgetur amplius, quia intellectio divina habet pro termino, & obiecto primario sui ipsius divinitatem, & est prædicatum transcendentale respectu divinitatis, quia in sententia Patris Hurtado cum quo pugnamus, intellectio essentialiter constituit divinitatem, propter quas formalitates talis intellectio inducit vtramque rationem habendi nimirum terminum, & prædicati transcendentalis, in quo convenit omnimodo cum relatione paternitatis quæ etiam habet terminum, & est transcendentale prædicatum, & nihilominus intellectio non distinguitur realiter à divinitate, quæ est terminus, & obiectum primarium intellectionis: ergo paternitati non convenit distingui à filio propter illas duas rationes, videlicet, quod sit transcendentalis, & quod habeat filium pro termino, in quibus omnimodo convenit cum intellectione; sed potius propter aliam rationem peculiarem, quæ non reperitur in intellectione respectu divinitatis, & reperitur in paternitate respectu filij, & filiationis, quæ non est alia nisi oppositio realis, quæ invenitur in relatione paternitatis respectu filij, & filiationis; atqui hæc ratio oppositionis reperitur in relatione prædicamentali respectu sui termini: ergo relatio etiam prædicamentalis distinguitur à suo termino, sicut transcendentalis.

160 Itaque omnis tendentia realis cum relatione, & oppositione reali distinguitur à parte rei à termino talis tendentiæ ratione oppositionis realis, quæ reperitur in tali tendentia: vnde omnis intellectio creata, vt diximus, distinguitur realiter à suo termino, & obiecto, ad quod habet realem relationem, & cum quo realiter relative opponitur: nam idem est opponi realiter, ac distingui realiter.

161 Vltimo confirmatur, quia in divinis, vt supra diximus, non solum relatio transcendentalis, vt paternitas, Filiatio: sed etiam prædicamentalis, vt spiratio activa, habet oppositionem cum suo termino, ac proinde distinguitur ab illo: ergo in creatis non solum relatio transcendentalis: sed etiam prædicamentalis, distinguitur adæquate à suo termino, quia sicut relatio transcendentalis in creatis participat oppositioné cum suo termino à relatione transcendentali increata, ita etiam relatio prædicamentalis creata participat oppositionem prædicamentalem cum suo termino: sed relatio transcendentalis creata distinguitur adæquate à termino propter oppositionem transcendentalem, quam participat à relatione transcendentali divina: ergo similiter relatio prædicamentalis creata distinguetur adæquate à suo termino propter oppositionem realem prædicamentalem, quam participat à relatione prædicamentali in creata.

162 Nono principaliter sic argumentor: si relatio paternitatis est persona generans, & persona genita, sequitur manifeste relationem paternitatis, & relationem filiationis esse idem à parte rei; sed hoc est falsissimum: ergo falsum est id, ex quo hæc falsitas sequitur. Maior sic demonstratur, nam si paternitas est generans, & genitum, relatio filiationis est ipsum genitum, & generans; sed in re ipsa generans, & genitum simul sunt idem, quod genitum, & generans simul, neque distinguuntur realiter: ergo relatio paternitatis, & relatio filiationis sunt idem à parte rei, & non distinguuntur realiter, & in re: sed solum in modo loquendi; sicut Petrus, & hoc numero compositum physicum non distinguuntur à parte rei, quia sicut Petrus est hæc materia, hæc forma, & hæc vnio; ita hoc compositum physicum est hæc vnio, hæc forma, & hæc materia; cum autem hæc materia, hæc forma, & hæc vnio; & hæc vnio, hæc forma, & hæc materia sint idem à parte rei sine vlla distinctione in re; sed solum quoad modum loquendi, & enumerandi, cum in prima enumeratione incipiamus à materia, & desinamus in vnione, & in secunda enumeratione incipiamus ab vnione, & desinamus in materia, in quo nulla est variatio rerum: sed solum variatio loquutionis, etiam hoc compositum numero, & Petrus solum in modo loquendi distinguuntur, & non in re.

Item hæc sequela conceditur ab aduersarijs, 163
vt à P. Hurt. *disp. 15. de relatione sect. 3 num. 40. §. Dices 2.* Vbi sic ait: ergo idem est Petrum esse similem Paulo, & Paulum esse similem Petro; distinguo consequens, idem est à parte rei, concedo consequentiam, quia similitudo vtriusque eosdem conceptus includit, in modo autem significandi nego.

Ecce quomodo concedit P. Hurtado duas re- 164
lationes existentes in duobus extremis, quæ se ad invicem respiciunt, & quæ per illas opponuntur relative, esse idem in re, & solum distingui in modo significandi, & tribuit rationem, quia vtraque relatio eosdem conceptus includit, scilicet entitates vtriusque extremi: Idem concedit P. Arriaga *in Log. prædicam. de relatione, disp. 12. sect. 9. num. 14. §. Dices*, eisdem pene verbis, quibus Hurtado vtitur in metaphys. eodem prædicamento; sed paternitas, & filiatio includunt eosdem conceptus in re, videlicet entitates generantis, & geniti: ergo sunt idem à parte rei sine vlla distinctione in re, ac proinde idem erit filiatio, ac paternitas à parte rei, & idem erit esse Patrem, & esse filium à parte rei, & solum dabitur distinctio quoad modum significandi.

Minor prima, & præcipua sic probatur primo 165
in Diuinis contra Patrem Arriaga: nam certum est, relationem paternitatis distingui à parte rei à relatione filiationis: sicut spiratio activa distinguitur à parte rei à relatione Spiritus sancti, quod patet ex Concilio Florent. vbi Eugenius quartus in litteris vnionis in medio ait; omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, & Athan. *orat. 4. contra Arrian. colum. 4.* ait; eadem dicuntur de filio quæcunque de Patre dicuntur excepto quod Pater non appellatur: ergo ex ijs manifeste colligitur, non esse idem in diuinis esse Patrem, & esse Filium; sed potius distingui realiter Patrem à Filio, & paternitatem à filiatione: quod vt dogma fidei traditur ab omnibus Doctoribus in materia de Trinitate, quod docet Cyrillus Alex. *lib. 3. thesauri*, ibi, nec vt eadem persona modo Pater, modo Filius vocetur sicut Sabellius blasphemabat.

Ratione metaphysica sic probatur, quia non 166
est idem esse causam, & esse effectum: sed Pater in creatis est causa filij, & filius in creatis est effectus Patris: ergo non est idem in re esse Patrem, & esse Filium: alias etiam in modo loquendi esset idem, quia modus loquendi si est verus conformatur cum re ipsa, ex eo enim quod

res

res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa: sed per te idem est, esse Patrem, & esse Filium in re ipsa: ergo etiam in modo loquendi erit idem; imo si in modo loquendi vero non est idem, nec in re ipsa erit idem, quod etiam patet ex supradictis.

167 Decimo principaliter sic probatur; quia quando eadem entitas subiecti potest esse sub oppositis formis, & sub carentia illarum, talis entitas distinguitur ab illis formis à parte rei; sed eadem entitas Petri, & eadem entitas Pauli ita se habent, vt Petrus, qui modo est Pater Pauli posset esse Filius illius, & eadem entitas Pauli posset esse Pater respectu Filij, qui nunc est Pater: Itaque entitas, quæ est sub relatione Filiationis opposita paternitati, potest respectu eiusdem esse sub relatione paternitatis opposita filiationi in casu, in quo Petrus qui genuit Paulum vt potuit generaretur à Paulo; nam si Paulus, qui nũc est filius Petri ex eo quod genitus est ab illo, genuisset Petrum, esset sine dubio Pater Petri, & Petrus filius eiusdem Pauli: si autem, vt supra diximus Petrus, & Paulus immediate à Deo producti essent, & minime vnus ab alio generatus fuisset, iam Petrus, & Paulus essent sub carentia paternitatis, & filiationis: ergo entitas Petri, & entitas Pauli distinguuntur à paternitate & filiatione. Maior est certa: nam optime colligimus, substantiam Petri distingui à parte rei à frigiditate, & calore, quia substantia Petri, quæ nunc est calida, potest esse frigida, & qui modo est sub frigiditate, potest esse sub calore quæ sunt formæ oppositæ inter se, & potest esse sub carentia vtriusque, & idem est in omnibus oppositis contrarijs: ergo subiectum, quod potest esse sub oppositis formis, & sub carentia illarum distinguitur ab illis à parte rei.

168 Minor quoad primam partem sic probatur ex D. Athanas. *orat. 2. contra Arrian. multo propius ad medium, quam ad principium*; ibi: nec in illis stabilem locum habet persona Patris, & Filij; nam qui filius est, Pater efficitur, filius quidem eius, qui ipsum gennit, Pater autem illius, qui ex ipso genitus est, verum id in divinitate ita non habet, nec Pater ex Patre originem traxit: vnde fit, vt gignat non progenitum: vnde concludit; quapropter in sola deitate proprie Pater est, & filius proprie filius est, & in illis solis consistit, vt Pater semper sit Pater, & filius semper sit filius; sic ille, qui similia scripsit idem Athanasius *ad Serapion. in longiori epistola circa medium*, & Nazianzenus *orat. 35. quæ est 3. de Theolog. & orat. 23. in laudem Heronis prope finem*; quod etiam patet ex ijs, quæ in ipsa minori posuimus.

169 Secunda pars minoris iam satis probata manet *sect. 2. subsect. 1.* cuius in præsenti memini, vt solutionem quandam à P. Arriaga adductam oppugnarem, responsionem tradit *in Logica, disp. 12. sect. 7. num. 30. §. fateberis, in fine*, his verbis; respondeo non esse adæquatum fundamentum relationis Patris Petrum, & Paulum, sed vtrumque, & generationem ortam à Petro; hæc autem omnia nequeunt existere, quin Petrus sit Pater Pauli: vnde à toto fundamento, & termino semper est verum, non posse separari relationem, ideo nec distingui.

170 Sed contra manifeste: nam vt loco supra citato diximus, generatio non potest esse pars essentialiter constitutiva relationis, vt patet ex adductis *eadem subsect. 1. à §. Sed contra, quia vel illa generatio est*, vsque ad illa verba *perseverare* inclusive, quod amplius sic probo, quia destructo termino paternitatis; v.g. substantia Pauli genita à Petro, minime est in re ipsa actu Pater Pauli, neque Petrus habet actualem relationem in re ipsa; quia actualis relatio petit terminum actualem, & actu existentem, quod ipse Arriaga his verbis docet *eadem disp. 12. sect. 10. num. 50. §. an relatio petat terminum existentem*. Gregorius, quem refert P. Suar. & Hurt. *à §. 63.* dicit, non requiri eum (nimirum terminum actu existentem) refutat Hurt. *à §. 63.* ego in hoc puncto de re nullam arbitror posse esse quæstionem: si enim in nostra sententia similitudo v.g. est vtraque albedo, certum est in re ipsa non dari similitudinem, quando non datur vtraque albedo, ea scilicet quæ est fundamentum, & ea quæ est terminus, idem dico in relatione Patris, mortuo filio, quod si contrarium voluit Gregorius improbabiliter loquutus est; verum quoad modum loquendi supra ostendi frequentissime dici, iste est filius talis, etiam si Parens mortuus sit: verba autem, quæ citat se supra dixisse continentur *num. 46.* quæ sic se habent: ad argumentum ergo respondeo denominationem Patris non esse omnino physicam transacta generatione, sed partim physicam, partim moralem, physicam quatenus requirit aliquam partem physicam; moralem vero quatenus non requirit actu partes omnes physicas, physice enim non existente generatione, sed præterita iam perinde ab omnibus dicitur Pater, ac si actu illum generaret, quo pacto dicimus, Pater Philippi fecit hoc, quantumvis iam sit defunctus: ergo hæ voces, Pater, & Filius non significant semper existere physice, etiam ea, quæ tu partes vocas, quod magis ad modum loquendi pertinet, quam ad rem ipsam; est etiam de hac re exemplum in ipsa denominatione similis, sæpissime enim dicimus, Petrus est similis suo Parenti, neque vnquam curamus an alter, cui eum comparamus, vivat, vel non: ergo cum hoc dicimus, solum contendimus, Petrum habere talem faciem, qualem habuit Parens: sic Arriaga, in quibus aperte ait, entitatem substantialem termini paternitatis ita esse necessarium quoad actualem existentiam, vt sine illo in reipsa nullo modo possit dari relatio paternitatis, aut maternitatis actualiter, licet in modo loquendi extensione quadam figurata possit dici lato modo Pater, aut mater respectu filij, qui actu non existit sed mortuus est; & idem docet de ipsa entitate fundamenti, imo à fortiori debet dici, quia si Petrus, in quo est paternitas, & qui Pater est, actu non existit, sed mortuus est, nullo modo potest dari actu paternitas in reipsa, imo nec actu potest denominari Pater, si iam mortuus est, etiam si vivat Paulus, qui genitus fuit ab ipso; vnde hæ propositiones non solum quoad rem ipsam, sed etiam quoad modum loquendi sunt falsæ, Petrus, qui non existit actu, sed mortuus est, actu est Pater Pauli, aut actu habet relationem paternitatis ad Paulum.

Itaque in reipsa nullo modo potest dari actualis relatio, nisi actu existat vtrumque extremum, fundamentum nimirum, & terminus; & ratio est, quam ipse Arriaga tribuit, dicens, relationem includere essentialiter vtrumque extremum, fundamentum nimirum, & terminum: cum autem res non possit esse sine constitutivis essentialibus sui, inde est, quod non possit relatio, v.g. paternitatis, vel esse Patris in reipsa, vere existere sine filio, qui est terminus talis paternitatis constitutivus essentialiter paternitatis, quod expresse docuit Aug. 5.

de Trin. cap. 5. ibi; quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo quod est ei filius, & filius non dicitur, nisi ex eo, quod habet Patrem: quia non quisque eorum ad seipsum sed ad invicem, atque ad alterutrum ista dicuntur: sic ille, quibus similia sunt quæ notat Augustinus *serm.* 38. *de temp. prope medium, & in medio*: quod eleganter docuit Cyrillus *dial. de Trinit. lib. 4. colum. 5.* his verbis: & si non est filius existens, genitus, neque Pater esset iuxta rationem congruam, Pater quidem quia genuit; igitur, & simul subsistere, & simul tolli per ambo vtrumque verum, & vno subsistente, subsistat omnino, & quod ideo dicitur, & est quod est. Sic Cyrillus, Atanas. etiam 2. *orat. contra Arianos, præsertim circa medium*, sic ait: opifex quidem dici, & esse poterit, etiamsi nondum opera existant, Pater vero nec dici, nec esse poterit, si non sit ei filius, quæ omnia patent manifeste *ex* 1. *Ioan.* 2. ibi: omnis qui negat filium, nec Patrem habet, qui confitetur filium, & Patrem habet; quibus alludens Damascenus 1. *de fide. cap.* 8. *ad medium*: Pater inquit, sine filio nequaquam vocabitur, si vero fuit non habens filium, minime fuit Pater, & si postea adeptus est filius, postea effectus est Pater; cum ante id Pater non esset, atque ita mutatus est de non esse Patrem in fieri Patrem.

171 Tandem Concilium generale Sardisen. qua parte Catholicum, & approbatum est, *in epistola ad omnes Episcopos prope finem*, sic ait: indubitanter credentes nunquam Patrem sine filio, nec filium sine Patre fuisse, Patrem enim sine filio nominari, nec esse posse est ipsius filij testimonium, quod etiam confirmat Concilium Toletanum vndecimum in professione fidei sub initio, sempiternus quoque est, & filius, quoniam si Pater semper fuit, semper habuit filium. Itaque sine fundamento, & termino actu existentibus nullo modo potest in re existere relatio paternitatis: quia fundamentum, & terminus sunt idem formalissime, ac relatio paternitatis.

172 Tunc sic: sed sine generatione actuali, & actualiter existente datur actu relatio maternitatis vel paternitatis in re, & non solum in modo loquendi: ergo generatio actualis neque est fundamentum, nec terminus relationis, nec aliquod ex extremis, quod identificatur cum relatione maternitatis, aut paternitatis, neque est aliquod constitutivum essentiale relationis actualis: patet hęc consequentia: quia nihil potest esse actuale, & actualiter existere sine his, quæ sunt de essentia illius, aut sine his, cum quibus identificatur à parte rei, vt ex terminis ipsis patet: ideo enim homo non potest esse sine animali, & rationali, quia identificantur cum homine, & sunt de essentia illius. Item Petrus non potest esse sine anima rationali, quia anima ratationalis est de essentia Petri. Item per vos non potest esse maternitas, aut paternitas sine filio, nec filiatio sine Patre in re ipsa vere, & realiter, licet aliquando non in rigore, sed quasi per thropum, & lato modo loquendo dicatur filius sine Patre, aut Pater sine filio, quia Filius quatenus est terminus paternitatis est de essentia illius formalissime, & Pater est de essentia filij; cum Pater in re ipsa sit vtrumque extremum, sed in re ipsa verè, propriè, ac realiter datur maternitas, & idem est de paternitate sine actuali generatione, ex eo solum quod transivit generatio, & de præterito data est: ergo generatio actualis non est de essentia relationis actualis, neque est aliquod ex extremis, cum quibus identificatur ipsa relatio actualiter, sed solum erit quædam conditio, sine qua non datur relatio paternitatis, aut maternitatis: vnde in tua sententia relatio maternitatis, aut paternitatis erit idem quod substantia Patris, & substantia Filij.

Sed si Deus produceret has duas substantias 173
immediate, vt potest, sine eo quod vna produceretur ab alia, non darentur paternitas, nec filiatio; ergo paternitas, & filiatio nullo modo identificantur cum substantia Patris, & substantia filij, siquidem in tali casu substantia Patris, & Filij darentur sine paternitate, & filiatione, ac proinde separatæ realiter ab illis existerent, sicut de facto existit paternitas, aut maternitas separata realiter à generatione actuali: ergo substantia Patris, & substantia filij distinguuntur realiter à paternitate, & filiatione, & paternitas, & filiatio distinguuntur realiter à substantia Patris, & filij, à quibus possunt realiter separari, & à generatione actuali, à qua de facto separantur paternitas, & filiatio actualiter.

Illa minor principalis, quæ est *in* §. *tunc sic*, Sic 174
demonstratur. Nam Beata Virgo Maria secundum fidem Catholicam est vere, proprie, ac realiter Mater Christi, ac proinde vere, & proprie mater Dei: vnde in Beata Virgine vere, proprie, ac realiter datur relatio maternitatis ad Christum; sed nulla datur actualis generatio Virginis circa Christum, sed potius conservatur relatio maternitatis actualiter ex eo quod Beata Virgo generavit Christum, & ex eo quod de præterito fuit generatio, quando Beata Virgo generavit Christum: ergo actualiter datur relatio maternitatis, aut paternitatis sine generatione actuali: Maior patet manifeste, & his Verbis traditur à P. Franc. Suarez *tom. 2. in 3. p. q. 27. art. 1. disp. 1. sect. 1. §. veritas tamen est*, B. Virginem vere, ac proprie esse Matrem Dei vt definitum est in Concilio Ephes. & Chalced. & in 6. Synodo *act. 4. & vndecima*, & habetur etiam *in* 7. in Concil. Lat. sub Martino primo *can.* 3. & in alijs frequenter; & patet *ex Ioan.* 2. & erat mater Iesu ibi; & *Lucæ* 1. vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me, & *cap.* 2. Simeon dixit ad Mariam Matrem eius, *Math.* 1. 2. accipe puerum, & Matrem eius; dicens, similibus testimonijs probaretur, Iosephum fuisse Patrem Christi. Respondetur, hoc ipsum explicare veritatem, tum quia propterea *Lucæ* 3. additum est vt putabatur filius Ioseph, quod de Virgine nunquam est dictum, tum etiam, quia de Iosepho nunquam dicitur in Evangelio genuisse Christum; de Virgine autem dicitur concepisse, & peperisse filium.

Hoc etiam confirmat illa frequens appellatio 175
qua Christus in Evangelio filius hominis vocabatur, vt notavit Irenæus *lib. 3. contra hæres. c.* 32. vnde *Isaiæ* 11. dicitur, egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet; sicut ergo vere producitur flos ex arbore, ita Christus ex Virgine, ac proinde vere, proprie, & realiter Virgo est mater Dei, cum omni proprietate, & toto rigore loquendo: vt notavit Hieronymus super illum locum, & Leo Papa *serm. 4. de nativitate*; Ambrosius *lib. de benedictionibus Patriarch. cap.* 4. *& lib.* 2. *de Spiritu sancto cap.* 5. Augustt. *serm. 3. de tempore* Chrysost. *in psalm.* 22. Origenes *homil. 12. in Levit.* Tertullianus *lib. 5. contra Marchionem, cap.* 8. *& lib. contra Iudæos, cap.* 9. sic P. Suarez. Ex quibus evidenter colligitur tanquam de fide tenendam maiorem nostram.

Minor illa est etiam clara, quia B. Virgo ex eo 176
est

est Mater Dei, non quia actu generet Christum: sed quia genuit illum, vt patet ex D. Greg. *lib. 9. regist. epist. 61.* eadem, inquit, Virgo, & ancilla Domini dicitur, & mater; ancilla enim Domini, quia Verbum ante sæcula, vnigenitus æqualis est Patri; mater vero, quia in eius visceribus ex sancto Spiritu eiusque carne factus est homo, & infra subdit rationem, quia non prius in vtero Virginis caro concepta est, & postmodum divinitus venit in carnem: sed statim Verbum factum est caro, mater igitur est Maria, quia hominem genuit, qui simul est Deus, quam rationem tribuunt etiam Basil. Chrisost. Gregorius Nazianz. *orat. 51.* Irenæus *lib. 3. cap. 27. & 32.* Epiphan. *l. 3 hæres. 78.* Cyrillus *homilia 6. contra Nestorium*, Augustin. *serm. 2. de annunciat.* & sæpe aliàs, Leo Papa *epist. 83. & 97.*

177 Confirmatur ex P. Suarez, vbi supra §. 3. *hinc facile*, vbi sic ait, facile concluditur intenta veritas, B. scilicet Virginem verè, realiter, ac proprie esse matrem Dei; probatur ex dictis, quia Virgo concepit, & peperit Deum: ergo est mater eius. Antecedens constat ex dictis, quia concepit hunc hominem, & hic homo in ipsa conceptione fuit Deus: concepit ergo Deum; vnde, & Scriptura sacra sic aperte loquitur: nam *ad Galatas 4.* filius Dei hoc sensu dicitur factus ex muliere, & *ad Roman. 1.* dicitur, factus ex semine David secundum carnem, quo argumento probat P. Suarez Christum esse de præsenti filium Virginis, & Virginem esse de præsenti matrem, non quia actu generet, aut concipiat Christum: sed potius, quia genuit, peperit, & concepit ipsum. Quod etiam patet ex Scriptura, vbi absolute Pater, & mater dicuntur propter generationem de præterito, vt patet *Proverbior. cap. 17. 25.* ibi ira Patris, Filius stultus, & dolor matris quæ genuit eum, & *Hierem. 22. 26.* ibi: & mittam te, & matrem tuam, quæ genuit te, in qua nati non estis, de quo innumera exempla reperiuntur in Scriptura: ergo vt detur actualis relatio Paternitatis, aut maternitatis, non est necesse, vt actu detur generatio: sed sufficit, quod transierit de præterito.

178 Vrgetur, quia secundum veram philosophiam quoties filius vivit, actu dicitur Pater etiam si filius maxime loco distet à Patre, & nihilominus Pater non potest actionem aliquam substantialem exercere in filium à se distantem, non solum naturaliter, quia hoc est certum: sed etiam supernaturaliter secundum probabiliorem opinionem.

179 Deinde, quia secundum veritatem filius producitur à Patre in primo instanti solum, & postea toto tempore vitæ à solo Deo conservatur perseverante toto tempore vitæ in Patris, & filij substantiæ relatione Paternitatis, & filiationis quod his verbis aperte docuit Gregorius Boëticus *lib. de Trinit. prope finem*: apud homines exinde Pater, quis dicitur ex quo genuit filium, qui quidem, & tandiu Pater dicitur, quandiu filius eius vivit, vbi graviissimus iste author asserit, toto tempore vitæ Patris, & filij, perseverare entitates, & substantias relationum Paternitatis, & filiationis ex eo solum, quod Pater de præterito genuerit filium.

180 Quæ omnia clarissime probantur *ex Psalm. 2. vers. 7.* ibi, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: vbi generationem æternam Verbi Divini à P. æterno, & generationem temporalem Christi secundum quod est homo ex vnionis hypostaticæ à Deo de præterito significatur verbo illo, genui (etiam si in re sit de præsenti, quia P. æternus non solum ab æterno: sed etiam in præsenti generat Verbum Divinum) vt denotetur ad rationem filij de præsenti quod requiritur formalissime, & necessario esse generationem de præterito, licet etiam ad generationem divinam ex eo quod divina sit, & ad filiationem increatam propter rationem increatam, & divinam requiratur, quod sit de præsenti, quod significatur illo adverbio, hodie.

Ergo ad filiationem creatam, & ad maternita- 181
tem B. Virginis non est necesse, vt actu detur generatio: sed sufficit, quod præcesserit.

Confirmatur, quia quotiescunque Scriptura 182
loquitur de Patre varijs modis vtitur; nam aliquando dicit solum aliquem fuisse Patrem de præterito, vt *Genesis 4. 21.* Pater fuit canentium cythara; clarius *1. Paralip. 2. 17.* cuius Pater fuit Geter. *2. Paralip. 2. 14.* cuius Pater fuit Tyrius, & *1. Regum 14. 51.* Cis fuit Pater Saul. & *1. Paralip. 4. 11.* Qui fuit Pater Esthon.

Aliquando etiam nominat Patrem de futuro, vt 183
Genes. 17. 4. erisque Pater multarum gentium, & *1. Macab. 2. 65.* ipse erit vobis Pater.

Aliquando de præsenti vtitur, vt *Genes. 9. 18.* 184
ipse est Pater Canaan, & *19. 31.* Pater noster senex est, & *44. 27.* est nobis Pater senex, & *Isaiæ 64. 8.* Pater noster es tu, & *Hier. 2. 27.* Pater meus es tu, qua varietate vtitur Scriptura ad significandum proprius modum loquendi de Patre, aut de paternitate: nam qui dicit, actu esse Patrem filij qui mortuus est, improprie loquitur; nam si proprie loqueretur deberet loqui eo modo, quo Scriptura, videlicet Pater fuit, nam ille est proprie actu Pater, non qui actu non habet filium, quem habiturus est, quia iste potius dicitur, erit Pater; sed potius qui actu habet filium: vnde Paternitas actualis non datur actu vere proprie, & realiter (licet abusivè, lato modo, & improprie dicatur aliquando Pater respectu filij, qui non est, & filius respectu Patris, qui iam defunctus est, vt patet ex exemplis adductis ab ipso Arriaga) si filius non est actu, aut si substantia Patris non est actu, & nihilominus actu est Pater, & actu est filius, licet actu non sit generatio, vt patet ex iam supra dictis de maternitate Virginis: ergo non eodem modo, & eodem gradu necessitatis requiritur, nec eadem ratione constituit relationem actualem generatio actualis, ac requiruntur, & constituunt ipsam relationem actualem substantia Patris, & substantia filij actualiter existentes, siquidem hæ ad actualem relationem constituendam in re ipsa, & non solum in modo latissimo loquendi requiruntur, vt actualiter, & formaliter existentes, & generatio non requiritur actualiter ad actualem constitutionem relationis, & sic actualis, & adæquata relatio paternitatis, & filiationis separatur ab actuali generatione, ac proinde distinguitur adæquate ab ipsa, sicut etiam distinguitur adæquate vtrumque extremum relationis paternitatis substantia nimirum Petri, qui est Pater, & substantia Pauli, qui est filius ab ipsa relatione paternitatis, aut filiationis, quia licet actu non separetur vtrumque extremum dictum à relationibus, potest tamen separari à talibus relationibus, nam idem Petrus, & idem Paulus possent esse, & existere actu, vt supra diximus, si à solo

Deo producerentur immediate, in quibus nulla esset paternitas, aut filiatio, comparando Petrum cum Paulo, & è contra.

SECTIO VLTIMA.

In qua argumenta Adversaria solvuntur.

185 AD locum ex D. Thoma desumptum respondeo, admittendo totum illum, negando tamen ex tali loco sequi relationem constitui formaliter per terminum, tanquam per partem formalem illius, sed solum terminum pertinere ad relationem vt extrinsecum connotatum, & specificativum extrinsecum relationis, à quo relatio adæquate intrinsece distinguitur, & per quem non distinguitur ab alijs rebus tanquam per constitutivum formale intrinsecum, sed solum tanquam per extrinsecum essentiale requisitum ad illam.

186 Nam res possunt ab alijs dupliciter distingui, aut extrinsece, aut intrinsece; hoc est aut tanquam per connotata aut tanquam per constitutiva formaliter; exemplo potentiæ, & scientiæ manifeste convincitur hoc: Nam intellectus dupliciter distinguitur à voluntate aut per intrinseca essentialia constitutiva ipsius, hoc est per prædicata essentialia, quibus intrinsece, & formaliter constituitur, videlicet, quia est potentia perceptiva veritatis, & sic dicimus, intellectus distinguitur à voluntate, quia potest cognoscere obiectum, aut percipere verum; aut per extrinsecum obiectum, & sic solet dici intellectus non est voluntas, quia intellectus habet pro obiecto verum, voluntas autem habet pro obiecto bonum, quæ distinctio est per exttrinsecum, & non per intrinsecum; Item Theologia distinguitur à Logica, quia illa importat Deum, vt obiectum, hæc intellectus operationes, vt dirigibiles: ecce quomodo has res distinguimus ab alijs per extrinseca, etiamsi illa non sint partes constituentes scientias, & potentias, sed solum, quia pertinent extrinsece ad ipsas; quæ distinctio etiam in moralibus reperitur; v.g. Hispaniæ Rex Philippus quartus distinguitur à Duce Sabaudiæ aut per tot populos, quos supremo dominio, & authoritate gubernat, tot patentissima regna, & imperia, quibus dominatur, & potitur, & quibus omnibus caret supradictus Sabaudiæ Dux, qua distinctione sæpissime vtimur, quia notior, cum per res tam notas, & omnibus patentes tribuatur, imo ea communiter solet tribui, vt personæ dignoscantur.

187 Potest etiam distingui Rex Hispaniæ à supradicto Duce per tales, & tales virtutes, & habitus morales, quos intrinsece affixos habet animo, aut per talem materiam, formam, & vnionem intrinsece, & essentialiter constitutivas Regis Hispaniæ distinctas à materia, forma, & vnione illius Ducis, & hæc distinctio dicitur intrinseca, quia assignatur, & redditur per intrinsecas partes constitutivas rei.

188 Ita similiter in nostro casu D. Thomas in opusculo citato ad manifestandam naturam relationis vtitur distinctione per extrinseca, scilicet per terminum, non tanquam per partem, sed tanquam per extrinsecum specificativum notissimum omnibus, ratione cuius per illum etiamsi extrinsece pertineat ad relationem, & minime constituat formaliter intrinsece illam, optime natura relationis manifestatur, quare Aristoteles docet relationem esse definiendam per suum terminum, non tanquam per partem; sed potius tanquam per extrinsecum, in ordine ad quod specificatur relatio habendo totum suum esse in ordine ad illud.

Convincitur totum hoc exemplo D. Thomæ; 189
nam sicut totum distinguitur à sua parte, tanquam id, quod dicit plusquam illa, sic relatio distinguitur à suo fundamento, quia relatio connotat terminum à quo specificatur, quem non connotat fundamentum, ac proinde relatio dicit entitatem intrinsecam respectus, & entitatem extrinsecam termini; vnde plus dicit relatio, quam fundamentum, saltem extrinsece, licet constitutive intrinsece, neque fundamentum, nec relatio dicant terminum; & hæc est genuina explicatio mentis D. Thomæ.

Quod sic probo ex illo communi axiomate, vi- 190
delicet quod exempla vt sint recta non debeant esse identitates sed potius debeant habere distinctionem à rebus, quas per talia exempla declaramus; sed D. Thomas adducit exemplum totius, quatenus distinguitur ab vna parte per aliam vt explicet distinctionem relationis à fundamento, & ait, sicut totum distinguitur à materia per formam, ita relatio distinguitur à fundamento per terminum: ergo vt exemplum D. Thomæ sit rectum, & non sit identitas, nec in explicatione committat Angelicus Doctor vitium declarandi idem per idem, non debet relatio esse totum respectu fundamenti, & termini.

Quod amplius declaratur verbis supra adductis 191
D. Thomę *ex 1.p.* vbi cõparans relationes divinas cum creatis ait, in hoc solum distingui vtrasque relationes, quod creatæ distinguuntur à parte rei à fundamentis, divinæ vero non, & quod in cæteris conveniant: sed relatio Divina, v.g. Patris non componitur ex fundamento, & termino: ergo etiam creata secundum mentem D. Thomæ, quare verbis, quæ adducuntur ab adversarijs, solum ostendit Angelicus Doctor distinctionem relationis à suo fundamento, non per intrinsecum, sed per extrinsecum terminum, quia fundamentum quatenus absolutum nihil extrinsecum connotat, cum relatio ex eo quod sit entitas respectiva connotet terminum.

Ad secundum argumentum nego primam par- 192
tem antecedentis vt patet ex supradictis. Ad probationem illius respondeo, argumenta illa evidenter esse soluta, & refutata. Ad vltimam rationem nego maiorem: tactus enim est contiguitas duorum corporum; nam vt bene ait D. Thomas, tactus est solum coëxistentia duorum corporum in locis immediatis; vnde non est relatio, sed denominatio extrinseca, ac proinde non potest dici, quod tactus sit ad aliud, sed potius est ab alio denominante extrinsece, vt paries denominatur dexter à dexteritate hominis, & Petrus denominatur amatus extrinsece ab amore Ioannis,

Item respondeo in casu in quo concedamus, ta- 193
ctum esse relationem, talem tactum seu relationem à parte rei distingui à rebus se tangentibus, quia non est maior ratio huius relationis, ac cęterarum, cum nihil reperiamus in hac relatione, quod cogat nos asserere contra supradicta, videlicet huiusmodi relationem identificari cum fundamento, imo potius dicimus, talem relationem à parte rei resultare, vt modum ex natura rei distinctum à

corporibus

corporibus se tangentibus, in quibus resultat illa relatio, habendo pro ratione fundandi approximationem in loco, & pro fundamento quantitatem &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum relatio terminetur ad absolutum, vel ad respectivum formaliter?

SECTIO I.

Sententiæ adversariorum proponuntur.

1 PRIMA sententia asserit, omnes relationes mutuas terminari ad relativum formaliter, sic Ferrara, Nyphus, Desa Hispalensis *in 1. distinct. 3. quæst. 1. notab. 3.* quos sequitur, & citat P. Rubius *in Log. quæst. 7. de Ad aliquid, num. 64.*

2 Probatur primo, quia oppositio relativa reperitur inter relativa vt relativa sunt formaliter: ergo mutua relatio includit essentialiter mutuam oppositionem relativam: sed mutua oppositio relativa essentialiter includit vtramque rationem referendi, & terminandi: ergo vtrumque officium exercent relativa per relationes, & non per fundamenta absoluta; omnia constant evidenter, præter minorem quam non minus evidenter probo, inquit Rubius: mutua oppositio consistit in hoc, quod relativa mutuo se respiciant, & relationes sint rationes mutuo se respiciendi; sed mutuo se respicere est quodlibet respicere aliud, & ab eo respici, & ab eo respici est terminare relationem eius: ergo evidens est, quod in mutua oppositione includatur essentialiter vtrumque officium referendi, & terminandi, & ex consequenti quod vtrumque exerceant relativa per relationes, & non per fundamenta, quia per relationes, & non per fundamenta habent formalem oppositionem.

3 Præterea sic vrgeo: relationes divinæ non terminantur ad absolutum, sed ad respectivum: ergo etiam relationes creatæ. Antecedens est evidens: nam paternitas terminatur ad terminum à se realiter distinctum, quia eiusdem ad se ipsum nulla datur relatio; sed in divinis nihil absolutum distinguitur realiter à relationibus, nisi altera opposita relatio: ergo in divinis nihil absolutum est terminus relationis, nisi altera relatio opposita: consequentia præcipua sic probatur: quia eadem datur ratio in relationibus divinis, ac datur in creatis quantum pertinet ad rationem referendi, & terminandi: ergo etiam relationes creatæ terminantur ad relativum, & non ad absolutum.

4 Dices, magnum esse discrimen inter relationes creatas, & increatas; nam relationes divinæ, quia sunt subsistentes, ac substantiales, non habent aliud fundamentum præter se ipsas, per quod possit vnum relativum terminare relationem alterius, relationes vero creatæ sunt accidentales, & ideo præsupponunt aliud accidens absolutum, tanquam fundamentum quo medio confurgunt, & per tale fundamentum potest vnum relativum terminare alterum.

Sed nec differentia hæc aliquid valet, quod ita 5
probo, quia relationem esse subsistentem, aut inhærentem, seu substantialem, aut accidentalem non pertinet ad rationem formalem relationis, aut relativi sed materiale quid est: relationes vero, aut relativa mutua ex ratione formali talium relationum, & relativorum habent mutuam oppositionem formaliter includentem vtramque rationem referendi, & terminandi, quæ eadem est in divinis, & creatis: ergo eadem erit ratio terminandi in vtrisque; sicut eadem est ratio referendi, quare si ad relativum formaliter terminantur divinæ, & non ad absolutum, etiam terminabuntur creatæ.

Secundo, relationes essentialiter sunt rationes 6
referendi: ergo mutuæ relationes mutuo se respiciunt: ergo mutuo se terminant. Probatur consequentia: quia non est intelligibile, quod vna respiciat alteram, quin ab ea terminetur: ergo non est intelligibile, quod mutuo se respiciant, quin mutuo se terminent; sed nihil habent absolutum, ergo ratio formalis terminandi in eis non est absolutum, sed relativum.

Secunda sententia asserit, omnes relationes 7
mutuas terminari ad absolutum formaliter, & non ad respectivum; ita sentit P. Suarez *in metaphys. disp. 47. sect. 16. num. 14.* & multi alij, vt Scotus *in 1.* quem sequuntur omnes Scotistæ; ex Thomistis defendunt hanc sententiam Capreolus, & Zonzinas, probatur.

Primo, nam in relationibus non mutuis, vide- 8
mus relationem vnius extremi non terminari formaliter ad relationem alterius: ergo licet in relativis mutuis sit relatio realis in vtroque extremo vna non tendet in aliam formaliter, sed simul & concomitanter vna tendet in subiectum, seu fundamentum alterius, & è converso: probatur hæc consequentia, nam si per impossibile in altero extremo impediretur relatio, conservato toto fundamento eius, nihilominus relatio alterius extremi posset ad aliud terminari: ergo signum est, illas duas relationes esse simul per concomitantiam, & non per formalem terminationem vnius ad aliam: consequentia est evidens, & antecedens patet; nam quando vnum extremum tale est vt non possit fundare relationem, nihilominus est aptum ad terminandum relationem alterius, vt patet in Deo terminante relationem creaturæ vt sic, & nullam prædicamentalem fundante: ergo quacunque ratione contigerit, alterum extremum manere cum fundamento, in quo datur opposita relatio, etiamsi in se non habeat relationem, nihilominus manebit sufficiens ad terminandam relationem alterius: vnde si per intellectus præcisionem separetur relatio à tali extremo, intelligetur manere æque sufficiens ad terminandam aliam relationem.

Secundo, quia aut relatio in quantum relatio 9
postulat terminum relativum, aut in quantum relatio mutua; sed neutro modo potest postulare talem terminum: ergo non terminatur per se ad relativum, sed per accidens, & ideo ad absolutum per se. Probatur minor, quod non vt relatio, nam si vt relatio peteret terminum relativum, omnis relatio deberet illum habere, & nulla poterit terminari ad absolutum; sed relationes tertij generis terminantur omnes ad absolutum, vt manifestum est: ergo relatio, vt relatio non petit terminum relativum; quod autem eum non petat vt relatio mutua probatur, quia relatio non dicitur

mutua

mutua per rationem terminandi, sed per rationem referendi, quia vtrunque extremum refertur ad aliud: ergo non est necessarium vt relatio sit mutua, quod sit ratio terminandi, sed satis est esse rationem referendi in vtroque extremo, quod verum esse potest, etiamsi absolutum terminetur.

10 Tertio, si vnum relativum terminaretur ad alterum, etiam vt relativum, sequeretur non posse vnum cognosci, aut definiri nisi per alterum, quia non potest cognosci, neque definiri relativum, nisi per terminum; sed consequens est falsum: ergo & antecedens; probatur minor, quia loco nominis in definitione positi licet ponere suam definitionem, vt loco animalis positi in definitione hominis licet ponere vivens sensibile, quæ est eius definitio, dicereque homo est vivens sensibile rationale: ergo si Pater definitur per filium, dicemus Pater est, qui habet filium, & tunc loco filii licebit ponere definitionem eius quæ talis erit: filius est qui habet patrem, & ita definitio Patris erit, Pater est qui genuit eum, qui habet Patrem; in qua tria vitia committuntur; primum negationis, seu inutilis repetitionis, quia Pater ipse qui definitur in definitione repetitur; secundum est, quod ignotum per ignotius definiatur; nam dum Patrem definimus per filium, non solum æque ignotus est filius; sed minus notus; cum nihil de eo possimus cognoscere nisi per Patrem. Tertium, vitiosus quidam circulus, nam vnum relativum definitur per alterum, & hoc idem per illud, quod est definire idem per semetipsum: nam si Pater definitur per filium, & tursus filius per Patrem à primo ad vltimum definietur Pater per se ipsum; quod est contra Aristotelem 5. *lib. met. c.* 13. & 1. *lib. de post. resolut. c.* 3.

11 Tertia sententia asserit in omnibus relationibus, tam mutuis, quam non mutuis formalem terminum debere esse relativum, ita Caiet. 1. *p. q.* 13. *art.* 7. Hispalensis *in* 1. *dist.* 30. *q.* 1. *notab.* 3. quos sequitur Pater Fonseca in metaphys.

12 Duobus modis explicatur hæc sententia, primo à Caietano, qui ait, in relationibus non mutuis vnum extremum esse relativum formaliter per relationem in se ipso intrinsece, & formaliter existentem; aliud vero non per relationem sibi inhærentem intrinsece, sed per relationem existentem in alio; v. g. scientia, quæ mensurabilis dicitur referri per relationem sibi inhærentem ad obiectum, tanquam ad mensuram; obiectum vero, quod mensura dicitur, refertur ad scientiam non per relationem sibi inhærentem: sed per eandem relationem existentem in scientia; sicut Deus refertur ad creaturam, non per relationem existentem in ipso: sed per relationem existentem in creatura.

13 Probatur ex Arist. 5. *met. c.* 15. hic modus Caietani, nam Philosophus expresse asserit in relativis tertij generis, quæ sunt mensura, & mensurabile vnum referri per relationem, quam in se habet, alterum vero per relationem, qua aliud refertur ad ipsum.

14 Secundo modo explicatur à Fonseca, qui asserit; extremum illud in quo non est relatio realis terminare relationem realem alterius extremi, non per eandem illius relationem; sed per relationem propriã, non realem; sed rationis, quia vt ipse inquit eo ipso quod scientia refertur per relationem realem mensurabilis ad obiectum, acquirit obiectum novam commensurationem, & correspondentiam cum illa ratione, cuius commensurationis debita est ei denominatio relativa mensuræ, & cum non possit eam habere realem, habebit eam per rationem

SVBSECTIO II.

Nostra prima conclusio proponitur, & probatur ratione prima.

15 PRima conclusio: aliquæ relationes mutuæ terminantur ad relativum formaliter.

16 Vt intelligatur hæc conclusio, adverte Petrum quatenus est substantia absoluta, v. g. dicere relationem identitatis ad substantiam absolutam Pauli, quam relationem etiam dicit, quatenus est homo, ex eo quod Petrus, & Paulus sint eiusdem speciei; itaque in substantia, & essentia Petri dantur duo (sive ratione, sive à parte rei distincta) absolutum nimirum esse hominis, & relatio identitatis ad Paulum; sicut in ipso Paulo datur, & esse hominis absolutum, & alia similis, aut eiusdem rationis relatio, per quam Paulus refertur ad Petrum propter convenientiam, quam habent in esse hominis; quo posito sic argumentor.

17 Primo, quia Petrus, v. g. ex eo quod sit eiusdem speciei cum essentia Pauli, dicit relationem identitatis ad substantiam Pauli; sed substantia Petri quatenus est esse absolutum hominis non est eiusdem speciei; sed potius diversæ rationis respectu relationis identitatis, quæ est in Paulo, per quam refertur Pauli substantia ad substantiam Petri: ergo licet Petrus referatur per relationem identitatis, & similitudinis ad substantiam Pauli, nihilominus dicet relationem diversitatis, & disconvenientiæ, per eamque referetur substantia absoluta hominis Petri formaliter ad relationem identitatis, quæ est in Paulo: maior est evidens, vt ex se patet.

18 Minor est clara; nam ea quæ sunt diversorum prædicamentorum non sunt similia: sed potius diversæ rationis, vt verbi gratia substantia, quantitas, qualitas, & relatio non similia in essentijs: sed potius dissimilia sunt, & diversæ rationis, quia ad diversa prædicamenta pertinent; item substantia absoluta, & modus accidentalis sunt diversæ rationis, & non sunt similes in essentia; atqui substantia, & essentia absoluta Petri, & relatio quæ datur in substantia Pauli pertinent ad diversa prædicamenta, quia illud ad prædicamentum substantiæ, hoc ad prædicamentum relationis, quæ est modus accidentalis, pertinet: ergo substantia, & essentia absoluta Petri non est similis, sed potius diversæ rationis cum relatione identitatis, quæ est in substantia Pauli.

19 Prima consequentia sic demonstratur, quia omne quod est dissimile, disconveniens, & diversæ rationis respectu alicuius refertur ad illud per relationem dissimilitudinis, & disconvenientiæ; sed essentia absoluta Petri quatenus homo, est dissimilis, disconveniens, & diversæ rationis respectu relationis identitatis, quæ est in Paulo, vt nuper probavi: ergo substantia, & essentia absoluta Petri quatenus homo est, refertur ad relationem identitatis, quæ est in Paulo per relationem dissimilitudinis, & disconvenientiæ. Itaque sine dubio in Petro datur duplex relatio

relatio, alia identitatis, & similitudinis ad substantiam Pauli; & ad ipsum Paulum quatenus homo est eiusdem speciei cum ipso Petro, alia dissimilitudinis, diversitatis, & disconvenientiæ, non ad substantiam, & essentiam Pauli quatenus est homo, sed ad relationem identitatis, quæ est in Paulo.

20 Confirmatur, ideo substantia Petri refertur formaliter per relationem disconvenientiæ, dissimilitudinis, & diversitatis ad actionem, quæ oritur à Paulo ad figuram, ad vbi, situm, &c. quia substantia Petri ex eo quod substantia sit, est dissimilis, disconveniens, & diversæ rationis ab illis entitatibus, quia modi accidentales sunt sed etiam relatio identitatis, quæ est in substantia Pauli, est modus accidentalis, & entitas Petri est substantia: ergo entitas Petri est dissimilis, disconveniens, & diversæ rationis ab illa relatione identitatis, quę est in Paulo: ergo substantia Petri refertur ad relationem identitatis, quæ est in Paulo per relationem dissimilitudinis, disconvenientiæ, & diversitatis. Item quia non solum substantia Petri est diversæ rationis, & dissimilis relationi identitatis, quæ est in Paulo, quia illa est substantia, & hæc accidens; illa res, hæc modus, sed etiam quia substantia Petri est entitas absoluta, & relatio identitatis, quæ est in Paulo, est respectus formaliter; absolutum enim, & respectivum formaliter sunt dissimilia, disconvenientia, & diversæ rationis formaliter; illa enim quorum vnum habet vnam rationem, & aliud non habet illam, sed diversam, sunt dissimilia, & disconvenientia: v. g. paries, qui habet albedinem, est dissimilis aut disconveniens parieti habenti ceruleum, aut viridem colorem; sed entitas absoluta Petri non habet in se rationem respectus formaliter, quia ipsa substantia Petri non est relatio formaliter; relatio autem identitatis, quæ est in Paulo, essentialiter est respectus, & ordo: ergo substantia Petri distinguitur essentialiter à relatione identitatis, quæ est in Paulo: ergo sunt dissimilia in essentijs, disconvenientia, & diversæ rationis: ergo talis substantia refertur relatione dissimilitudinis, & diversitatis ad relationem identitatis, quæ est in Paulo, quia non est maior ratio quare substantia Petri referatur relatione diversitatis ad alios modos, qui sunt in Paulo, & non referatur ad relationem identitatis, quæ est etiam modus; imo vt iam dixi, maior ratio datur ad talem relationem respectu identitatis, quam respectu aliorum modorum absolutorum.

21 A priori sic probatur, quia substantia Pauli quando non existebat Paulus, & relatio identitatis in ipso, neque referebatur ad substantiam Pauli per relationem similitudinis, quia non existente Paulo non erat similis illi, neque erat dissimilis, aut diversus relationi identitatis, quæ est in Paulo, & existente de novo substantia Pauli; item de novo existente relatione identitatis illius, substantia Petri est similis, & conveniens cum substantia Pauli, & est dissimilis, & disconveniens cum relatione identitatis existente in Paulo, & quia conceptus similis est relativus ex eo quod sit ad aliud, & non ad se, nihil enim respectu sui ipsius est simile, sine dubio per relationem similitudinis refertur ad substantiam Pauli.

22 Sed sine dubio in omnium sententia conceptus dissimilis, disconvenientis, & diversi est ad aliud, quia nihil respectu sui ipsius est diversũ, dissimile, & disconveniens: ergo relativus formaliter; sed quidquid est relativum formaliter refertur per relationem ad illud, respectu cuius est relativum: ergo conceptus diversi, dissimilis, & disconvenientis refertur per relationem disconvenientiæ, dissimilitudinis, & diversitatis formaliter ad illud, respectu cuius est dissimilis, & diversus: sed substantia Petri quatenus substantia absoluta est, & quatenus homo essentialiter est diversa, dissimilis, & disconveniens cum relatione identitatis, quę est in Paulo, quia est accidens, modus, & relatio: ergo substantia Petri refertur formaliter per relationem dissimilitudinis, disconvenientiæ, & diversitatis ad relationem, seu respectum identitatis quæ est in Paulo. Tunc sic, illud ad quod alterum refertur formaliter per relationem, est terminus formalis illius relationis; v. g. ideo nigredo est terminus formalis relationis dissimilitudinis in albedine existentis, quia albedo refertur formaliter per illam relationem dissimilitudinis ad nigredinem: sicut brutum, aut irrationale est terminus formalis relationis disconvenientiæ, aut diversitatis, quæ est in rationali, quia rationale refertur per talem relationem formaliter ad brutum; sed substantia Petri refertur formaliter per relationem disconvenientiæ, & diversitatis ad relationem identitatis, quæ est in Paulo; sicut refertur per relationem similitudinis, & convenientiæ ad substantiam ipsam Pauli: ergo relatio identitatis quæ est in Paulo, est terminus formalis relationis disconvenientiæ, per quam refertur Petrus ad talem relationem, sicut ipsa substantia Pauli est terminus formalis relationis convenientiæ, & identitatis per quam refertur substantia Petri ad talem substantiam Pauli.

Ratio à priori ab omnibusque recepta horum 23
omnium est, quia illa est ratio terminandi formaliter, seu quæ terminat formaliter in aliquo, per quam redditur proxima causa, ob quam res est talis, vt ad ipsam alia referri possit: sicut illa est ratio fundandi formaliter, per quam redditur convenienter proxima causa, ob quam talis res habet relationem ad aliam, & respicit illam; sed proxima causa, ob quam ad Petrum refertur Paulus per relationem diversitatis, & Petrus ad Paulum per relationem disconvenientiæ est relatio, quæ datur in Paulo, quia si non esset illa relatio, non referretur relatione diversitatis Petrus ad Paulum; sicut tota causa, quare referatur Petrus ad Palum (est substantia ipsa Pauli) per relationem similitudinis, & identitatis: ergo relatio existens in Paulo est terminus formalis relationis diversitatis existentis in Petro: sicut è contra substantia ipsa Pauli est terminus formalis relationis similitudinis, & identitatis per quam refertur Petrus ad Paulum.

SVBSECTIO I.

Aliquæ solutiones Adversariorum refutantur.

Dices, relationem identitatis existentem in 24
Paulo materialiter, & non formaliter quatenus relatio est, esse terminum relationis disconvenientiæ

venientiæ existentis in Petro, si autem quęratur à re, quare talis relatio identitatis, quatenus relatio formaliter non sit terminus relationis diversitatis, per quam refertur Petrus ad Paulum? respondes, quia terminare formaliter non est actu referri in tali relatione.

25 Contra: ergo genitum in tua sententia non est formaliter terminus paternitatis: sed hoc est falsum: ergo illud, ex quo sequitur; illud antecedens sic patet, quia non est idem esse genitum, & actu terminare paternitatem, nam esse genitum est esse substantiale intrinsecum productum à Patre constitutum in esse geniti per generationem effluentem à Patre afficientem intrinsece illud esse Petri geniti.

26 Et esse actu terminum seu actu terminare in genito relationem prædicamentalem paternitatis est denominatio extrinseca accidentalis proveniens in genere causæ formalis extrinsecæ ab ipsa relatione paternitatis, quæ terminatur ad ipsam; sed esse intrinsecum substantiale productum in Petro non est denominatio extrinseca à relatione.

27 Quod sic evidenter demonstratur: nam esse genitum substantiale præsupponitur ad ipsam relationem paternitatis, quia positis generante, & genito resultat relatio paternitatis in Patre; vnde genitum est causa vt resultet relatio paternitatis in generante; causa autem est prior natura suo effectu; sed actu terminare in genito relationem paternitatis nullo modo præsupponitur ad relationem paternitatis: sed potius subsequitur ad illam, quia est effectus formalis extrinsecus illius, & ideo est vera hæc causalis, ideo genitum terminat actu relationem paternitatis, quia actu Pater refertur per illam ad genitum: ergo esse genitum, & actu terminare non sunt idem formaliter: ergo esse genitum in tua sententia non erit terminus formalis paternitatis; atqui est vere, & formaliter terminus illius: ergo falsum est dicere, ideo paternitatem non esse formaliter terminum, quia relatio identitatis existentis in Paulo non est ipsum actu terminare: vnde falsa est solutio adversariorum.

28 Secundo contra evidenter, quia quando quærimus, Vtrum vna relatio sit terminus formalis, non quærimus, vt optime ait P. Suarez de formali denominatione termini, vt actu terminantis; sed de ratione, seu forma quæ in ipsa re, quæ est terminus requiritur, vt sit apta ad terminandum: nam sub priori ratione esse terminum, seu terminare, non est aliquid intrinsecum in re terminante: sed vt iam dixi, est denominatio extrinseca sumpta ex eo quod aliud tendat in ipsam; sicut parietem esse visum est denominatio extrinseca in ipso à visione; nam idem est videri, quod actu terminare visionem, nihilominus tamen prærequiritur in pariete aliqua forma, qua constituitur aptus ad terminandam visionem; sic ergo intelligendum est de termino relationis, dicetur enim actu terminare solum, quia respicitur ab alio, quæ denominatio non est prærequisita ad relationem, sed consequens ad illam: vnde ad quæstionis titulum, & ad dubium præsens est per accidens, superflua, & impertinens, cum hic solum interrogemus de termino antecedente ad relationem; ex cuius positione posteriori tate naturæ resultat relatio, in quo omnes conveniunt: (vnde etiam impertinens, & per accidens est ad quæstionem, Vtrum distinguatur vel non, actu terminare ab actu referri in eadem relatione) necessario vero supponitur in termino aliqua ratio, & quasi causa formalis, ob quam est terminativus relationis, quia non omne ens potest terminare quancunque relationem: ergo in vnoquoque requiritur propria aliqua ratio, ob quam est natum terminare hanc, vel illam relationem; hanc ergo rationem terminandi in præsenti inquirimus, quæ sine dubio est relatio identitatis formaliter, quia ipsa ex eo quod sit modus relativus formaliter potest terminare relationem diversitatis, quæ est in substantia Petri, quatenus talis substantia est absoluta formaliter; vnde ratio terminativa, de qua loquimur, non est actualis terminatio, cum illa ratio sit entitas intrinseca, & hæc sit denominatio extrinseca: ergo non recte procedit adversarius, dum ait, ideo relationem non esse terminum formaliter, quia actu terminare, non est actu referri formaliter; sicut male diceret qui affirmaret albedinem non esse terminum formalem similitudinis alterius albedinis, quia esse albedinis, & actu terminare non sunt idem: vnde si hæc responsio nullo modo recta similiter erit mala hæc, quam tribuunt adversarij, quia certe procedit ex ignorantia tituli quæstionis, nam in hac quæstione solum quæritur, Vtrum sicut ens absolutum per suam entitatem terminat relationem alterius, & est id ad quod alterum per relationem refertur, ita detur aliqua relatio, quæ per suam entitatem modalem relativam sit id, ad quod aliud referatur per relationem; nos autem dicimus dari talem relationem, quia relatio identitatis, quæ est in Paulo, per suam entitatem modalem respectivam terminat relationem diversitatis, quæ est in Petro, quia est id per suam entitatem relativam, quod respicit Petrus, & ad quod refertur substantia absoluta Petri per relationem diversitatis, & disconvenientiæ, quia Petrus quatenus substantia est dissimilis, & diversus, aut disconveniens à relatione identitatis, quæ est in Paulo formaliter, quia talis relatio est modus accidentalis, saltem prædicamentaliter quod est certissimum, ac verissimum, ac proinde falsa est, & nullius momenti evasio adversariorum.

Tertio evidentius sic demonstro, quia certum est apud omnes adversarios in divinis vnam relationem esse terminum formalem alterius; atqui non sunt idem formaliter in relatione divina, hæc munera nimirum actu terminare alteram relationem, & referri ad illam, quia terminare est quasi denominatio extrinseca proveniens ab altera relatione, & referri est intrinsecum in ipsa relatione, in paternitate enim terminare actu relationem filij provenit à relatione filiationis quasi extrinsece formaliter; referri autem paternitatem ad filium non provenit extrinsece à relatione filiationis: sed est intrinseca personalitas Patris: ergo licet in relatione identitatis, quæ est in Paulo non sint idem formaliter actu terminare, & referri bene poterit relatio identitatis quatenus relatio formaliter esse terminus alterius relationis.

Vrgeo amplius, quia nulli dubium est, distinguí formaliter actu referri, & actu terminare, & ideo omnes hoc supponunt tanquam certum, & nihilominus gravissime inter Doctores con-

troverz

trovertitur an terminus formalis relationis sit respectivum, vel absolutum: ergo non in hac solutione, sed in alio vertitur cardo huius quæstionis, alias nulla daretur quæstio, sed potius funditus tolleretur dubitatio illius: ergo ineptè procedunt adversarij hanc solutionem tribuentes.

31 Quarto iterum sic impugno à priori adversarios, quia in tantum est terminus relationis disconvenientiæ quæ datur in Petro relatio identitatis, quæ existit in Paulo, in quantum substantia Petri non convenit cum tali relatione identitatis in ratione absoluti substantialis: sed in tantum non convenit cum identitate in illa ratione in quantum est relatio formaliter: ergo in tantum identitas est terminus relationis disconvenientiæ, quæ est in Petro, in quantum est relatio formaliter. Maior sic probatur. In tantum rationale est terminus formalis relationis disconvenientiæ, quam dicit brutum ad ipsum, in quantum rationale non convenit cum bruto in ratione principij discursus, quia adæquata ratio, & causa relationis diversitatis est non convenientia duorum; itavt illa, quæ fuerint non convenientia formaliter, sint terminus, & fundamentum relationis diversitatis. Minor sic probatur, in tantum relatio identitatis non convenit cum entitate absoluta Petri sub ratione absoluta, & est incapax habendi illam: sed in tantum illi repugnat, & est incapax illius, in quantum est relatio formaliter: ergo. Maior sic probatur; equus, & homo disconveniunt, seu non conveniunt in ratione rationalis, quia equo in quantum tali repugnat rationalitas, quæ convenit homini; sed relationi quatenus tali formaliter repugnat esse absolutum substantiale: ergo in tantum disconvenit relatio identitatis cum substantia Petri in esse absoluti, in quantum relationi repugnat esse absolutum substantiale, quod est in Petro.

32 Minor probatur, quia relatio nihil aliud est, quam ens accidentale, modale, respectivum formaliter; sed non repugnat illi esse absolutum ratione entis, aut accidentis aut modi, cum vbi, & actio sint entia accidentalia modalia, & nihilominus sunt absoluta: ergo ratio absoluti repugnat illi solum ratione vltimi prædicati, respectivi nimirum formaliter; sicut esse inhibile non repugnat homini formaliter ratione entis per se, & animalis, alias etiam equo, qui est ens per se animal repugnaret inhibilitas, quod est falsum: vnde repugnat inhibile homini propter aliam rationem, quæ est in equo, & repugnat homini: ergo similiter relationi, quatenus tali repugnabit esse absolutum: ergo relatio, vt relatio formaliter, & quatenus talis, est disconveniens cum entitate absoluta Petri, vbi, & cæterorum entium absolutorum sive substantiarum, sive accidentium: ergo relatio identitatis quæ est in Paulo respectu Petri, & quæ est in vno vbi respectu alterius, quatenus relatio formaliter terminat relationem disconvenientiæ, quam dicit Petrus ad talem relationem, & vbi, & cætera: ergo iam vna relatio est terminus formalis alterius.

33 Vltimo sic argumentor contra illam solutionem, quia si relatio disconvenientiæ vel dissimilitudinis, de qua loquimur, quæ existit in substantia Petri, non haberet pro termino formali relationem identitatis quæ datur in substantia Pauli, talis relatio esset sine termino formaliter: sed hoc est summum absurdum, & impossibile: ergo illa relatio habet pro termino formali relationem identitatis; minor est certa, quia omnis relatio petit necessario terminum formalem, & relatio prædicamentalis petit terminum actu existentem formalem, quia nisi positis termino, & fundamento non resultat relatio prædicamentalis.

Maior sic demonstratur primo, quia in substantia Pauli datur entitas absoluta illius, & relatio identitatis solum (ad quod supponamus, sive naturaliter, sive supernaturaliter destrui omnia accidentia, & modos, quæ sunt in Paulo, præter substantiam, & relationem identitatis:) sed entitas, & substantia absoluta Pauli non potest terminare formaliter relationem disconvenientiæ, quæ existit in Petro, quia vt supra diximus, entitas substantialis absoluta Pauli est terminus formalis relationis identitatis, & convenientiæ, quam dicit Petrus ad Paulum: ergo non potest esse eadem simul terminus disconvenientiæ, & dissimilitudinis, alias quod est conveniens alteri sub eadem ratione formali, qua convenit cum altero, disconveniret cum ipso & non conveniret: vnde idem respectu eiusdem conveniret, & non conveniret sub eadem ratione, & sic idem esset capax duarum contradictoriatum quæ simul essent veræ, & sic idem esset, & non esset simul contra primum, & evidentissimum omnium principium: sed entitas substantialis absoluta Pauli sub ratione absoluta substantiali convenit cum entitate absoluta substantiali Petri: ergo sub eadem ratione non potest disconvenire, aut non convenire cum ipsa: ergo non potest entitas Pauli substantialis, & absoluta terminare relationem disconvenientiæ, & diversitatis, quam dicit substantia Petri. 34

Atqui in ipsa substantia Pauli non est aliud, quod possit terminare talem disconvenientiam, nisi relatio identitatis, quæ est in ipso: ergo illa est terminus formalis relationis disconvenientiæ, quæ datur in Petro; sed per vos terminus relationis disconvenientiæ non est talis relatio identitatis: ergo nullus est terminus talis relationis; patet hæc consequentia, quia in Paulo solum dantur duo, & nihil amplius præter illa, vt supponimus; sed substantia nullo modo potest esse terminus relationis disconvenientiæ, vt probatum est, & relatio identitatis per vos non est terminus formalis illius: ergo nihil est, quod possit esse terminus talis relationis: ergo talis relatio existit sine termino formali. 35

Secundo sic demonstratur eadem maior, quia licet substantia Petri habeat relationes diversitatis ad accidentia, & modos omnes, qui existunt absoluti in Paulo, per quas constituitur in esse diversi formaliter, non solum habet illas relationes diversitatis, sed etiam habet alias relationes diversitatis ad omnes relationes, quæ reperiuntur in Paulo; quia non solum substantia absoluta Petri est dissimilis, disconveniens, & diversa ab accidentibus, & modis absolutis quæ sunt in Paulo, sed etiam à modis relativis, quatenus talibus, qui existunt in Paulo, quia absolutum in quantum absolutum, dissimile, & diversum est formaliter à modo relativo in quantum relativus est formaliter: sed id, ad quod aliud dicit relationem formaliter est terminus formalis illius relationis: ergo non solum modi absoluti, & accidentia, quæ existunt 36

in Paulo sunt termini formales relationis diversitatis, & disconvenientiæ quæ existit in Petro, sed etiam modi relativi quatenus relativi sunt formaliter; sed relatio identitatis, quæ est in Paulo est modus relativus quatenus relativus est formaliter: ergo refertur ad illum formaliter substantia Petri relatione diversitatis, quia substantia Petri, quatenus absoluta differt à relatione identitatis, quæ est in Paulo, quatenus relatio est, & est diversa ab illa; sed omne diversum, & differens formaliter non est absolutum sed relativum, quia est ad aliud: ergo substantia Petri quatenus absoluta est relativa respectu relationis identitatis Pauli: ergo refertur ad illam formaliter, quia omne relativum quatenus tale refertur ad id respectu cuius relativum est formaliter: ergo talis relatio identitatis, quæ est in Paulo est terminus formalis relationis diversitatis, quæ est in Petro; sed per vos talis relatio identitatis non est terminus relationis disconvenientiæ, quæ est in Petro: ergo nullum terminum habet talis relatio.

37 Vrgetur, quia relatio diversitatis cum vno solum debet referri formaliter ad illud respectu cuius relatio diversitatis est: v.g. quia Petrus dicit relationem diversitatis, quatenus substantia ad albedinem Pauli non potest talis relatio referri, nisi solum ad albedinem, quia ipsa sola est diversitas formalis substantiæ Petri cum albedine, & idem est de diversitate cum quantitate, aut respectu quantitatis; sicut idem contingit in diversitate omnium modorum absolutorum, quæ solum potest terminari ad modos absolutos, & non ad accidentia realia, quia specificatur à modis absolutis, & habet totum suum esse in ordine ad illos, quia sunt respectus formales ad ipsos; sed Petrus ex eo quod sit substantia absoluta est diversus formaliter, & dissimilis relationibus quatenus relationes sunt: ergo est talis formaliter per diversitatem, & dissimilitudinem respectu illarū; sed diversitas, & dissimiludo formalis sunt relationes formaliter: ergo Petrus quatenus diversus, & dissimilis formaliter relationibus existentibus in Paulo dicit relationes dissimilitudinis, & diversitatis formaliter ad illas: ergo tales relationes solum possunt habere pro terminis formalibus relationes quatenus relationes sunt: ergo relatio quatenus relatio est terminus formalis alterius relationis.

38 Vnde si per vos tales relationes non possunt esse termini formales relationum disconvenientiæ, & dissimilitudinis, quæ sunt in Petro, tales relationes existentes in Petro nullum terminum habebunt à parte rei, non has relationes existentes in Paulo, vt vos dicitis non aliud, præter illas, quia relatio vnius non potest respicere aliud, ex eo quod specificetur à proprio termino: ergo.

39 Confirmatur vltimo, quia relatio est talis formaliter in quantum est entitas in actu exercito referens, & ordinans vnum ad aliud, seu in quantum est ratio formalis referendi; sed in quantum actu refert fundamentum ad terminum, & in quātum est ratio formalis referendi prædicamentaliter, disconvenit ab entitate absoluta Petri distinguitur ab illa, & differt ab eadem: ergo in quantum est relatio formaliter, est terminus formalis relationis disconvenientiæ, dissimilitudinis, & differentiæ. Maior est ipsa luce clarior; minor supra demonstrata manet, quia relatio quatenus actu refert, non est absolutum prædicatum: ergo distinguitur, disconvenit, & differt ab illo.

Consequentia prima sic probatur; quia ille est 40 terminus formalis relationis disconvenientiæ, differentiæ, & distinctionis alicuius, quod fuerit disconveniens, differens, & distinctum ab illo; sed relatio in actu exercito, & quatenus refert substantiam Pauli ad substantiam Petri est disconveniens, differens, & distincta à substantia absoluta Petri: ergo relatio, quæ existit in Paulo formaliter vt talis, & quatenus est ratio referendi formaliter, est terminus formalis relationis differentiæ, distinctionis, & disconvenientiæ quæ existit in Petro.

Nec obstat dicere relationem identitatis, quæ 41 est in Paulo respectu Petri, esse convenientiam cum Petro vt quo.

Non enim hoc obstat primo, quia licet relatio 42 identitatis quæ est in Paulo, conveniat vt quo cum Petro, ex eo quod sit convenientia formalis Pauli cum Petro in quantum Paulus qui est eiusdem speciei cum Petro, & convenit cum ipso in specie, refertur per illam ad Petrum, nihilominus vt quod est disconveniens talis relatio identitatis cum substantia Petri differt ab illa, distinguitur, & diversificatur ab ea propter multas rationes, videlicet quia est accidens, modus, & relatio formaliter: ergo substantia Petri est diversa vt quod, distinguitur, & differt formaliter à tali relatione: ergo respicit illam formaliter, quia omne quod est diversum ab alio, respicit illud formaliter, vt iam dixi: ergo talis relatio existens in Paulo licet vt quo conveniat cum Petro, quia vt quod disconvenit cum ipso, erit terminus formalis, differentiæ, disconvenientiæ, & distinctionis, quæ est in Petro.

Secundo, quia in Paulo filio Petri datur relatio 43 filiationis, quæ nec vt quo, nec vt quod convenit cum substantia Petri patris Pauli; (quia nullo modo est convenientia, cum non sit relatio identitatis, aut similitudinis, nec convenientiæ) sed potius discóvenit, differt, & distinguitur vt quod, quia est accidens, modus, & relatio; imo & opponitur substantiæ Petri, quatenus generat Paulum: ergo saltem relatio filiationis erit terminus formalis relationis disconvenientiæ, dissimilitudinis, distinctionis, & differentiæ quæ datur in Petro.

SVBSECTIO II.

Aliæ rationes ad probandam nostram conclusionem ponuntur.

SEcundo principaliter sic argumentor; omnis 44 effectus productus ab aliqua causa est terminus formalis relationis causæ producentis; sed relatio filiationis quatenus relatio formaliter est effectus dimanans à genito, posito generante, qui est terminus illius: ergo talis relatio filiationis, quatenus relatio formaliter est terminus relationis, quæ datur in genito, tanquam in principio à quo dimanat talis relatio: ergo iam vna relatio formaliter est terminus alterius.

Dices, in eo casu filiationem materialiter se 45 habere vt relationem, ac proinde non terminare formaliter vt talem.

Sed contra, quia vt dixi supra, relatio in tan- 46 tum est formaliter relatio, in quantum est ratio referendi formaliter, sed in quantum est ratio referendi

ferendi formaliter terminat relationem causæ à qua dimanat: ergo non materialiter, sed formaliter vna relatio est terminus alterius; maior est certa, minor sic probatur; quia in quantum est ratio referendi non est à se sed ab alio; sed in quantum est ab alio, terminat relationem illius, à quo est: ergo in quantum est formaliter ratio referendi terminat relationem causæ, à qua dimanat. Maior est evidens, quia relatio filiationis, quæ est in Paulo, quatenus est ratio referendi Paulum ad Petrum, non est divina, & increata filiatio, sed potius est creata formalissime: sed omne creatum quatenus est creatum, est ab alio formaliter, & non à se (præcipue in sententia Patris Suarez, qui ait eo modo transcendere rationem creati vt sic vltimas differentias creaturarum, ratione cuius formalissime prædicatur esse creatum de illis; sicut divinitas transcendit relationes divinas, & formalissime prædicatur de vltimis differentijs illarum): ergo filiatio quatenus est ratio referendi formaliter non est à se, sed ab alio; minor sic probatur, quia filiatio in tantum terminat relationem causæ, quæ est in genito, à quo dimanat, in quantum est effectus dimanans ab ipso; sed effectus in quantum effectus est ab alio formaliter: ergo in tantum terminat relationem causæ, in quantum est ab alio formaliter.

47 Confirmatur, quia filiatio quatenus filiatio dimanat à genito; sed filiatio quatenus filiatio est relatio formaliter: ergo filiatio quatenus est relatio formaliter dimanat à genito: patet maior, quia filiatio in tantum dimanat à genito, in quantum genitum debet relative opponi Patri: sed relativa oppositio geniti cum Patre est filiatio formaliter: ergo filiatio in quantum filiatio dimanat à genito, præcipue quia filiatio in quantum filiatio dependet à genito in fieri posito generante; sed dependentia in fieri relationis à suo fundamento est dimanatio illius: ergo filiatio vt filiatio dimanat à genito; sed id quod dimanat formaliter est terminus relationis principij, à quo dimanat; v. g. aquæ frigiditas est terminus formalis relationis, quæ datur in aqua, tanquam in principio, & causa à qua fluit frigiditas, quia frigiditas in quantum frigiditas dimanat ab aqua formaliter; sed filiatio quatenus filiatio dimanat à genito formaliter: ergo est terminus formalis relationis geniti ad ipsam.

48 Vrgetur, quia in genito datur duplex formalitas, quatenus illud est principium à quo dimanat filiatio: prima est principij à quo dimanat aliquid, & huic formalitati correspondet in filiatione ratio effectus dimanantis; alia formalitas est fundamenti, posito termino; nam genitum, posito generante, non est quomodocunq; principiū à quo dimanat, sed formaliter est fundamentū posito formali termino; sed huic formalitati debet necessario correspondere formaliter, non quomodocunque effectus dimanans, sed potius talis effectus, id est relatio, seu respectus dimanans, quia à fundamento posito termino formaliter non potest dimanare, nisi relatio, quatenus relatio est; sicut in fundamento, posito termino, quatenus tali formaliter, non potest fundari nisi relatio, quatenus relatio est formaliter; quod patet manifeste, quia à parte rei non datur medium inter absolutum, & respectivum formaliter; quia omne quod est, aut est ad se, vel ad aliud immediate, quia est talis divisio per terminos quasi virtualiter contradictorios: sed fundamento, posito termino non correspondet absolutum dimanans, quia absolutum dimanans non petit coëxistentiam fundamenti cum termino, vt experientia ipsa patet: ergo formaliter correspondet entitas relativa tanquam effectus dimanans, vel tanquam forma inhærens in tali fundamento: ergo tale fundamentum posito termino refertur vt principium formaliter ad relationem quatenus relatio est; siquidem principium producens quatenus tale refertur ad effectum proprium quatenus talis est formaliter; sed effectus, seu ratio dimanans, aut producta per dimanationem à tali principio de quo loquimur, non est absolutum, sed formalissime relatio: ergo fundamentum posito termino refertur ad relationem formaliter, tanquam principium à quo dimanat relatio formaliter vt talis.

Tertio principaliter sic argumentor. Ille est 49
terminus formalis alicuius relationis, qui est concausa cum fundamento, vt resultet relatio in fundamento; sed relatio identitatis, quæ datur in substantia Pauli, quatenus formaliter relatio est, est concausa cum entitate absoluta Petri vt resultet in ipsa substantia Petri relatio diversitatis, & disconvenientiæ in ratione absoluti respectu talis relationis identitatis: ergo relatio identitatis, quæ datur in Paulo quatenus relatio formaliter, est terminus relationis disconvenientiæ, & diversitatis in esse absoluti, quæ datur in substantia Petri.

Maior est certa in sententia adversariorum; 50
nam posito fundamento, & termino formali, resultat relatio in fundamento, quia fundamentum & terminus sunt causæ resultantiæ relationis, ita vt fundamentum sit causa quasi efficiens, quia ab ipso dimanat, & in ipso existit relatio, & terminus sit causa specificativa quæ soler dici, aut causa formalis extrinseca, aut finalis relationis; vnde terminus formalis in sententia P. Suarez non solum est conditio, sine qua non: sed potius propria causa extrinseca specificativa, & motiva resultantiæ relationis in fundamento, quod late tractat P. Suarez 2. *tomo met. in prædicam. relationis*: ergo terminus formalis est concausa cum fundamento, vt resultet relatio in fundamento.

Minor præcipua, in qua est difficultas, sic de- 51
monstratur, quia præciso quocunque alio per intellectum, & conceptis solum substantia absoluta Petri, & relatione identitatis, quæ existit in substantia Pauli, tales entitates, quatenus vna est absoluta, & alia relatio, disconveniunt formaliter, quia maxime differt substantia Petri, quatenus substantia, & inquantum absoluta à relatione identitatis, quatenus illa est modus accidentalis, & respectivus formaliter; sed duæ entitates quæ realiter, & essentialiter ex vi propriæ constitutionis maxime differunt, distinguuntur, & disconveniunt, sunt concausæ, vt resultet relatio disconvenientiæ, & diversitatis inter illas: sicut entitas præcisa hominis, v. g. & equi, quia ex vi proprij conceptus quidditativi distinguuntur essentialiter, disconveniunt, & diversificantur inter se, sunt concausæ adinvicem, vt resultet inter illos relatio disconvenientiæ, & diversitatis, & sic in homine posito equo ratione differentiæ essentialis, quam habet cum illo resultat in homine relatio disconvenientiæ, & diversitatis ad equum, ita vt equus sit concausa cum homine, vt resultet in homine talis relatio

disconvenientiæ ; ergo relatio identitatis , quæ est in substantia Pauli , erit concausa cum entitate absoluta Petri , vt resultet in Petro relatio disconvenientiæ , & diversitatis ad identitatem formaliter, quia ad talem disconvenientiam quatenus est disconvenientia cum identitate,seu cum relatione identitatis formaliter non potest esse concausa cum entitate absoluta Petri , nisi relatio identitatis quatenus talis formaliter , licet aliarum relationum , etiam diversitatis , & disconvenientiæ possint aliæ res esse concausæ cum entitate Petri , & ratio est , quia relatio diversitatis ad identitatem solum specificatur ab identitate , & solum tendit ad illam,ac per consequens solum petit pro concausa terminativa identitatem , vt v. g. relatio differentiæ , quæ datur in homine respectu equi solum petit pro concausa sui cum homine equum , & non aliud , vt ex terminis patet;nam si est relatio hominis ad equum quas concausas potest petere nisi hominem , & equum : ergo si entitas absoluta Petri , quatenus absoluta disconvenit formaliter cum identitate formali ex eo quod quatenus talis sit formaliter relatio , quod non habet ex se entitas Petri quatenus absoluta ; sine dubitatione entitas absoluta Petri dicet relationem diversitatis , & disconvenientiæ ad identitatem illam formaliter quatenus relatio est : ergo identitas illa , quatenus relatio formaliter , erit concausa cum entitate absoluta Petri vt resultet relatio disconvenientiæ ad ipsam in entitate absoluta Petri.

SVBSECTIO III.

Quartum argumentum principale ponitur.

52 QVarto argumentor principaliter : illud est terminus formalis relationis oppositæ,quod est fundamentum alterius oppositæ relationis: sed relatio paternitatis est fundamentum relationis convenientiæ , aut identitatis respectu alterius paternitatis in sententia adversariorum qui dicunt , vnam relationem fundari in alia : ergo relatio paternitatis , v. g. A, est terminus formalis relationis convenientiæ,aut similitudinis fundatæ in altera paternitate, v. g. B. Maior est principium apud contrarios , & ideo asserunt in filio terminum formalem relationis paternitatis non esse ipsam filiationem ; sed potius esse genitum filij , quia tale esse genitum est fundamentum relationis filiationis oppositæ paternitati: sicut è contra terminus formalis filiationis non est Pater , vt Pater fomalissime ; sed potius generans , vt generans ; hoc est ipsa substantia Patris generantis, exigendo , aut petendo pro ratione fundandi ipsam generationem , quia substantia generantis est fundamentum relationis oppositæ filiationi : ergo fundamentum relationis oppositæ illi,quæ est in altero fundamento est terminus formalis relationis oppositæ existentis in altero fundamento.

53 Minor est certa supposita illa sententia ; quia sicut vna paternitas est similis alteri paternitati, & convenit cum illa in esse relationis paternitatis,ita fundat , seu est fundamentum relationis convenientiæ,& similitudinis oppositæ alteri relationi similitudinis fundatæ etiam in altera paternitate ; vt v. g. Petrus quatenus convenit cum Ioanne in esse hominis est fundamentum relationis convenientiæ oppositæ quidem alteri relationi similitudinis,aut convenientiæ,quæ resultat in Ioanne respectu Petri:ergo

Consequentia recte infertur ex maiori , & mi- 54
nori:ergo supposito quod vna relatio possit fundare aliam,quod adversarij passim docent,& concedunt;ex vi huius syllogismi evidenter demonstratur vnam relationem formaliter posse esse terminum alterius.

Dices,relationem paternitatis in illo casu non 55
se habere formaliter vt relationem sed tantum materialiter.

Sed contra,in primis hanc solutionem impug- 56
nant omnia ea argumenta quibus vsi sumus ad labefactandam similem solutionem datam supra *subsect. 1. huius sectionis.*

Secundo contra,quia paternitas in tantum est 57
fundamentum similitudinis cum altera paternitate,in quantum est paternitas formaliter:sed paternitas in quantum paternitas formaliter est formalis respectus,& relatio generantis ad genitum: ergo paternitas in quantum relatio formalis , seu formaliter respectus est fundamentum similitudinis ad alteram paternitatem:ergo quando fundat talem relationem, non se habet materialiter , sed potius formaliter vt relatio.Maior sic probatur, in tantum paternitas est fundamentum similitudinis ad aliam paternitatem, in quantum conveniunt illæ duæ paternitates , & participant vnam, & eandem rationem formalem specificam referendi generantem ad genitum , actuque illum ad hunc referunt;sed illæ duæ paternitates non possunt convenire in tali munere , nec participare eandem rationem formalem referendi generantem ad genitum, nec actu illum ad hunc referre, nisi in quantum paternitates sunt formaliter;ergo in tantum paternitas est fundamentum relationis similitudinis ad aliam paternitatem , in quantum est paternitas formaliter.

Maior sic probatur, in tantum v. g.duo singula- 58
res homines sunt fundamenta relationum identitatis,& similitudinis essentialis inter se in quantum participant, & conveniunt in eadem ratione essentiali,& formali hominis,& in tantum duo alba sunt fundamenta relationum similitudinis inter se in quantum conveniunt in esse albi, & participant vnam , & eandem formalem rationem specificam albedinis,& ratio à priori evidens est, quia ratio adæquata fundandi relationem primi generis est vnitas fundamentalis duorum , quæ nihil aliud est , quam convenientia ipsorum in aliqua ratione formali ; sed paternitates illæ non minus fundant relationes convenientiæ , & similitudinis inter se in ratione paternitatis, quam Petrus , & Paulus in ratione hominis , & duo alba in ratione albi : ergo tales paternitates sunt fundamentum illarum relationum primi generis, vtpote similitudinis , & convenientiæ, quatenus habent vnitatem fundamentalem in esse paternitatis , quod non est aliud , quam habere convenientiam formalem aut convenire formaliter in esse paternitatis , & in quantum habent illam fundare tales relationes paternitatis.

Minor illa sic probatur. Non possunt aliqua 59
participare , & convenire in vna definitione essentiali, quin sint talis essentiæ formaliter,v.g.impossibile est , quod duo individua , scilicet Petrus , & Paulus conveniant , & participent formaliter

maliter definitionem hominis, quin sint formaliter homines, & formaliter se gerant, vt tales; sed dum duæ paternitates conveniunt formaliter, & participant eandem rationem formalem referendi generantem ad genitum, conveniunt formaliter in eadem definitione formali paternitatis, & participant illam: ergo non possunt convenire, nec participare eandem rationem formalem referendi generantem ad genitum, nisi in quantum paternitates sunt formaliter, gerendo se formaliter vt tales.

60 Minor illa est manifesta, quia species formaliter alicuius generis, formaliter & non materialiter habet rationem generis, quia rationem generis continet species ex vi suæ definitionis formalis, quæ formaliter continet genericam rationem, & ideo homo quatenus homo formaliter est animal; sed paternitates sunt species relationis vt sic, quæ est genus ad illas: ergo si se habent formaliter vt paternitates, formaliter & non materialiter se habebunt vt relationes.

61 Vrgetur amplius, & declaratur hæc tota nostra ratio ex verbis ipsius Patris Suarez 2. *tom. met. disp.* 47. *de relatione, conclusione* 2. *ratione* 3. ibi: Tertio argumentor confirmando, & declarando illud principium, scilicet id, quod in vnoquoque extremo est ratio fundandi propriam relationem est ratio terminandi alteram correlationem, vt v. g. in Petro proximum fundamentum habendi in se relationem filiationis est tota substantia eius quatenus producta per talē generationem à Paulo; hæc eadem est ratio, ob quam Petrus potest terminare relationem paternitatis pauli ad ipsum, & idem est in relationibus primi generis; nam albedo, quæ in hoc albo est fundamentum similitudinis ad aliud ob vnitatem formalem cum ipso, est etiam proxima ratio terminandi relationem similitudinis alterius ad ipsum.

Tunc sic, sed paternitas formaliter vt relatio est fundamentum similitudinis, aut identitatis quæ resultat in alia paternitate: nam sicut ratio fundandi est illa, per quam convenienter redditur proxima causa, ob quam talis res habet relationem ad aliud, ita ratio terminandi est illa, per quam redditur proxima causa ob quam res est talis, vt ad ipsam altera terminetur, vel referri possit; & declaratur exemplo, nam sicut album aptum est ad fundandam relationem similitudinis, quia habet albedinem, & ipsa albedo est aptum fundamentum, quia habet talem vnitatem formalem, ita etiam idem album est aptum ad terminandam relationem alterius, quia habet albedinem eiusdem rationis, vel vnitatis cum albedine alterius, in quantum albedo est, quia in quantum albedo est disgregativa visus formaliter, est similis alteri entitati disgregativæ visus: sic similiter paternitas, vt paternitas, & vt est formaliter ratio referendi patris ad filium, convenit & est similis cum alia paternitate, quia ambæ quatenus paternitates formaliter convenient in ratione referendi generantem ad genitum; nam sicut paternitas petri formaliter refert petrū generantem ad Ioannem genitum, ita paternitas pauli refert paulum generantem ad Didacum genitum: ergo tales paternitates vt sunt rationes formaliter referendi, & vt relationes formaliter conveniunt: ergo fundant relationem convenientiæ, quatenus relationes sunt formaliter, itavt paternitas petri formaliter quatenus refert petrum ad genitum, fundat relationem similitudinis ad paternitatem pauli: ergo paternitas petri, quatenus paternitas, & quatenus ratio referendi, ac proinde quatenus relatio formaliter erit terminus relationis identitatis, seu similitudinis, quæ fundatur in altera paternitate; nam sicut paternitas vt talis est proxima causa, quare in ipsa resultet relatio identitatis ad alteram, sic est proxima causa, quare ad ipsam altera paternitas referatur relatione identitatis, & similitudinis, & ratio evidens est; quia in tantum paternitas habet relationem identitatis ad alteram, in quantum est eiusdem speciei cum illa, & in tantum est eiusdem speciei cum ipsa, in quantum est formaliter ratio referendi generantem ad genitum vt ipsa: ergo in tantum etiam terminat relationem identitatis alterius paternitatis, in quantum est eiusdem speciei, quia quæ sunt eadem in specie, fundant, & terminant tales relationes; sed paternitas in quantum talis, & vt est ratio formaliter referendi generantem ad genitum, est eiusdem speciei, & essentiæ cum altera relatione, & ratione formali referendi generantem ad genitum: ergo paternitas formaliter vt ratio referendi, & quatenus est relatio formaliter, terminat relationem identitatis alterius paternitatis ad ipsam.

Solum enim restat vt vndequaque sit firma 62
hæc nostra demonstratio, quod probemus suppositum illud, cui innititur vis nostræ argumentationis, videlicet, in sententia adversariorum esse certum vnam relationem posse fundari in alia, quod probo ex verbis ipsius P. Suarez *in met. tom.* 2. *disp.* 47. *sect.* 11. *num.* 8. quibus non solum docet, vnam relationem fundari in alia vt similitudinem in paternitate, de qua loquimur: sed etiam probat efficaciter in hunc modum, verum tamen hæc sententia non videtur posse in vniversum substineri: nam vt forma quoad aliquam denominationem suscipiendam per seipsam sufficiens sit, vel sicut aiunt, vt se habeat vt quo, & vt quod, necesse est quod illa denominatio sit eiusdem rationis cum tali forma, & intrinseca, & inseparabilis ab ipsa vt patet in actione, quæ scipsa fit, quia ratio actionis est vt fiat, cum per eam fit aliquid, & in quantitate, quæ seipsa est quanta intrinsece; at vero si vna relatio refertur realiter ad aliam, sæpe ille respectus est longe diversæ rationis à propria ratione, & effectu formali talis relationis, & est illi extrinsecus, & accidentalis: ergo non potest illa relatio per seipsam ita referri, sed per aliam relationem. probatur minor, quia formalis ratio, & effectus paternitatis est referre ad filium, cum vero ipsa dicitur similis alteri paternitati, si ad illam refertur realiter, ille est effectus formalis valde diversæ rationis, cum tendat ad terminum diversæ rationis, & habeat rationem fundandi diversæ etiā rationis. Rursus hæc denominatio similis est accidentaria paternitati; nam si in mūdo non esset alia paternitas, non denominaretur similis, nec referretur illo mōdo: ergo quādo sic refertur, non per seipsam sed per aliā relationē refertur; postea autem respondet obiectioni sic: nam quod quidam aiunt, relationem esse minutissimam entitatem, & ideo non posse fundare aliam in re distinctam non satisfacit, tum quia etiam relatio quæ fundatur, est minutissimæ entitatis, tum etiam, quia iam supponitur prima relatio fundata in absoluto; & ideo mirum non est, quod possit fundare aliam proportionatam, sicut etiam motus, vel tempus est satis diminutæ entitatis, & tamen potest fundare aliam, &

concludit

concludit postea his verbis *in medio §. seu numeri* 11. non video quomodo possit consequenter negari, quin vna relatio possit per aliam referri, & ita aliam in se fundare; sic ille, & data opera *num.* 12. & 13. solvit argumenta, quibus adversarij vtuntur, ad probandum non posse vnam relationem fundari in alia.

63 Ecce quomodo evidenter probatum manet suppositum illud, esse certum in sententia adversariorum: ergo firma manet nostra demonstratio.

64 Quod amplius vrgetur, quia vna ratio formaliter referendi, & quatenus talis, est relatio formaliter, & vt sic exercet formalissimam rationem relationis, sicut intelligere actualiter est formalis ratio percipiendi, & quatenus percipit, formaliter exercet munus intelligendi, & gerit rationem formalissimam, & non materialem intellectionis: ergo dum relatio est ratio referendi fundamentum ad terminum formalissime se gerit vt relatio, quia formalissime exercet definitionem propriam, quæ non potest materialiter, sed potius formalissime convenire illi: atqui vna ratio referendi, quatenus talis non est infinita, & increata; sed potius est finita, & limitata: ergo non repugnat illi habere aliam similem rationem referendi formalissime, quæ conveniat cum ea in ratione formali referendi; sed id quod est simile alteri, est simile per similitudinem formalem, quam fundat in se: ergo vna ratio referendi formaliter, & quatenus relatio formaliter potest fundare relationem ad alteram concedis.

65 Tunc sic, per te id quod est fundamentum relationis oppositæ relationi fundatæ in altero fundamento est formalis terminus, & non materialis relationis oppositæ fundatæ in tali fundamento; sed vt nuper probatum est, & concedis, vna relatio formaliter quatenus relatio, hoc est in quantum est ratio referendi formalissime, fundat relationem similitudinis oppositam alteri relationi similitudinis, quæ est in altera relatione, seu fundamento: ergo manifeste, & evidenter sequitur, vnam relationem quatenus formaliter relatio est, & quatenus ratio referendi formalissime, esse terminum formalem, & non materialem relationis similitudinis oppositæ, fundatæ in altera relatione.

Vbi adverte, me aliter formare hoc argumentam ac formabat suum de oppositione P. Ruvius; 67
nam ille aiebat paternitatem per se ipsam, quia opposita est ex vi suæ essentiæ filiationi respicere filiationem, & non genitum, & ideo negat filiationem terminari ad absolutum: ego autem dico filiationem non esse formaliter per seipsam oppositam actualiter, & quasi contrariam, sed potius esse oppositam formaliter paternitati, non ex vi alicuius prædicati essentialis, sed potius ex vi relationis accidentalis superadditæ ex natura rei distinctæ ab ipsa filiatione, quæ per potentiam Dei absolutam potest tolli à filiatione, adhuc existente paternitate, & sic consequenter assero per se ipsam referri ad genitum in quantum genitum, & per oppositionem formalem sibi superadditam ad paternitatem, ita vt paternitas licet non terminet filiationem, terminet tamen relationem oppositionis; quare terminus filiationis est generans, terminus oppositionis formalis in filiatione fundatæ est Pater vt Pater, & quatenus relativus.

Maior prima, & præcipua est sententia P. Suarez *in met. tom. 2. disp. 47. sect. 16. num.* 39. vbi sic 68
ait: tandem ex ijs, quæ in hac sectione diximus, intelligere licet in quo consistat, & qualis sit propria oppositio relativa; potest autem intelligi hæc oppositio, aut inter relationem, & terminum eius, aut inter relationem vnam vnius extremi, & alteram correspondentem illi in alio extremo, seu inter vnum relativum, & correlativum eius, prior oppositio est generalis, omnibus relationibus etiam non mutuis, vt constat ex dictis, & ideo formalissime convenit relationi vt sic; consistit autem in hoc quod relativum vt sic, & terminus habent inter se talem habitudinem, & conditiones ita distantes, vt necessario requirant inter se distinctionem, & *paulo post*, inter relativa autem realia, & mutua, ac relationes ipsas intercedit relativa oppositio, quæ non consistit in hoc, quod vna respiciat aliam vt terminum; sed in hoc, &c. ex quo talem inter se habent repugnantiam, vt non possint ambæ simul relationes eidem simul inesse, quia non potest vnum, & idem esse fundamentum, & terminus respectu eiusdem; dici vero potest relatio opponi suo immediato termino terminative; alteri vero relationi relative, & hæc posterior est quasi formalis oppositio: nam est inter proprias formas quatenus se mutuo excludunt ab eodem subiecto; quod significavit etiam D. Thomas *quæst.* 7. *de potentia*, *art.* 8. *ad quartum*, sic ille: ergo in sententia P. Suarez paternitas est opposita relative formaliter filiationi quatenus est relatio.

Minor præcipua sic probatur, quia vnum op- 69
positum, quatenus tale non est ad se, sed ad aliud, & in ordine ad aliud, quia omne oppositum est alteri oppositum, neque potest respectu sui solum concipi vt oppositum formaliter, aliàs idem sibi ipsi opponeretur quod est falsum, nam omne oppositum realiter distinguitur à suo oppositoro realiter, vt sæpe supra probatum manet; sed idem non potest distingui à se ipso realiter: ergo non potest sibi ipsi opponi realiter: ergo omne oppositum est in ordine ad aliud; sed id quod est in ordine ad aliud, est relativum: ergo omne oppositum est relativum respectu sui oppositi; sed omne relativum formaliter respicit id, ad quod est relativum: ergo de primo ad vltimum

omne

SVBSECTIO IV.

Quintum argumentum principale ponitur.

66 OMnis paternitas habet duplicem oppositionem, vnam ad genitum in quantum genitum, alteram ad filiationem formalissime; prima vocatur terminativa, secunda relativa; sed vnum oppositum formalissime respicit alterum oppositum, & alterum oppositum terminat formalissime relationem oppositionis alterius oppositi: ergo filiatio, quæ est opposita relative paternitati, respicitur à paternitate formaliter, & paternitas à filiatione relatione oppositionis, ac proinde paternitas formalissime terminat relationem oppositionis fundatam in filiatione, & è contra filiatio relationem oppositionis fundatam in paternitate; sed filiatio in quantum filiatio est relatio formalis: ergo relatio formalis est terminus alterius relationis.

omne oppositum respicit alterum oppositum formaliter, quatenus tale; sed non potest vnum oppositum respici ab alio, quin tale oppositum quod respicitur, terminet relationem, seu respectum alterius quod respicit ipsum: ergo vnum oppositum respicit alterum, & alterum oppositum terminat formaliter relationem oppositionis alterius oppositi.

70 Confirmatur, & declaratur, quia vnum diversum respicit relatione diversitatis alterum, & alterum diversum quod respicitur, terminat formaliter relationem diversi respicientis se; sed oppositum est summe diversum, quia supra diversitatem addit repugnantiam: ergo respicit alterum oppositum relatione summæ diversitatis, quæ est oppositio formalis, & oppositum quod respicitur, terminat relationem oppositionis formalis alterius oppositi, à quo respicitur. Declaratur exemplis: quia album est oppositum nigro, respicit formaliter nigrum relatione oppositionis, & nigrum quod respicitur tali relatione, & respectu ab albo, terminat formaliter relationem illam oppositionis, per quam respicitur ab albo, & idem est in calido, & frigido.

71 Sed paternitas per vos vere proprie, & formaliter est opposita filiationi: ergo respicit illam formaliter relatione oppositionis: ergo talis filiatio terminat relationem illam oppositionis, per quam respicitur à paternitate formaliter, quia impossibile est vt vnum respiciatur ab aliquo formaliter, & quod ipsum non terminet respectum respicientis formaliter, vt ex terminis patet; sed filiatio formaliter vt filiatio, & quatenus ratio referendi genitum ad generantem, respicitur à paternitate formaliter non per seipsam, sed per relationem oppositionis: ergo filiatio vt filiatio, & vt ratio referendi genitum ad generantem, ac proinde quatenus formaliter relatio terminat relationem oppositionis, per quam respicitur à paternitate: ergo filiatio, vt relatio formaliter est terminus relationis oppositionis paternitatis; minor illa sic probatur, quia filiatio in tantum respicitur à paternitate relatione oppositionis, in quantum formalissime filiatio relative opponitur paternitati; sed filiatio relative opponitur paternitati, in quantum filiatio, & paternitas sunt formalissime relationes, quia oppositio relativa, quatenus distincta à quacunque alia oppositione, non versatur nisi inter extrema quæ relationes sunt formaliter, sicut oppositio contraria vt distinguitur à quacunque alia, non versatur, nisi inter qualitates formaliter, & oppositio contradictoria non versatur, nisi inter affirmationem, & negationem formaliter: ergo filiatio respicitur à paternitate relatione oppositionis, quatenus relatio est formaliter.

72 Respondere videtur P. Suarez oppositionem paternitatis non distingui ab ipsis paternitatibus, sed includi separabiliter in ipsis, quod his verbis asserit; nam quidam sunt respectus intime inclusi in ipsis relationibus, & inseparabiles ab ipsis secundum proprias rationes earum, alij vero sunt accidentarij; exemplum priorum sit in paternitate quæ hoc ipso, quod refert patrem ad filium, includit intrinsece, & inseparabiliter oppositionem cum filiatione, & consequenter etiam distinctionem: est enim distinctio veluti quid superius inclusum in oppositione: oppositio autem est quid inclusum in correlatione. Exemplum posteriorum relationum sit respectus vnius paternitatis ad aliam in ratione similis, non est ita inclusus in propria ratione paternitatis, & alia paternitas est terminus accidentarius, & extrinsecus respectu alterius paternitatis; de prioribus ergo respectibus satis consentaneum est, quod Caietanus ait, & si secundum omnes illos eadem relatio referatur, non tamen alia relatione, sed seipsa referri, cum in sua adæquata ratione omnes illos includat.

Sed hæc verba non solvunt vim nostrorum ar- 73
gumentorum quoad præcipuum intentum, videlicet, quod paternitas opponatur filiationi, & respiciat illam formaliter, sed potius confirmant talem oppositionem, & respectum ad filiationem; siquidem illis verbis expresse docet P. Suarez, paternitatem, & filiationem opponi inter se formalissime; atqui oppositio formalis est respectus, & ordo, (quia non est conceptus absolutus, cum non sit ad se sed ad aliud, vt supra diximus:) ergo paternitas quatenus opponitur filiationi, dicit ordinem formaliter ad filiationem, & refertur ad illam, quod etiam docet P. Suarez, vltimis illis verbis, & si secundum omnes illos eadem relatio referatur, non tamen alia relatione, sed seipsa: ergo filiatio formalissime quatenus talis respicitur à paternitate, quatenus paternitas est opposita illi, sive talis respectus distinguatur à paternitate, sive non: ergo filiatio formalissime terminat relationem oppositionis, per quam paternitas refertur ad ipsam, sive distinguatur sive non ab ipsa paternitate, quia de hoc præcipue non curamus in præsenti conclusione, (licet tali identitate suppositа etiam difficultatem ingerit argumentum P. Ruvij) quia solum intendimus probare, vnam relationem terminare formaliter aliam, quod non tollit identitas paternitatis cum relatione oppositionis, quod patet manifeste exéplo divinarum relationum, nam quod paternitas divina sit idem cum oppositione relativa respectu filiationis divinæ non tollit, quin paternitas vere, & formaliter respiciat filiationem formaliter quatenus relatio est, ac proinde quod filiatio terminet formalissime sibi oppositam relationem paternitatis; sed secundum P. Suarez paternitas creata non desinit habere veram, & formalem oppositionem cum filiatione, & in sententia P. Suarez talis oppositio formalis non desinit esse relatio formaliter: ergo non desinit paternitas respicere formaliter quatenus opposita relative filiationem, vt filiatio, & relatio est, ac proinde non desinet filiatio vt relatio est respectum paternitatis ad ipsam identificatum cum ipsa paternitate: ergo etiamsi paternitas non distinguatur à relatione oppositionis, filiatio quatenus relatio formaliter erit terminus relationis formaliter vt talis.

Solum enim adverto, hanc identitatem inter 74
oppositionem, & paternitatem videri opponi alteri opinioni, quam defendit P. Suarez contra Thomistas, vbi asserit, non posse eandem relationem ad duos distinctos terminos non solum specie, sed etiam numero differentes, ac proinde docet, multiplicatis terminis, debere multiplicari relationem: sed oppositio relativa, quæ est in patre habet pro termino formali filiationem, & paternitas habet pro termino esse genitum; atqui terminus absolutus, & respectivus terminus substantialis, & accidentalis, quales sunt relatio filiationis, & esse substantiale geniti, distinguuntur non solum quasi numerice, & individualiter,

sed potius quasi specifice,& generice:ergo oppositio relativa, & paternitas in Patre non sunt vna, & eadem formalissime relatio,neque paternitas, quæ per seipsam respicit genitum,poterit per seipsam respicere filiationem : sed per aliam superadditam relationem,quæ oppositio formalis sit, si consequenter loquendum sit adversarijs.

Nec valet dicere in sententia P. Suarez relationem fundatam in alia non distingui ab illa à parte rei,non enim hoc valet dicere, quia etiam similitudo, quæ in vna paternitate fundatur respectu alterius, identificatur à parte rei cum paternitate ipsa secundum sententiam P. Suarez,& nihilominus ipse P. Suarez asserit, paternitatem non per se ipsam respicere aliam paternitatem, (quia per se non respicit paternitatem, sed genitum) sed per aliam relationem superadditam sibi, & in se fundatam, quæ similitudo, convenientia, seu identitas formalis dicitur, quia ad hunc modum loquendi sufficit aut distinctio virtualis à parte rei, quæ sumitur à distinctis terminis, aut distinctio formalis per intellectum, vt idem P. Suarez sæpe sæpius docet:ergo etiam si relatio fundata in paternitate, quæ oppositio formalis dicitur, sit idem cum ipsa paternitate, nihilominus non sufficiet talis identitas, vt dicat hic author, paternitatem quæ per se ipsam respicit genitum, iterum simul per se ipsam respicere filiationem;siquidem oppositio, & paternitas habent distinctionem, aut virtualem à parte rei ; aut formalem per intellectum, quia termini, quos respiciunt per se, scilicet esse genitum, & filiatio sunt distincti formaliter termini, & ratio est, quia hæc quæstio non dependet ab alia de distinctione fundamenti à relatione, siquidem talis identitas est materialis, & per accidens ad nostrum intentum : sicut quia identitas inter actionem, & passionem est materialis; & non formalis non potest dici agens formaliter constitui in esse agentis per passionem : sed potius per actionem distinguatur vel non distinguatur illa à passione, sicut è contra passum non constituitur in esse passi per actionem, sed potius per passionem : ergo idem dicendum in nostro casu.

75 Sed demus conceptum oppositionis formalis non esse relativum, ac proinde paternitatem vt oppositam non respicere formaliter filiationem: sed solum esse genitum, ac proinde filiationem non terminare formaliter respectum oppositionis,qui reperiatur in paternitate.

76 Sed contra manifeste, & evidenter insurgo contra adversarios, quia non potest negari,quin conceptus differentis, diversi, & disconvenientis formaliter sit formalissime relativus, & respectivus;nam Aristoles, & omnes Doctores dividunt primum genus relationis in relationem æquiparantiæ & disquiparantiæ, similitudinis & dissimilitudinis, convenientiæ & disconvenientiæ, identitatis & differentiæ ; vnde quia homo formaliter est differens, & disconveniens secundum rationalitatem ab equo, dicit relationem formalem disconvenientiæ, & differentiæ ad equum in quantum irrationalem ; sicut è contra, quia homo est similis, & conveniens cum equo in esse animalis, dicit relationem convenientiæ, & similitudinis ad illum, & ratio evidens à ptiori est, quam sæpe sæpius docuimus, videlicet quod dissimile, disconveniens, differens, & diversum non sunt ad se, nec respectu sui ipsius (alias idem à se ipso realiter distingueretur, & sic idem esset, & non esset simul,quod est omnino impossibile) ac proinde non sunt absoluti conceptus : sed potius formalissime sunt ad aliud respectu alterius, & in ordine ad alterum formaliter, ita vt totum suum esse habeant in ordine ad aliud, ita vt nec esse, nec concipi possint sine alio.Vnde si non esset equus alterius essentiæ, & speciei ab homine, non posset homo esse dissimilis, disconveniens, & differens essentialiter ab equo formaliter,quapropter existente solo homine in mundo, & nullo existente equo, nullo modo potest dici, homo actu, & formaliter differt ab equo (licet differat fundamentaliter, seu potentialiter ab illo, quia potest existere equus à quo actu, & formaliter differat homo) : ergo ex ijs omnibus evidenter colligitur, omne id, quod est diversum, differens, disconveniens, & dissimile formaliter ab altero esse respectivum formaliter dicereque formalem, & actualem relationem ad alterum, à quo differt ; sed paternitas differt actualiter, & formaliter essentialiter, quatenus relatio est à filiatione, quia quatenus relatio est, est specie distincta ratio referendi à filiatione, quia paternitas, & filiatio non sunt eiusdem speciei, sicut sunt eiusdem speciei vna paternitas, & alia,hæc, & illa filiatio. Vnde paternitas in esse relationis formaliter distinguitur specie, & essentialiter à filiatione; quod sic patet manifeste, quia relationes formalissime in ratione referendi distinguuntur specie, sicut substantiæ, & aliæ entitates,quatenus tales distinguuntur specie, quia non est maior ratio quare absoluta, vt absoluta distinguantur essentialiter, & differant specifice, & rationes referendi formaliter, quæ ad distinctos formaliter terminos referuntur,non distinguantur, & differant essentialiter, alias non darentur species distinctę rationum referendi essentialiter distinctæ, & differentes, & per consequens neque genere differentes;ex quo primo sequeretur non dari prædicamentum relationis distinctum ab alijs prædicamentis, quod non potest dicere P. Suarez secundum propria principia, cum peculiare prædicamentum pro relationibus distinctum ab alijs ponat. Secundo sequetur, omnes relationes formaliter vt tales esse eiusdem speciei, quia quæ sunt, & non differunt specie, & essentialiter, nec maiori aliqua distinctione, sunt eiusdem speciei, vt videre est in Petro, & Paulo ; sed hæc sunt absurda : ergo dicendum est sine dubitatione vnam rationem referendi formaliter, & quatenus talis est, ac proinde quatenus est relatio formaliter, esse diversam, distinctam, & differentem essentialiter ab alia, quatenus formaliter relatio est : ergo formaliter respicit aliam relatione diversitatis, disconvenientiæ, & differentiæ : sicut,quia homo differt essentialiter ab equo, quatenus equus est formaliter irrationalis, respicit equum formaliter vt irrationalis est, & quia vna actio distinguitur specie, & differt essentialiter ab alia, quatenus actio est, respicit formaliter illam, quatenus actio est formaliter specie distincta à se: sed vna ratio referendi, & vna relatio formaliter, v. g. paternitas differt essentialiter ab alia ratione referendi, v. g. filiatione, non materialiter vt relatio est : sed potius formalissime, quatenus talis; siquidem talis distinctio sumitur in ordine

ad

terminos formaliter diversos, (quæ distinctio non est absolutorum,sed relativorum formaliter, quia solum distinctio relationum, & non absolutorũ est in ordine ad terminum, vt ex ipsis terminis patet)ergo vna ratio referẽdi formaliter respicit aliam formaliter rationem referendi:ergo talis ratio referendi,quæ respicitur ab alia,terminat respectum alterius formaliter : ergo iam vna ratio referendi,seu vna relatio formaliter est terminus alterius relationis, v.g.filiatio vt filiatio quatenus est ratio referendi genitum ad generantem, ac proinde quatenus est relatio formaliter est terminus relationis disconvenientiæ, diversitatis,& differentiæ essentialis,per quam respicitur formaliter à paternitate.

SECTIO III.

Secunda nostra conclusio ponitur,& probatur.

77 SEcunda conclusio : omnes relationes mutuæ, ex eo præcise quod mutuæ sint ,non terminantur ad respectivum formaliter;si quidem multæ sunt relationes mutuæ quæ immediate,& formaliter terminantur ad absolutum:hæc conclusio est plausibilior , & probabilior apud neotericos quoad vtramque partem.

SVBSECTIO I.

Prima pars conclusionis efficaciter probatur.

78 SI omnes relationes mutuæ, quia mutuæ sunt, & in quantum tales terminarentur immediate ad respectivum ; ratio mutui quatenus talis esset essentialis illis relationibus ; sed non est essentialis ratio mutui in relationibus mutuis: ergo omnes relationes mutuæ, quia mutuæ sunt, non ter-
79 minantur ad relativum.

Maior probatur , quia si relationes mutuæ in quantum tales terminarentur ad respectivum, ratio mutui sumeretur in illis à termino formali illarum;sed omne quod in relatione sumitur à termino formali, est essentiale, & formale ipsi relationi : ergo ratio mutui esset essentialis , & formalis in relationibus mutuis:maior sic probatur; si relationes mutuæ terminarentur ad respectivum , ratio mutui sumeretur à relatione opposita (ideo enim vna relatio dicitur mutua , quia ex parte termini correspondet illi altera relatio opposita:)sed altera relatio opposita est terminus illius formaliter per vos, v. g. filiatio est terminus formalis paternitatis : ergo ratio mutui in relationibus à termino formali , & essentiali illarum sumitur.Minor sic probatur ; omne quod sumitur ab specificante, seu specificativo essentialiter , & formaliter,& in ordine ad illud, est essentiale specificato ; sed ratio mutui sumitur in relationibus à termino formali, & essentiali, qui est specificativus formalis, & essentialis relationis : ergo ratio mutui est formalis , & essentialis relationibus mutuis. Maior evidens est , vt videre licet in eo esse, quod sumunt,& accipiunt potentiæ,& habitus à suis obiectis formalibus , & in esse quod actiones sumunt à suis terminis formalibus , in quibus tale esse est formale,& essentiale, quia sumitur ab specificativis formalibus , & essentialibus : ergo esse , quod accipitur ab specificativo formali alicuius, est essentiale,& formale in specificato.

Minor prima,& præcipua sic probatur ; si esse 80
mutui esset essentiale relationi, quæ ex suo genere mutua est , sequeretur quod non posset dari talis relatio sine ratione mutui ; sed datur relatio, quæ ex suo genere petit esse mutua sine ratione mutui : ergo ratio mutui non est de essentia relationis, quæ est mutua ; minor probatur. Relatio maternitatis ex suo genere est mutua,sed hæc relatio maternitatis , v. g. in Virgine sanctissima datur sine ratione mutui , si quidem ex parte termini, v.g. ex parte Christi in sententia Thomistarum non correspondet alia relatio filiationis ad Virginem:ergo relatio , quæ de suo genere est mutua potest dari sine ratione mutui.

Dices, illam relationem maternitatis in Virgi- 81
ne esse mancam, & imperfectam,ex eo quod non resulter in Christo Domino relatio filiationis, ad quam referatur , ac proinde non habere in se rationem mutui.

Contra : ergo ratio mutui non est essentialis 82
illi relationi , quæ ex suo genere est mutua , ac proinde non erit de essentia illius perfectio mutui, per cuius carentiam , & absentiam redditur manca talis relatio , quia illud non est essentiale alicui, quod potest separari ab illo, cui convenit, ideo enim albedo nõ est de essentia hominis,quia potest separari ab homine existente ipso , & manus,& pedes non sunt de essentia hominis , quia possunt separari ab homine,itavt ratione talis separationis,& ratione absentiæ pedum & manuum maneat homo mancus , & mutilus ; & è contra ideo rationale est essentiale homini, quia nec realiter, nec ratione potest separari ab homine conservato homine,nec homo potest manere sub carentia rationalis ,ita vt maneat mancus, & mutilus : sed ratio mutui separatur à relatione maternitatis , manente eadem relatione maternitatis, quæ ex suo genere mutua est , licet maneat manca, & mutila : ergo ratio,seu perfectio mutui,per cuius absentiam, & carentiam relatio maternitatis vere, & realiter existit , licet manca , non est essentialis relationi maternitatis , quæ ex suo genere debet esse mutua.

Dices, rationem mutui licet sit essentialis , im- 83
pediri tamen ne detur in relatione maternitatis, ac proinde separari ab illa ratione termini , seu relationis,quæ deficit in termino.

Contra primo:ergo relatio,quæ deficit ex par- 84
te termini non est terminus formalis huius relationis mutuæ, aut maternitatis quæ est in Virgine vere,& realiter, ratione cuius formalissime, & actualiter est vere mater Christi Domini : hæc consequentia patet manifeste , quia nihil potest esse sine essentiali extrinseco constitutivo , ac proinde relatio prædicamentalis non potest esse adhuc divinitus sine formali termino suo:atqui maternitas formalis Virginis est vera, & formalis relatio prædicamentalis : ergo non potest esse sine suo termino formali ; atqui per vos existit in B. Virgine sine relatione filiationis correspondente ipsi ex parte Christi Domini : ergo filiatio, seu relatio ex parte Christi Domini non est terminus formalis relationis maternitatis,ac proinde in relatione, quæ de suo genere est mutua ratio mutui,quæ sumitur à relatione opposita non erit illi essentialis.

Contra secundo,quia quicquid est essentiale ali- 85
cui manente illo,cuius est essentiale,nullius ratio-

ne neque intrinsece, neque extrinsece potest impediri, ita vt non detur in illo, de cuius essentia est: v.g. manente homine nullius ratione potest impediri, quominus sit in homine rationalitas, neque ratione alicuius extrinseci potest destrui ab homine manente ipso, ratio animalis, & non propter aliam rationem, nisi quia rationale, & animal sunt prædicata essentialia hominis, sine quibus homo nullo modo potest esse, aut intelligi, imo potius si ratione alicuius extrinseci impediretur aliquod prædicatum essentiale rei aut destrueretur, sine dubio destrueretur ipsa res, de cuius essentia est tale prædicatum, & sine quo nullo modo potest salvari illa; quod etiam patet (vt occludamus omnem aditum solutionibus) in ipsa maternitate; nam si in illa, ratione alicuius termini extrinseci impediretur ne esset, aut destrueretur ratio relationis vt sic, quæ est gradus, seu prædicatum genericum illius, sine dubio ratione illius extrinseci impedientis destrueretur tota essentia maternitatis, quia res sine omnibus prædicatis essentialibus non potest existere; vnde evidenter sequitur quod si existat talis res, & aliqua formalitas ratione alicuius extrinseci impediatur, talem formalitatem non esse de essentia talis rei existentis, sed adhuc impedita, & destructa perfectione mutui, in relatione maternitatis ratione extrinseci, quodcunque illud sit, manet, & existit vere, & realiter relatio maternitatis in Virgine: ergo evidenter sequitur, talem rationem mutui non esse de essentia maternitatis Virginis.

86 Exemplo manifesto declaratur hoc, supponamus, vt fuit certum, dum Adam genuit Abel non existere alium hominem masculum generantem, ac proinde non dari nisi paternitatem Adam respectu Abel, postea autem detur alius homo, qui generet alium filium, sine dubio dabitur in illo paternitas, ac proinde paternitas Adam erit iam similis paternitati illius hominis; si autem quia moritur filius huius secundi patris, destruatur paternitas in ipso, sine dubio ratione destructionis talis paternitatis quæ est terminus similitudinis paternitatis Adam, destructur in paternitate Adam similitudo ad illam; ex quo evidenter sequetur talem similitudinem non esse de essentia paternitatis Adam, & non propter aliam rationem, nisi quia destructa, & impedita tali similitudine ratione extrinseci termini non destruitur, sed potius manet vere, & realiter paternitas Adam, quia idem non potest separari à seipso, neque res à propria essentia, & prædicato essentiali, alias esset, & non esset prædicatum essentiale illius, quo etiam argumento probavimus supra, relationem non esse idem cum suo fundamento, quia destructa relatione ratione termini extrinseci, non destruitur sed potius manet, & perseverat ipsum fundamentum absolutum; sed perseverante relatione maternitatis in Virgine, impeditur ratione termini extrinseci perfectio mutui in ipsa relatione maternitatis, per cuius absentiam, & carentiam manet manca, & mutila ipsa relatio maternitatis: ergo talis ratio mutui non est de essentia relationis maternitatis, & sic ratio mutui non sumetur à termino formali illius.

87 Efficacius solutio illa impugnatur quoad imperfectionem illam, & mutilationem, quam adversarij maternitati Virginis adscribunt, quia maternitas illa Virginis manet secundum omnia prædicata essentialia à supremo genere vsque ad vltimam rationem individualem: ergo habet totam suam intrinsecam perfectionem essentialem: ergo non erit imperfecta, nec manca essentialiter, sed potius omni ex parte perfecta essentialiter. Antecedens sic demonstratur, quia illa maternitas Virginis est hæc, & individua maternitas, cum non possit existere aliquid à parte rei, quod nõ sit individuum; sed non potest esse individuum sine omnibus prædicatis essentialibus sibi debitis: ergo illa maternitas cum omnibus sibi debitis prædicatis essentialibus manet. Minor sic probatur, quia omnia prædicata essentialia realiter identificantur cum individuatione: ergo non possunt separari ab individuatione: ergo si datur individuatio, debent dari omnia prædicata essentialia, sine eo quod aliquod ex illis deficiat in tali individua maternitate.

88 Secundo, quia inter illa quæ essentialiter sunt subordinata, non potest dari transitus de superiori in inferius, quin detur progressus per medium: sed omnia prædicata essentialia huius maternitatis sunt essentialiter subordinata: ergo non potest maternitas illa transire à superioribus prædicatis ad vltimum individuationis, deficiente aliquo intermedio sibi debito, ideo enim est impossibile quod Petrus sit tale individuum, & quod deficiat illi aliquod prædicatum superius, v.g. corpus, vivens, aut animal, &c. alias esset Petrus, & non Petrus, esset Petrus, quia supponitur, non esset Petrus, quia deficiente, seu mutato aliquo prædicato essentiali non manet eadem essentia, seu natura, ac proinde non potest manere idem Petrus, quia deficiente in Petro aliquo prædicato essentiali non esset eiusdem speciei cum cæteris hominibus: ergo non esset individuum hominis similis cæteris: ergo non esset Petrus; consequentia præcipua sic probatur; quia illud est perfectum essentialiter, cui nihil deficit ex essentialibus, & integrum est secundum omnia prædicata essentialia, bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu teste Dyonisio; sed illi maternitati nullum deficit essentiale prædicatum: ergo illa maternitas est essentialiter perfecta; vnde non imperfecta, nec manca essentialiter, & nihilominus deficit ab illa ratio mutui: ergo ratio mutui non est prædicatum essentiale maternitatis.

89 Dices, existere quidem illam relationem quoad essentialia omnia, non tamen existere completam, quia illi deficit quod terminetur ad filiationem.

90 Sed contra, quia ex hoc evidenter sequitur complementum illud, quod includit tum rationem illam terminandi ad filiationem, tum etiam rationem mutui, quæ ex illa sequitur, non esse essentialem relationi, cum sine illa ratione terminandi, & sine illa ratione mutui possit existere vere, & realiter maternitas Virginis, res enim, vt iam sæpe diximus, sine aliquo prædicato essentiali, aut sine aliquo constitutivo essentiali, sive intrinseco, sive extrinseco nullo modo potest existere; atqui sine altera relatione ex parte Christi, quæ filiatio est, & sine terminatione ad illam, ac proinde sine ratione mutui resultante ex tali relatione opposita existit per vos maternitas Virginis: ergo talis terminatio ad filiationem, & talis filiatio, seu relatio opposita non sunt constitutiva essentialia, & formalia, sive intrinsece, sive extrinsece.

91 Tunc sic, terminus formalis relationis est essentiale, & formale specificativum relationis, ac proinde est essentiale, & formale constitutivum extrin

extrinsecum relationis, quia relatio essentialiter, & formaliter in ordine ad talem terminum constituitur, & specificatur; sed filiatio ex parte Christi non est constitutivum essentiale, & specificativum formale relationis maternitatis, alias nec de potentia absoluta posset dari vera, & formalis maternitas in Virgine sine relatione formali filiationis ex parte Christi: ergo relatio filiationis formaliter ex parte Christi non est terminus formalis, & essentialis maternitatis in Virgine: ergo alius est terminus formalis, & essentialis ex parte Christi, quia relatio sine omni termino formali non existit, alias esset absolutum, & non relatio; sed non est aliud in Christo Domino, quod possit esse terminus formalis maternitatis Virginis, nisi substantia genita Christi à Virgine, absoluta quidem ab omni relatione ad Virginem: ergo talis substantia genita absoluta est terminus formalis relationis maternitatis, quod sic patet, quia sine tali substantia absoluta genita nullo modo posset dari adhuc de potentia Dei absoluta relatio actualis formalis maternitatis ad Christum; si enim in Christo non daretur substantia genita à Virgine, itavt nunquam fuisset genita, nunquam etiam flueret generatio à Virgine in substãtiam Christi, nullo enim modo potest dari actio generationis sine termino genito, vt ex terminis patet; sed relatio maternitatis non potest dari sine ratione fundandi illam, quia relatio essentialiter petit ad sui resultantiam rationem fundandi, seu fundamentum proximum, quæ est generatio: ergo de primo ad vltimum, si substantia Christi non esset genita à Virgine, B. Virgo non haberet relationem maternitatis ad Christum, & posita illa sola vt genita præcisa quacunque relatione filiationis à Christo, datur in B. Virgine formaliter relatio maternitatis ad Christum: ergo terminus formalis talis maternitatis, quæ ex suo genere petebat esse mutua, quatenus ad secundum genus relationis pertinet, non est relatio aliqua, sed absolutum esse genitum.

92 Item, illa relatio maternitatis est relatio prædicamentalis, quia in prædicamento relationis existit vtpote vera, & formalis relatio creata, distincta à substantia B. Virginis accidentaliter adveniens illi: sed prædicamentalis entitas est completa, & perfecta, quia res incompletæ, vt supra vidimus à prædicamento exulant: ergo talis relatio in Virgine est completa, & non manca, & imperfecta: ergo talis ratio mutui, & talis terminatio ad filiationem, per quarum carentiam, & absentiam fingitis vos maternitatem illam esse mancam, & mutilam, non pertinent essentialiter, & formaliter ad talem maternitatem, itavt terminatio ad filiationem sit perfectio intrinseca, & essentialis in maternitate, & filiatio ipsa ex parte Christi sit terminus formalis, & essentialis talis maternitatis: ergo sola substantia genita est terminus formalis illius; sed substantia genita est absoluta, & maternitas ex suo genere est relatio mutua: ergo iam aliqua relatio mutua terminatur ad absolutum formaliter, & non ad relativum: ergo non omnes relationes mutuæ, quia mutuæ sunt, terminantur ad relationem.

94 Dices, substantiam genitam, etiam deficiente filiatione, non esse terminum formalem maternitatis: sed potius esse materialem, quia formalis illius deberet esse filiatio, quæ per accidens deficit.

95 Sed contrà manifestè, quia vt relatio formalis sit, & vere existat formalissime, non solum petit terminum materialem: sed potius formalissime, & essentialiter formalem terminum, ita vt si non detur terminus formalis, etiam si detur terminus materialis, nullo modo dabitur relatio: sed adhuc non existente filiatione ex parte Christi existit vere, & formaliter relatio maternitatis in Virgine: ergo evidenter sequitur, relationem illam filiationis, quæ deficit, non esse formalem terminum maternitatis, sed potius esse talem, & non materialem esse genitum, quod datur & ad cuius existentiam, & positionem resultat formalissima relatio maternitatis in Virgine: maior sic probatur, quia illud est necessarium omnino essentialiter, sine quo nullo modo potest dari relatio, à quo specificatur relatio essentialiter, & à quo dependet essentialiter ratione talis specificationis; sed relatio prædicamentalis non specificatur formaliter, & essentialiter à termino materiali, sed à formali: ergo relatio formalis vt sit, & existat vere non petit terminum materialem, sed formalem; & si aliquomodo petit materialem, à fortiori petit formalem sine quo nec esse, nec intelligi potest talis formalis relatio, quia essentialiter est ordo ad terminum formalem.

Exemplo manifesto declaratur hoc, quia actu- 96
lis visio corporea petit, vt sit necessario, & essentialiter actu obiectum non solum petit obiectum materiale, sed à fortiori petit actu obiectum formale quod sit terminus formalis relationis transcendentalis visionis ad ipsum. Itaque non petit necessario, & formalissime substantiam obiecti, quæ est obiectum materiale; sed potius lucem, calorem, &c. quæ visibilitas vocantur, & ratione cuius in esse visibilis constituitur obiectum, quod adeo verum est, vt si non existerent actu, non posset actu existere visio; vnde media nocte datur obiectum materiale actu existens homo nimirum, paries, arbor, &c. & quia non dantur in illis omnia necessaria ad visibilitatem, quæ est ratio formalis videndi; imo si hæc existant non existente substantia, & alia, quæ præcisè pertinent ad obiectum materiale, dabitur sine dubio visio, vt videre est in visione, quæ terminatur ad species Sacramentales panis, & vini, ad quas terminatur tam perfecta visio, & cognitio intuitiva oculorum, ac si daretur substantia panis & vini, ex quo evidenter sequitur, solum terminum formalem requiri ad relationem essentialiter, & solo illo esse sufficienter contentam talem relationem, & solo illo existente existere illam, & è contra permanentibus omnibus, & solo termino formali non existente minime extituram relationem: sed existente esse absoluto genito ex parte Christi, & nullo modo existente relatione filiationis per vos existit tota relatio prædicamentalis maternitatis in Virgine: ergo evidenter, & manifestè patet talem relationem maternitatis non petere pro termino formali suæ tendentiæ relationem filiationis, sed potius esse genitum absolutum: ergo esse genitum non est terminus materialis: sed potius formalissimus, & formalissime specificativus relationis maternitatis in Virgine: ergo non omnis relatio mutua, quia mutua est, petit terminum relativum, sed absolutum formaliter.

SVBSECTIO II.

Aliæ solutiones adversariorum labefactantur.

97 REspondent vltimo adversarij dicentes, illam relationem maternitatis in Virgine esse diversæ speciei à cæteris, & ideo non esse mutuam, ac per consequens terminari ad absolutum.

98 Sed contra, quia vbi est terminus formalis eiusdem speciei, & fundamentum similiter eiusdem speciei, & ratio fundandi eiusdem essentiæ, datur relatio eiusdem speciei; sed fundamentum illius maternitatis est ipsa B. Virgo, quæ est eiusdem speciei cum cæteris matribus, vel est potentia generativa ipsius, quæ sunt eiusdem speciei; item generatio, quæ est ratio fundandi talis relationis est similiter eiusdem speciei cum generationibus cæteratum, & terminus formalis eiusdem speciei, &c. ergo relatio maternitatis in Virgine formalissime, & essentialiter est eiusdem speciei cum cæteris relationibus. Maior clara est quoad primam, & secundam partem; quoad tertiam patet, quia ille est terminus præcise formalis relationis maternitatis, provt distinguitur à termino denominationis talis maternitatis, qui formalissime est terminus generationis provt distinguitur à termino denominationis illius; sed terminus formalissimus generationis B. Virginis, & qui producitur formalissime à generatione naturali B. Virginis, est compositum illud ex materia, & anima rationali, licet etiam denominative totum suppositum, id est totus Christus dicatur denominative genitum à Virgine; imo, & Verbum Divinum, licet Verbum Divinum formalissime non producatur à generatione Virginis, sufficit enim, vt B. Virgo proprie, ac vere dicatur mater Dei, vt optime notat P. Suarez, *tom. 2. in 3. p. disp. 1. sect. 1. prope finem*, §. Aliter quod in eodem instanti temporis, in quo anima Christi vnita est corpori, concurrente B. Virgine concursu materno, in eodem inquam momento anima, corpus, & humanitas vnita sint Verbo, nec est necesse, ad hanc denominationem, vt B. Virgo attigerit per veram, ac physicam efficientiam vnionem humanitatis cum Verbo, quia hæc attingentia probabilissime à multis Doctoribus negatur, vt videre est in ipso P. Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 8. sect. 1.* & nihilominus maternitas Virginis est de fide, & certissima, ac proinde non dependet hæc veritas ab alia opinione: ergo.

99 Explicatur hoc à contrario sensu, Iudæi enim dicuntur interfecisse Deum, quia per actionem eorum dissoluta est animæ vnio cum corpore, & consequenter humanitas vt sic separata est à Verbo, & vtriusque ratio est, quam D. Thomas attigit *3. p. q. 33. art. 1.* quia sicut agere, ita & nasci, seu generari attribuitur proprie suppositis; vnde licet immediate non producatur suppositum, nec vnio humanitatis ad illud, sufficit tamen vt producatur tota humanitas, quæ in eodem momento vnitur suppositi, vt totum illud dicatur generari.

100 Sed totum illud compositum ex anima, & corpore, quod immediate producitur à generatione Virginis, & est terminus formalissime productus ab illa, est eiusdem speciei cum alijs terminis productis per alias generationes humanas, & qui sunt etiam termini aliarum maternitatum: ergo terminus maternitatis Virginis est eiusdem speciei cum terminis aliarum maternitatum. Maior illa sic probatur, quia illa relatio maternitatis est relatio causæ; sed relatio causæ terminatur ad effectum, effectus autem est terminus per generationem productus: ergo de primo ab vltimum idem est terminus formalissime productus per generationem, & terminus immediatus, ac formalissimus relationis maternitatis.

101 Vrgetur amplius, quia Deipara vere genuit Christum, quatenus homo est, & nativitas temporalis Christi est vera nativitas humana eiusdem rationis cum nativitate aliorum hominum (quod certa fide constat, vt ait P. Suarez *tom. 2. in 3. p. disp. 12. sect. 1.* hæc autem nativitas, & generatio est proximum fundamentum, seu ratio fundandi hanc relationem: ergo relatio maternitatis est eiusdem rationis cum relationibus maternitatis aliarum fœminarum: patet hoc, quia terminus huius maternitatis est idem qui est terminus nativitatis: sed illa nativitas habet terminum eiusdem rationis cum nostra: ergo & illa relatio habet terminum eiusdem rationis cum alijs maternitatibus, ac proinde talis relatio erit eiusdem rationis, &c. præcipue, quia Christus vt homo est eiusdem rationis nobiscum, licet suppositò differat, relatio autem illa, sicut & nativitas terminatur ad Christum, vt hominem: ergo relatio illa habet terminum eiusdem rationis, &c.

101 Declaratur exemplo manifesto, quia sicut calefactio habet eundem terminum, sive recipiatur in homine, sive in ligno, & in calefaciente eademque relatio consequitur, quia forma inducta, & actio per quam inducitur eiusdem rationis est, quamvis subiecto differant; ita dicendum est in præsenti servata proportione; nam licet suppositum Christi, & nostrum secundum se diversa sint, tamen quia natura humana quæ tali suppositò coniungitur, est eiusdem rationis cum nostra, & actio, qua B. Virgo concurrit, eiusdem etiam rationis existit, ideo etiam relatio eiusdem speciei in ea consurget; deinde quoniam alias Deipara non esset vnivoce mater cum reliquis, quod est contra mentem Conciliorum, & Sanctorum, de hac materia loquentium.

102 Dices, B. Virgo miraculosè Christum concepit, ergo miraculosè etiam ad humanam eius generationem operata est: ergo est mater miraculosa: ergo relatio matris est supernaturalis proportionata fundamento, quod proxime consequitur.

103 Sed contra, quia hæc nullius momenti sunt, nam D. Thomas *3. p. q. 35. art. 3.* absolute asserit, B. Virginem simpliciter dicendam esse veram, & naturalem matrem Christi, sicut idem D. Thomas ibidem *q. 33. art. 4.* docet, Christum esse naturalem filium hominis, hæc enim duo correlativa sunt; relatio ergo matris, vera, ac naturalis relatio est, atque adeo eiusdem speciei cum reliquis; nam quamvis conceptio Christi fuerit miraculosa, tum propter vnionem hypostaticam, tum ratione causæ, efficientis humanam generationem; præterea ex parte modi, tamen ex parte Matris quoad substantiam, & essentiam fuisse conceptionem naturalem, recte docet Ambrosius *lib. de incar. domin. sacram. cap. 5. & 6.* relatio autem consequitur eam conceptionem, vt est à matre secundum substantiam, & essentiam illius; vnde fit licet proprie possit dici, B. Virginem miraculosè concepisse, vt docet D. Thomas, quia conceptio includit

cludit modum, & habitudinem ad causam efficientem supplentem concursum viri, non tamen tam proprie dici matrem miraculosam, & supernaturalem, quia mater vocatur à relatione, in qua proprie nihil est supernaturale, quamvis aliqui interdum pie hoc modo loquantur ad explicandam dignitatem, & excellentiam conceptionis, & personæ in illa conceptæ, vt Bonaventura *in 3. dist. 4. art. vltimo, quæst. 2.* & Reardus, Gabriel, Marcilius, & alij: ergo certissimum est, talem relationem maternitatis esse eiusdem speciei, quod ab omnibus pene Theologis, vel explicite docetur, vel supponitur, & ex eorum principijs aperte colligitur: vnde sine nota temeritatis non potest negari.

105 Quod amplius vrgetur, quia sicut totum esse relationis sumitur à fundamento, & termino formali, itavt si fundamentum, & terminus formalis sunt eiusdem speciei v.g. etiam relatio maternitatis erit eiusdem speciei; ita evidenter colligitur à posteriori, ipsam maternitatem non esse distinctæ speciei, si concretum formale maternitatis, mater nimirum non sit distinctæ speciei. Sed concretum matris in Virgine non est distinctæ speciei à cæteris vt sana Thologia docet, quia cum tota ratio finalis maternitatis in B. Virgine fuerit ad salvandos homines, & redimendos illos; qui sunt filij eiusdem speciei cum Christo vt homine, necesse fuit, vt esset mater eiusdem speciei cum cæteris matribus, & sic B. Virgo fuit generans eiusdem speciei cum cæteris matribus generantibus, & id quod immediate producitur ab illa generatione eiusdem speciei cum cæteris genitis, cum B. Virgo vt generans, & Christus Dominus vt genitus à tali Virgine sint individua hominis, vbi non datur diversitas specifica: ergo ipsa relatio maternitatis formaliter est eiusdem speciei cum cæteris. Probatur hæc consequentia, quia vbi ratio formalis constitutiva effectus formalis est distincta specie ab alijs, etiam effectus formalis illius, vt talis est distinctæ speciei ab illis: v.g. quia albedo est ratio formalis distinctæ speciei à nigredine, vel calore, effectus formalis illius, v.g. nigrum vt nigrum, & calidum vt calidum est distinctæ speciei ab albo vt albo; sed effectus formalis maternitatis in Virgine, mater formaliter vt talis non est distinctæ speciei à cæteris matribus humanis: ergo nec relatio maternitatis est distinctæ speciei a relationibus aliarum: ergo terminus illius formalissime est eiusdem speciei cum terminis aliarum maternitatum; nam vt supra dixi, terminus formalissimus huius maternitatis est Christus, vt homo (licet per communicationem idiomatum dicatur terminus illius Deus, vt his verbis docet P. Suarez vbi supra; hinc enim fit, animam, & carnem ex vi actionis seu concursus B. Virginis fuisse inter se vnita ad componendum, non tantum humanitatem sed etiam hunc hominem, atque adeo B. Virginem esse matrem huius hominis, & consequenter Dei per communicationem idiomatum; sic ille) sed Christus, vt homo est eiusdem speciei cum cæteris hominibus: ergo terminus huius relationis est eiusdem speciei cum terminis aliarum maternitatum.

Maior patet, quia in tantum Christus est terminus relationis maternitatis, in quantum formalissime est productus à Virgine per generationem, quia hæc relatio est producentis, seu generantis ad productum, seu genitum; sed in tantum Christus est immediate, ac formaliter, physice, & stricto modo productus à Virgine, in quantum est homo, quia in quantum Deus tantum dicitur genitus per communicationem idiomatum: ergo in tantum est terminus immediatus, & formalissimus relationis, in quantum est homo, & non sub alia ratione; sicut non sub alia ratione est terminus generationis, cum generatio formalissime, & immediate tantum attingat, vt terminum productum Christum, vt hominem, & non sub alia ratione relativa filiationis, &c. quia relatio non habet alium terminum nisi quem habet actio, ad quam sequitur, quia relatio semper proportionatur cum ratione fundandi in ordine ad terminum, vt videre est in relationibus primi generis; nam illud habet pro termino formali similitudo albedinis v. g. quod est extremum convenientiæ albedinis, quia talis convenientia est ratio fundandi relationem similitudinis, & ille est terminus relationis differentiæ essentialis hominis, quod est extremum talis distinctionis, scilicet irrationale equi; itaque extremum, quod attingitur à ratione fundandi est terminus formalis relationis, quæ sequitur ad talem rationem: sed ratio fundandi relationem maternitatis in Virgine quæ nihil aliud est, quam generatio Virginis, habet pro termino formali id tantum quod produxit formaliter, scilicet Christum vt hominem: ergo id habet pro termino formali relatio maternitatis in Virgine; sed Christus vt homo est eiusdem speciei cum cæteris hominibus: ergo terminus maternitatis Virginis est eiusdem speciei cum terminis aliarum relationum maternitatis: ergo relatio hæc maternitatis est eiusdem speciei cum cæteris relationibus maternitatis.

Dices, relationem illam distingui essentialiter à cæteris relationibus, quia terminus huius est absolutum genitum, & terminus formalis aliarum maternitatum est filiatio. 106

Sed contra primo, quia hæc est manifesta petitio principij; nam ego probo hanc maternitatem esse eiusdem speciei cum cæteris maternitatibus, quia habet pro termino rem eiusdem speciei cum terminis formalibus aliarum maternitatum; & tu respondes, non esse eiusdem speciei, quia non habet terminum eiusdem speciei: ergo petis principium; nam argumento, quo probo terminum huius relationis esse eiusdem speciei, respondes non esse eiusdem speciei. Instо, cur non est eiusdem speciei, respondes, quia relatio est distinctæ speciei. Si autem iterum interrogetur, cur sit distinctæ speciei, dicis quia terminus huius est absolutus, & cæterarum relativus; ecce de primo ad vltimum quomodo tradis pro ratione illius tuæ conclusionis, (quam impugnamus, videlicet quod omnis relatio mutua terminetur ad relativum, & non ad absolutum) eandem conclusionem, scilicet quod relationes maternitatis terminantur ad relativum, & non ad absolutum, quia mutuæ sunt: ergo petis principium manifeste. 107

Secundo contra, quia sicut est ratio fundandi, sic est terminus relationis, ita vt si est vnius rei ratio fundandi, non possit esse terminus alterius rationis relationis illius, quæ sequitur ad talem rationem fundandi; v. g. si ratio fundandi est generatio, terminus illius relationis resultantis ex vi talis generationis non erit simile, nec mensura sed potius erit filius, aut genitum, & si ratio fundandi fuerit vnitas, terminus relationis non erit diversum, dissimile, aut inæquale, sed simile, æquale, 108

le, aut conveniens; atqui ratio fundandi relationem maternitatis in Virgine est generatio eiusdem speciei cum generationibus fundantibus cæteras maternitates: ergo terminus huius est eiusdem speciei cum terminis aliarum maternitatum: ecce argumentum, quod nunquam solvis; quod amplius declaro, & vrgeo sic.

109 Ideo terminus relationis differentiæ essentialis, seu distinctionis specificæ quæ datur in homine respectu equi est terminus distinctæ speciei à Leone, qui est terminus alterius relationis differentiæ resultantis in homine, quia distinctiones quæ reperiuntur in homine respectu equi, & Leonis sunt distinctæ speciei, cuius tota ratio est, quia relatio sequitur quoad identitatem, & distinctionem propriæ essentiæ, & termini formalis, quem respicit rationem fundandi à qua essentialiter dependet; è contra vero termini relationum, quæ fundantur in Petro ratione distinctionis individualis ad Paulum, & ad Franciscum non distinguuntur specie: sed solum numerice, quia Petrus non distinguitur à Paulo, & Francisco specie, & essentialiter: sed tantum numerice, ac proinde distinctiones Petri à Paulo, & à Francisco non sunt essentialiter: sed tantum numerice differentes, quæ sunt rationes fundandi talium relationum, ex eo quod dependeant essentialiter relationes à suis rationibus fundandi, ac proinde debeant omnino proportionari cum illis,

Item relatio vnionis quæ resultat inter partes homogeneas, habet pro termino homogeneum, & non heterogeneum, ac proinde eiusdem speciei, & solum integraliter distinctum à parte quæ vnitur, & à termino vnionis alterius partis, eiusdem speciei cum hac iv. g. quatuor partes aquæ vniuntur inter se, in parte A, respectu partis B, resultat relatio vnionis ad partem B, & in parte C, vnita parti D, resultat alia relatio vnionis, hæ duæ relationes nullo modo habent terminos specie distinctos, nec hæterogeneos; sed potius eiusdem speciei, ac proinde relationes inter se non distinguuntur specie, & ratio non est alia, nisi, quia vniones quæ sunt rationes fundandi talium relationum, sunt eiusdem speciei, & habent pro terminis, seu extremis suæ coniunctionis duas aquas, quæ non distinguuntur specie; è contra vero duæ relationes, quæ resultant in eadem materia prima, ratione duarum vnionum ad duas formas specie distinctas, vt v. g. forma rationalis, & forma cadaveris habent terminos formales specie distinctos, quia vniones, supra quas fundantur tales relationes habent pro terminis, seu extremis suæ coniunctionis duas entitates specie distinctas; itaque pro certissimo habendum est, illum esse terminum formalem relationis, qui fuerit extremum, quod attingitur formalissime à ratione fundandi: vnde si extremum rationis fundandi fuerit eiusdem, vel diversæ speciei ab extremo alterius rationis fundandi, etiam relationes fundatæ in illis habebunt pro termino res eiusdem, vel diversæ speciei, ac sunt extrema rationum fundandi tales relationes, vt patet manifeste ex exemplis evidentibus nuper adductis, quæ liquidissime, & clarissime hoc negotium demonstrant.

110 Tunc sic; relatio maternitatis Virginis fundatur in generatione, qua immediate produxit Christum vt hominem, & relatio maternitatis cuiuscunque alterius fœminæ, v. g. Franciscæ fundatur in generatione respectu huius individui hominis; atqui Christus vt homo, & Petrus vt homo, qui sunt termini formaliter, & immediate producti per tales generationes non distinguuntur specie, vt ex fide catholica patet: ergo termini formales, & immediati relationis maternitatis Virginis, & relationis maternitatis Franciscæ non distinguuntur specie formaliter: sed potius sunt eiusdem speciei; atqui per vos absolutum, & respectivum, esse genitum in Christo, & filiatio correspondens Franciscæ generanti sunt termini diversæ speciei, & diversæ rationis: ergo talis filiatio non terminat formaliter relationem maternitatis Franciscæ: sed potius sicut maternitas Virginis terminatur, non ad filiationem; sed ad esse genitum hominis, sic etiam maternitas Franciscæ terminabitur ad esse genitum hominis, & sic genitum hominis erit terminus illius maternitatis; sed maternitas Franciscæ est relatio mutua: ergo iam relatio mutua terminatur ad absolutum, & non ad respectivum: vnde falsa erit hæc vniversalis conclusio adversariorum, quod omnis relatio mutua quatenus mutua terminatur ad respectivum.

Amplius declaro hoc, ideo generatio Petri 111
generantis non potest fundare relationem paternitatis ad Angelum, vel ad equum primum in omnium sententia, secundum in vestra, quia nulla potest dari generatio Petri, quæ terminetur ad Angelum, & ad equum, cuius rationem sic redditis, quia non est alius terminus relationis, nec est distinctus à termino generationis; terminus enim vtriusque est eiusdem rationis, quia generatio est mensura relationis resultantis ratione illius; relatio enim transcendentalis fundat relationem prædicamentalem, quæ eundem formalem terminum habet, ac transcendentalis, vt videre est in relatione, quæ resultat in materia ad formam potentiæ ad obiectum, &c. sed generatio est relatio transcendentalis, quæ habet pro termino formali genitum, & non filiationem, quia filiatio non producitur à generatione Patris, vt postea dicemus; sed emanat, aut resultat à genito: ergo maternitas, aut paternitas, quæ sunt relationes prædicamentales, resultantes ex vi relationis transcendentalis generationis non habebunt pro termino formali filiationem, sed esse genitum; cum autem impossibile sit, quod generatio Petri habeat pro termino Angelum, ideo impossibile est, quod ratione talis generationis resultet in Petro relatio paternitatis ad Angelum, &c. & quia semper generatio Petri terminatur ad terminum eiusdem speciei cum generatione Ioannis, ideo necesse est, vt relationes paternitatis resultantes in Petro, & Ioanne ratione generationum, habeant terminos eiusdem speciei, & eiusdem rationis, & non diversæ rationis formaliter; sed generatio Virginis habet pro termino hominem genitum eiusdem speciei cum homine genito, quem habet pro termino generatio cuiuscunque alterius fœminæ: ergo maternitates quæ resultant in illis, habent terminos formales eiusdem speciei: ergo, & maternitates erunt eiusdem speciei: hanc iudico, esse demonstrationem naturalem, suppositâ inductione supra posita, tot evidentium exemplorum, quæ ad hoc intentum demonstrandum in medium nuper edidimus.

SVBSECTIO

SVBSECTIO III.

Secunda pars nostræ conclusionis probatur secundo, & tertio argumento, quibus amplius declarantur dicta.

112 SEcundo principaliter probatur nostra conclusio, quia paternitas Petri, v. g. (& idem est de relatione ignis producentis alium) quæ est relatio mutua, habet pro formali termino esse genitum absolutum, & non filiationem: ergo aliqua relatio mutua non terminatur ad respectivum, sed ad absolutum. Probatur antecedens. Illud habet pro termino relatio Paternitatis vt quo, quod formalissime respicit, vt quod Pater; sed Pater respicit formalissime vt quod esse genitum, & non filiationem ex vi talis paternitatis: ergo paternitas habet pro termino formali esse genitum absolutum, & non filiationem.

113 Minor in qua est tota difficultas sic ostenditur, illud respicit vt quod Pater, & ad illud refertur formaliter, quod est productum ab ipso per originem viventis à vivente in similitudinem naturæ specificæ, & non quod non est à se productum; sed genitum in Paulo, & non filiatio, est productum à Petro per originem viventis à vivente: ergo genitum vt genitum, & non filiatio est terminus formalis Patris: maior *subsectione. antecedenti* probata est, ideo enim homo non potest respicere, vt Pater arborem, quia Pater non genuit arborem, nec produxit illam origine viventis à vivente in similitudinem naturæ specificæ, & ratio evidens est, quia causa vt causa debet respicere suum effectum, & non id, quod non est effectus illius; sed Pater est causa geniti vt geniti, & non filiationis: ergo genitum, vt genitum est terminus illius, & non filiatio; minor illa sic probatur, quia Pater est species causæ efficientis, ac proinde convenit cum alijs causis efficientibus in esse producentis per actionem, differt tamen ab illis, quia producit per talem actionem, quæ est origo, seu generatio viventis: atqui species causæ efficientis est vera, & formaliter causa, & causa dicitur talis respectu illius, quod producit, & non respectu illius quod non producit in genere causæ efficientis: atqui Pater producit per propriam actionem quæ generatio est, genitum, & non filiationem: ergo Pater est causa geniti, vt geniti, & non filiationis: consequentia illa sic probatur, quia ille est terminus formalis alicuius relationis, qui respicitur à relatione formaliter, & ad quem refertur talis relatio formaliter; sed Pater refertur ad genitum, & non ad filiationem; ergo genitum est terminus, & non filiatio relationis paternitatis: maior est evidens, vt ex terminis patet, minor sic probatur, quia pater ea ratione refertur ad aliquod, quia genuit illud, & produxit ipsum per generationem, nisi enim genuisset illum, non referretur ad ipsum paternitate: vnde id ad quod refertur formaliter, relatio transcendentalis generationis tanquam ad id, quod productum est per ipsam, refertur relatio prædicamentalis resultans ex vi talis generationis tanquam ad purum terminum, vt supra docui: ergo si generatio refertur tanquam ad terminum productum ad substantiam geniti quia illa producitur per generationem, & non filiatio: ergo ad esse substantiæ genitæ, & non ad filiationem refertur immediate, & formaliter paternitas, quæ est relatio prædicamentalis resultans ex vi relationis transcendentalis generationis, fundamentum enim est prius relatione, & relatio refert fundamentum ad id quod est simul cum fundamento; sed quod est simul cum fundamento paternitatis est substantia genita: ergo fundamentum paternitatis refertur ad substantiam genitam per paternitatem; sed in Patre nihil præcessit in ratione fundamenti, præter substantiam Patris, & actualem generationem: ergo homo generans, quia genuit refertur: ergo refertur in ratione causæ ad effectum, qui est substantia hominis geniti.

114 Quod autem substantia geniti, & non filiatio sit producta per generationem à Patre, est manifestum; de substantia enim geniti nulla dubitatio est, tum quia id producitur à Patre, quod ex vi generationis Patris accipit esse actuale, & transit de statu possibilitatis ad statum actualitatis; sed ex vi generationis substantialis Patris, v. g. Petri Paulus secundum substantiam propriam accipit esse actuale, & transit de statu possibilitatis ad statum actualitatis: ergo substantia Pauli producitur per generationem à Petro patre, tum etiam quia id producitur per generationem quod afficit generatio, & constituit in esse geniti; sed Paulum secundum substantiam afficit generatio Petri, & constituit in esse geniti; & ideo Paulus quatenus est hic homo substantialiter, & essentialiter, est genitus à Petro: ergo. Tum denique, quia id producitur à Patre per generationem in quo resultat filiatio, & per filiationem refertur ad Patrem, & constituitur per filiationem in esse filij; sed Paulus secundum substantiam refertur ad Patrem per filiationem, & constituitur in esse filij à filiatione, quæ resultat in substantia ipsa Pauli: ergo sine vlla dubitatione dicendum est, esse substantiale Pauli generari à Petro, & produci per generationem ab ipso.

115 Quod vero filiatio ipsa non producatur per generationem à Petro, sic demonstratur, quia filiatio est relatio, quæ fundatur in substantia genita Pauli à Petro, & non in ipso Petro generante Paulum; sed relatio fundata in aliquo, producitur, aut dimanat à fundamento, in quo fundatur adæquate, & totaliter, minimeque efficitur, neque efficienter producitur à termino; solum enim specificatur ab illo, & positio termini est necessaria ad efficientiam totalem fundamenti in relationem; vnde relatio tanquam à totali causa emanat à fundamento solum posito termino, & ideo ait D. Thomas, relationem non à termino, sed à fundamento fluere, alias relatio similitudinis, quæ resultat in Ioanne Neapoli per positionem alterius albi in India Orientali, & si longius vis in spatijs imaginarijs, produceretur efficienter ab existente supra cælos, quod est falsissimum, & summum absurdum, quia nulla creatura est quæ habeat tam late patentem sphæram activitatis, nam eo modo est limitatio sphæræ activitatis quo est limitario, & determinatio perfectionis agentis; sed Pater est terminus filiationis, & nullo modo est fundamentum illius: ergo filiatio, quæ est in genito, & constituit illum filium, non fit efficienter, nec producitur à Patre: sed potius di-

manat,& fluit à genito,vnde neque filiatio, nec filius reduplicative vt talis est effectus Patris,licet simul tempore,& duratione sint genitum, & filius in Paulo.

116 Exemplo manifesto hoc declaratur, licet B. Virgo in ipso instanti suæ productionis, & conceptionis fuerit grata,sancta, & gloriosa, vt pia opinio fert,nihilominus non fuit formaliter producta,vt grata,sancta, & gloriosa à suis parentibus,sed solum à Deo supernaturali auctore & ratio est,quia licet parentes per generationem produxerint B.Virginem,in qua datur gratia sanctificans,& gloria, nullo modo produxerunt ipsam gratiam,& beatitudinem in Virgine, quia hæ à Deo authore supernaturali infusæ sunt, & gratum vt gratum reduplicat supra gratiam,vnde qui non producit gratiam formaliter, non est causa grati quatenus grati reduplicative,sed licet pater producat substantiam geniti, nihilominus non producit per generationem relationem filiationis,quia hæc resultat, & dimanat ab ipsa substantia geniti: ergo pater non est causa filiationis,ac per consequens filij,vt filij reduplicative;sed pater solum refertur per relationem paternitatis tanquam ad terminum formalem ad id,ad quod refertur per generationem tanquam ad terminum productum:ergo pater refertur per relationem paternitatis, non ad filiationem,sed ad substantiam geniti; sicut parentes Virginis non referuntur per relationem paternitatis, & maternitatis ad gratiam,sanctitatem, & beatitudinem Virginis,sed ad substantiam Virginis:quia per generationem naturalem non produxerunt gratiam,& gloriam Virginis sed solum substantiam naturalem illius.

117 Sed demus, patrem producere per generationem non solum substantiam geniti formaliter,& immediate:sed etiam filiationem ipsam:ergo Pater per paternitatem referretur non solum ad filiationem,sed etiam ad substantiam geniti,à fortiori;quia pater in tantum refertur relatione paternitatis ad aliquem terminum, in quantum genuit illum terminum, & produxit ipsum per generationem;atqui non solum produxit per generationem relationem filiationis: sed à fortiori principalius substantiam geniti:ergo à fortiori, & principalius respicit formaliter substantiam absolutam geniti, licet etiam alioquin respiciat filiationem; nam quod principalius producere intendit per generationem,est individuum simile in natura specifica,& essentialiter;atqui substantia geniti quatenus talis est similis in specie, & essentialiter generanti,quia filius vt filius ratione filiationis potius opponitur relative patri, quam assimiletur ipsi, ratione oppositionis relativæ,& formalis quæ versatur inter relationem paternitatis,& filiationis:ergo potius, & principalius respicit substantiam geniti quam filiationem,quia pater respicit principalius effectum, vt effectum per generationem: ergo velint, nolint adversarij,debent concedere relationem mutuam, vti est paternitas, terminari ad absolutum.

118 Respondent aliqui, distinguendo illam propositionem,pater respicit effectum vt effectum, vel productum vt productum per generationem à se, si ly *vt effectum* reduplicet rationem formalem, negant illam, si vero reduplicet conditionem, concedunt illam; itaque asserunt,rationem formalem terminandi esse filiationem, vt filiatio est,conditionem vero esse rationem effectus.

Sed contra primo, omne illud quod distinguit 119
vnum ab alio essentialiter non est conditio, sed ratio formalis:ergo ratio effectus non est conditio respectu paternitatis,sed ratio formalis terminandi;Antecedens est certissimum, quia omne quod distinguit,est forma,vel per modum formæ, vt patet in omnibus obiectis, & specificantibus, alias quilibet posset dicere, quod in scientia obiectum formale non esset ratio formalis,sed conditio,& quod obiectum materiale sit ratio formalis;v.g.directionem esse conditionem,& actus intellectus esse rationem formalem specificandi Logicam, & distinguendi illam à Philosophia, quod est ridiculum, & ratio est manifesta,quia omne illud,quod distinguit eo modo quo distinguit, dat esse quia quælibet res distinguitur essentialiter per suum esse: ergo quod dat esse, eo modo quo dat illud, distinguit;probatur prima consequentia; ratio effectus distinguit vnam relationem ab alia formaliter, & essentialiter ex parte termini: ergo ratio effectus non est conditio sed potius ratio formalis ex parte termini. Probatur Antecedens; relatio primi, & secundi generis conveniunt in ratione relationis mutuæ, & differunt essentialiter & formaliter,quia relationes secundi generis sunt relationes causæ, & effectus: ergo ratio effectus distinguit vnam relationem ab alia.Probatur consequentia; ratio relationis mutuæ est ratio generica; sed ratio generica non distinguit vnam speciem ab alia: ergo ratio mutuæ relationis non distinguit vnam relationem ab alia mutua: maior est certissima in sententia adversariorum, minor est evidens; ratio enim conveniendi formaliter non est formaliter ratio differendi;sicut v.g. homo non distinguitur ab equo formaliter per animalitatem, sed per rationalitem,& ratio est, quia differentia est, quæ distinguit formaliter non autem genus; sed ratio relationis mutuæ est genus quasi subalternum respectu relationum primi, & secundi generis: ergo ratio relationis mutuæ non est ratio differendi formaliter: ergo tantum est ratio effectus,vel causæ id quod formaliter distinguit, quia non est dabilis alia ratio in relatione secundi generis.vt sic:ergo ratio causæ,vel effectus est ratio formalis ex parte termini relationis secundi generis vt sic: ergo ratio effectus respectu paternitatis non est conditio,sed ratio formalis;patet consequentia,ratio causæ, vel effectus respectu relationis secundi generis non est conditio, sed ratio formalis;atqui paternitas est relatio secundi generis: ergo respectu illius ratio effectus est ratio formalis,& non conditio: ergo pater respicit effectum,vt effectum formaliter.

Vrgetur, id quod est formale superiori alicu- 120
ius,& non est conditio respectu illius, contractum per differentiam etiam est formale respectu inferioris,& non conditio, quia quidquid convenit superiori eo modo quo convenit illi, convenit inferiori secundum illud axioma;Dici de omni,& inductione manifesta patet.Nam qui vivens non est conditio,sed potius prædicatum essentiale, & formale respectu animalis contractum, illud vivens per sensibile non est conditio respectu hominis, sed potius prædicatum essentiale formaliter conveniens homini, quia vivens contractum per sensibile est vivens sensibile, & vivens sensibile est animal formaliter,animal autem formaliter

maliter non est conditio respectu hominis, sed potius prædicatum essentiale formaliter conveniens illi; siquidem convenit homini ex vi definitionis formalis illius; homo enim formaliter sic definitur, est animal rationale, quidquid enim ex vi definitionis essentialis formaliter convenit homini, non convenit homini vt conditio, sine qua non, sed potius convenit vt ratio formalis essentialiter constitutiva hominis.

121 Item, quia actio est ratio formalis constitutiva agentis vt sic, & non conditio sine qua non, contracta illa ratio actionis vt sic per differentiam generationis, & constituta per illam in esse generationis non est conditio, sine qua non respectu talis agentis, scilicet generantis, sed potius est ratio formalis constitutiva talis agentis in esse agentis; è contra quia approximatio vt sic non est ratio formalis respectu agentis vt sic, sed potius conditio operandi, illa approximatio particularizata non est ratio formalis, sed etiam conditio respectu talis agentis.

122 Tandem quia intelligibile vt sic, seu veritas vt sic ex parte obiecti intellectionis, vt sic non est conditio, sine qua non tale obiectum terminet cognitionem, intelligibilitas vt sic singularizata, videlicet intuitivè, abstractivè, &c. non est conditio sine qua non, sed potius ratio formalis constitutiva obiecti in esse intelligibilis à tali intellectione; sicut quia in sententia multorum Thomistarum non est conditio, sed ratio formalis movendi voluntatem ex parte finis esse apprehensum, similiter tale esse apprehensum non est conditio, sed ratio formalis taliter movendi voluntatem.

123 Ex quibus omnibus evidenter colligitur id, quod non est conditio, sed potius ratio formalis sive extrinsece, sive intrinsece respectu superioris particularizatum per differentiam non posse esse conditionem, sed potius rationem formalem respectu inferioris; sed relationi, vt sic secundi generis convenit, vt ratio formalis, & non vt conditio ratio effectus, vel causæ ex parte termini, quia per rationem causæ, vel effectus distinguuntur formaliter relationes secundi generis à cæteris generibus relationum: ergo ratio causæ, vel effectus singularizata, & contracta per differentiam talis causæ, & effectus ex parte talium terminorum, non erit conditio, sed ratio formalis respectu talium relationum secundi generis inferiorum quidem relationis vt sic secundi generis; atqui paternitas est talis relatio secundi generis inferior respectu relationis vt sit, causæ ad effectum: ergo ratio talis effectus, id est producti per generationem ex parte termini paternitatis non est conditio sine qua non, sed potius ratio formalis terminandi.

124 Secundo contra, ille est terminus formalis alicuius relationis, quo ablato, & non posito, vel existente, aufertur relatio, vel non datur actualiter, & illo posito etiam ablatis alijs, ponitur relatio; sed ablata à filio filiatione, & persistente sola substantia genita, persistit relatio secundi generis: ergo substantia genita non est conditio, nec terminus materialis, sed potius terminus formalis, & ex alio capite nullo modo erit terminus formalis filiatio; maior est omnino certa, nam relatio prædicamentalis essentialiter petit terminum formalem actualiter existentem vt supra probatum est, & concedunt adversarij. Probatur minor: ablata relatione filiationis manente substantia genita, manet relatio parentis, quæ est secundi generis: ergo, &c. Antecedens est certum in sententia Thomistarum, & vidimus supra *subsect.* 1. nam B. Virgo dicit relationem parentis ad Christum Dominum; sed in Christo Domino solum datur substantia genita, & non datur relatio filiationis ad B. Virginem, quia Verbum divinum est incapax illius relationis, in quo deberet recipi illa relatio in sententia Thomistarum: ergo manente substantia genita, & non manente relatione filiationis, datur relatio maternitatis, quæ est secundi generis: ergo relatio secundi generis non habet pro termino formali relationem, sed potius esse genitum, quod est absolutum: patet consequentia, terminus formalis relationis prædicamentalis est essentialis relationi; sed relatio non est essentialis alteri relationi secundi generis: ergo relatio opposita, v. g. filiatio non est terminus formalis relationis parentis, & idem argumentum fit de alijs relationibus mutuis, vt est relatio identitatis Petri ad Christum Dominum, & relatio convenientiæ in esse substantiæ intellectualis completæ, quam dicit Angelus ad Deum, & quam dicit homo effectus ad ipsum Deum, in quantum Deus causa est ipsius, quibus relationibus non correspondet ex parte Dei aliqua relatio prædicamentalis, & nihilominus ex parte Angeli, & hominis dantur veræ, propriæ, & formales relationes prædicamentales.

Maior probatur, omne illud à quo aliquid specificatur formaliter, est illi essentiale, saltem extrinsece, sed relatio specificatur à termino formali: ergo est illi essentialis saltem extrinsece. 125

Tandem; quia vt supra vidimus, terminus formalis relationis, vt sic primi, aut secundi generis contractus per differentias, est terminus formalis talis relationis primi, aut secundi generis; sed terminus formalis relationis primi, aut secundi generis vt sic non est necessario relatio, quia relatio vt sic primi, aut secundi generis non habet pro termino formali relationem, alias omnes relationes primi, aut secundi generis haberent pro termino relationem; (quia quidquid convenit positive superiori convenit omni contento sub illo) vt patet, esse falsum in relationibus Angeli, & hominis ad Deum, Virginis ad Christum: ergo non omnis relatio primi, aut secundi generis habet pro termino formali relationem, sed quædam sunt quæ habent pro termino relationem, aliæ autem absolutum, & relatio secundi generis habet rationem termini effectus, vel causæ abstrahentis ab absoluto, vel relativo, &c. 126

Tertium argumentum principale ponitur.

Antequam ponamus hoc argumentum, supponamus in sententia Thomistica esse certum relationem specificari à termino formali, & omne specificativum debere esse prius specificato, quia est causa illius in sententia illorum, causa autem semper est prior suo effectu. 127

Tunc sic argumentor, ex communi illo proloquio, posito fundamento, & termino, consurgit relatio; sed relatio paternitatis est vera relatio: ergo relatio paternitatis resultat, posito fundamento, & termino eius: ergo relatio paternitatis terminatur ad absolutum, & non ad relationem formaliter, & immediate: probatur consequentia hæc vltima. Terminus, qui ponitur, vt consurgat relatio paternitatis, est prior ipsa relatione pater- 128

nitatis;sed relatio filiationis, quæ dicitur à Thomistis esse terminus paternitatis non est prior ipsa paternitate, & substantia genita absolute est prior illa: ergo substantia genita absoluta & non filiatio est, qua posita cum fundamento resultat paternitas: ergo substantia genita absoluta, & non filiatio est terminus formalis relationis paternitatis: minor illa sic probatur quoad secundam partem, quia ea quæ sunt simul, & resultant simul, non possunt habere prioritatem, & posterioritatem ad invicem: sed filiatio, & paternitas sunt simul; nam simul ac resultat paternitas in generante,resultat filiatio in genito,vt ipsi adversarij fatentur,& omnes sine controversia docent: ergo filiatio non potest esse prior paternitate,imo si aliqua ex illis relationibus posset esse prior,deberet esse non filiatio, sed paternitas. Itaque neque filiatio est prior paternitate, nec paternitas est prior filiatione, sed statim ac fluit generatio à generante in genitum sine vlla prioritate, aut posterioritate ratione eiusdem generationis,quæ extrinsece fluit ab agente, & intrinsece afficit genitum,resultant duæ relationes, alia patris in generante,alia Filij in genito simul; nec aliter potest res se habere, quia cum ratio resultantiæ harum relationum sit sola entitas generationis, & in illa indivisibili entitate generationis nulla detur prioritas, & posterioritas, quia in vna simplicissima formalitate nulla datur distinctio quæ requiritur ad prioritatem, & posterioritatem, inde evenit quod inter relationes quæ resultant in eodem instanti ratione eiusdem indivisibilis generationis nulla detur prioritas, & posterioritas, quia illa simplicissima formalitas generationis non est prius fluxus ab agente,quam sit productio termini, cum idem sit formalissime in tali actione sine vlla distinctione à parte rei ratio fluxus ab agente,& ratio productionis termini: ergo pro certissimo habendum est,filiationem non esse priorem paternitate,sed potius simul cum illa.

129 Quod autem esse genitum sit prius relatione paternitatis est manifestum (vnde erit manifesta prima pars illius minoris) nam quod est prius respectu alicuius est etiam prius respectu illius, quod est simul cum illo;sed genitum est prius filiatione, & filiatio est simul cum paternitate: ergo esse genitum est prius paternitate. Deinde, quia generatio, quæ constituit generans extrinsece, est quæ constituit genitum intrinsece;itaque generatio est, quæ formaliter constituit vtrumque,& in vtroque formaliter reduplicatur; vnde licet substantia generans sit prior natura substantia genita specificative, non tamen reduplicative generans vt generans est prius genito vt genito, neque genitum vt genitum est posterius generante vt generante reduplicative,& formaliter; alias in ipsa generatione,quæ reduplicatur, & quæ constituit generans vt generans, & genitum vt genitum daretur prioritas, & posterioritas, quod est absurdum, quia idem respectu sui ipsius non est prius, & posterius,alias idem distingueretur à seipso.Vnde procul dubio dicendum est simul constitui genitum vt genitum, & generans vt generans; sed generans vt generans est prius paternitate, quia est fundamentum proximum, seu ratio fundandi paternitatem, ac proinde est causa vt resultet paternitas in generante, & causa vt causa est prior suo effectu;ergo genitum vt genitum formaliter, & reduplicative est prius ipsa paternitate:ergo genitū vt genitum est terminus formalis paternitatis.

Respondent aliqui principium illud debere intelligi de termino terminante actualiter. 130

Sed contra,terminus dicitur terminans actualiter,quia relatio terminatur ad illum:ergo illa denominatio terminantis actualiter provenit ab ipsa relatione:ergo non est prior ipsa relatione,sed potius est posterior illa:ergo non præsupponitur ad illam, ac proinde falsum erit dicere, proloquium illud intelligi de termino actu terminante. 131

Confirmatur: Terminus terminans actualiter relationem,dicit duo, & denominationem terminantis, & rem ipsam, quæ denominatur terminans;de ipsa enim re quærimus, vtrum quatenus est prior ipsa denominatione actualiter terminantis sit relatio filiationis, an aliquod absolutum, scilicet esse genitum;sed non potest esse relatio filiationis: ergo est esse genitum absolutum, minor est manifesta ex supradictis, quia ipsa filiatio non est prior paternitate sed simul cum illa. 132

Secundo respondent alij, proloquium esse intelligendum de termino materiali,& remoto,non vero de termino formali. 133

Sed contra;quia terminus, qui debet præsupponi ante paternitatem est terminus, à quo specificatur paternitas;sed terminus à quo specificatur paternitas est terminus formalis, & non materialis,seu remotus,quia nulla relatio à termino materiali;sed à formali specificatur: ergo terminus formalis,est qui præsupponitur vt consurgat paternitas. Probatur maior; ideo ponitur prius terminus,vt consurgat relatio, quia terminus in sententia Thomistarum est causa essentialis relationis extrinseca;sed terminus qui est causa essentialis extrinseca relationis est terminus à quo specificatur relatio:ergo terminus à quo specificatur relatio,debet poni prius. Quod autem terminus à quo specificatur relatio, sit terminus formalis,vt patet ex dictis,est luce meridiana clarius;quia illud quod specificat, est quod dat esse essentiale,ac proinde esse formale,aut per modum formæ:ergo terminus,qui specificat,est formalis terminus; alias quod non est formale, daret esse formale,quod est contra illud axioma, nemo dat quod non habet,quod patet in exemplo manifesto sumpto ex obiectis potentiarum; nam in obiectis,quod specificat,est obiectum formale, non materiale,quia materiale est indifferens ad hanc, vel illam speciem, & sic indiget aliquo determinante;omne autem determinans est formale,quia imitatur naturam formæ:ergo terminus, qui specificat,non est terminus materialis, sed formalis, quia terminus materialis,v.g.entitas substantialis Petri est indifferens, vt terminet distinctas relationes specie: ergo indiget aliquo formaliter determinante, quod sit terminus formalis, quia terminus formalis in sententia adversariorum est ipsa relatio oppositа: ergo proloquium illud est intelligendum de termino formali. 134

Vt autem adversarij intelligant, quam consequenter nos procedimus in hac, & in prima sectione eodem proloquio vsi sumus ad probandam vtramque conclusionem, scilicet quod aliquæ relationes terminentur ad relativum, & aliæ ad absolutum,vt patet ex supra dictis;nam in relatione similitudinis,quæ resultat in vna paternitate respectu alterius paternitatis tenet proloquium, & etiam tenet in oppositione paternitatis respectu filiationis,& sic de cæteris,quia ille est terminus 135

formalis

formalis similitudinis paternitatis ad alteram paternitatem, & oppositionis paternitatis ad filiationem, quo posito cum paternitate simul est prius ipsa relatione similitudinis, & oppositionis, quæ resultat in paternitate; sed altera paternitas, & filiatio ponuntur simul, & sunt prius, quam relatio similitudinis, & oppositionis resultent in paternitate respectu paternitatis & filiationis, & ad positionem alterius paternitatis, & filiationis resultant duæ relationes in paternitate, alia similitudinis ad alteram paternitatem, alia oppositionis ad filiationem: ergo terminus formalis similitudinis, & oppositionis dictæ sunt paternitas, & filiatio; sed paternitas, & filiatio sunt relationes formaliter: ergo terminus formalis talium relationum sunt relationes formaliter: ecce quomodo ex illo principio, posito fundamento, & termino resultat relatio, tanquam ex prioribus causis talis relationis, concluditur nostra prima, & secunda conclusio.

SVBSECTIO IV.

Quartum argumentum principale ponitur.

135 IN vestra sententia vna relatio sufficit ad plures terminos, & ideo vna causa v. g. pater non respicit plures effectus, seu filios pluribus relationibus, sed potius vnica, & ideo asseritis vnum effectum vna relatione respicere plures causas, præcipue si sint subordinatæ illæ, vt creatura, & Deus v. g. dum concurrunt ad hominem producendum; ex quo sic argumentor, homo productus respicit vnica relatione indivisibili hominem, & Deum: sed illa vnica relatio terminatur ad absolutum respectu Dei, quia in Deo non est relatio, quæ possit terminare talem relationem creaturæ: ergo etiam terminatur ad absolutum respectu hominis generantis: pater hæc vltima consequentia, quia vna, & eadem relatio non potest habere terminos formales specie distinctos, alias eadem relatio specie reali à seipsa distingueretur; nam ideo per vos supra, maternitas Virginis distinguebatur specie, & essentialiter à cæteris relationibus maternitatis aliarum fœminarum, quia cæteræ relationes habent terminum formalem relativum, illa vero absolutum; sed hæc eadem relatio, quæ respicit Deum, & hominem generantem, habet terminum absolutum ex parte Dei, & relativum ex parte creaturæ: ergo eadem à seipsa distinguitur specie, & essentialiter à parte rei, quod est summum absurdum, aliàs esset, & non esset eadem simul.

136 Deinde, quia illa relatio non est libera, nec habet libertatem, vt vno modo respiciat hunc terminum, & alio modo illum; sed est forma naturalis, quæ semper eodem modo procedit, ac proinde ad terminum eiusdem rationis debet tendere, quia vnica essentia vnicum, & eodem modo specificativum debet habere, & non formaliter distincta specificativa; atqui relatio illa est vnica formalissime essentia, & terminus est specificativus illius essentialis ex alio capite absolutum, & relativum formaliter sunt termini formaliter, & specie distincti, vt vos asseritis: ergo non possunt esse simul absolutum, & respectivum terminus formalis talis relationis; ergo vel solum debet esse absolutum, vel relativum in omnibus, quæ terminant talem relationem; sed non est in omnibus relativum, vt patet in Deo: ergo in omnibus est absolutum.

Tandem, quia illa relatio perfectissime conser- 137
vatur habendo pro termino absolutum in Deo: ergo absolutum est terminus formalis illius, vnde, & specificativum illius essentiale, & formale, quia res non potest conservari sine suo formali, & essentiali specificativo, in ordine ad quod habet totum suum esse essentiale, ita vt si specificatum petat actu existens suum specificativum, sine illo actu existente non poterit conservari, vt in exemplo quod supra adduximus de actuali visione corporea patet, & in vnione evidentius liquet, nam vnio nullo modo potest existere à parte rei, quin vnibilia actu existant: ergo si actu conservatur illa relatio sine eo quod correspondeat ex parte Dei terminus relativus contenta solum esse absoluto Dei, illud absolutum Dei erit formalis terminus, ex quo evidenter sequitur, esse per accidens, quod ex parte alterius termini, scilicet hominis generantis, detur relatio paternitatis, & sic talis relatio non est formalis terminus, nec formaliter existit in generante vt terminet relationem geniti, sed solum vt hominem generantem referat ad genitum.

Vrgetur, quia si ibi relatio paternitatis est 138
formaliter terminus sine illa paternitate non posset conservari relatio filij in genito, vt patet ex supra dictis; sed hoc est falsum: ergo talis relatio paternitatis in generante non est terminus formalis relationis filiationis. Minor illa sic probatur, nam si per impossibile in homine generante impediretur relatio paternitatis, ita vt nulla daretur relatio paternitatis in generante, aut quia post eius resultantiam ipsam destrueret Deus, aut quia ipse sua potentia absolata impediret resultantiam paternitatis, conservata entitate absoluta generantis, sine dubio relatio filiationis, aut effectus ex parte geniti posset ad illum terminari: ergo signum est, illas duas relationes solum concomitanter se habere, & non per formalem terminationem vnius ad alteram; nam si Deus qui est alius terminus, & aliud extremum illius relationis licet talis naturæ sit, qui non possit fundare relationem, nihilominus apte, & recte terminat illam: ergo quacunque ratione contigerit, alterum extremum manere creatura nimirum cum entitate absoluta, & sine relatione paternitatis, nihilominus erit sufficiens ad terminandam relationem geniti aut producti, est enim eadem ratio, nam quod vnum fundamentum sit aptum, necne ad fundandam propriam relationem, est per accidens ad terminationem alterius; vnde si per intellectus præcisionem separetur relatio à tali extremo, intelligitur manere æque sufficiens, vt optime notat P. Suarez ad terminandam aliam relationem, ac illud extremum, quod non est capax relationis, Deus nimirum: ergo si absolutum sufficit in Deo, & non requiritur relatio ad terminandum relationem, signum evidens est in omnibus sufficere, imo solum illud esse formalem terminum, & ad terminationem per accidens esse relationem oppositam; nam conservato absoluto, datur terminatio licet non sit relatio, & destructo absoluto non datur relationis terminatio, licet conservaretur relatio, ad quod supponamus quoddam impossibile extrinsecum (quod à multis adversarijs non vt impossibile, sed vt certum admittitur de facto) nempe quod relatio filiationis, vel paternitatis, v. g. sit res, & distincta

à fundamento, subſtantia nimirum generante, quam vt ſic poteſt Deus ſeparare à ſuo fundamento, & ponere in ſubiecto extraneo, v. g. in arbore quod poſſe fieri convincunt, quod ex vna parte non ſit actus vitalis, & ex alia parte ſit res ſimpliciter, ſicut quantitas, quod ſeparata eſt in Euchariſtia divinitus à proprio ſubiecto, quia res eſt, & non modus.

139 Tunc autem genitum non poſſet referri ad arborem licet in arbore daretur paternitas, quia genitum non refertur, niſi ad cauſam, à qua proceſſit per originem viventis à vivente, &c. quia relatio vt ſupra diximus filij, aut effectus reſpicit terminum, à quo effectus dependet, & à quo accipit eſſe per dependentiam; vnde reſpicit extremum ſuæ dependentiæ; ſed licet arbor habeat relationem paternitatis, quæ erat in generante, nihilominus non eſt cauſa geniti, à qua proceſſit per originem viventis à vivente coniuncto, nec eſt extremum dependentiæ geniti à generante: ergo non eſt terminus relationis geniti; atqui talis relatio non poteſt eſſe ſine termino, vt patet ex terminis: ergo aliquis eſt terminus talis relationis, nempe qui fuerit cauſa, à qua accepit eſſe genitum per generationem, & quæ eſt extremum dependentiæ geniti; atqui homo generans eſt cauſa geniti, & eſt extremum dependentiæ geniti: ergo eſt terminus talis relationis, ſed non eſt terminus ex vi relationis paternitatis, quia iam ſupponimus talem paternitatem ſeparatam eſſe à generante, & poſitam eſſe arbore; ergo eſt terminus formalis ex vi ſubſtantiæ generantis abſolutæ.

140 Nec poteſt dici, relationem filiationis deſtrui in genito, nam relatio non deſtruitur in fundamento exiſtentibus fundamento, & ex parte termini omnibus perſeverantibus, quæ erant, quando reſultavit filiatio: itaque exiſtentibus, & perſeverantibus omnibus cauſis, & circunſtantijs cauſarum, à quibus fit, conſervatur effectus naturaliter; ſed in illo caſu conſervaretur eſſe genitum, quod eſt fundamentum filiationis ſubſtantia generans, & paternitas, etiamſi ſeparata ſit à generante: ergo non poteſt deſtrui talis filiatio.

141 Declaratur hoc alio modo: Deus producit lucem ſolus, v. g. in principio creationis mundi, imo poteſt de facto ſolus Deus producere lucem quam ſimul producit cum ſole, in eo autem caſu talis lux producta reſpiceret, ordinaretur que realiter ad Deum ſolum, tanquam ad producentem, eodem modo, quoad ſolem ordinaretur, ſi ab eo produceretur; ſed Deus terminat hanc relationem ſine propria vlla relatione reali, idque proprijſſime, & rigoroſiſſime, quia lux proprijſſime, & rigoroſiſſime dependet à Deo: ergo ſol producens ſine vlla relatione poteſt terminare relationem lucis productæ.

142 Dices, magnum eſſe diſcrimen, nam creatura eſt capax relationis, Deus autem eſt incapax, & ideo Deus non terminat relatione alteram quam neceſſario terminat relatione oppoſita creatura.

143 Contra, & ex hoc ipſo reſponſo ſic efformo argumentum; quia relatio eſſentialiter dependet à ſuo termino formali, quia eſt ſpecificativum eſſentiale illius, vnde nullo modo poteſt dari talis relatio ſine tali termino; ſicut intellectus non poteſt dari ſine intelligibili, &c. ſed talis relatio, (quæ eſt eiuſdem ſpeciei licet materialiter diſtinguatur numerice à relatione, qua lux producta ipſa referretur ad ſolem, & ad Deum in caſu in quo ab ipſis ſimul produceretur) quæ ſine ſuo formali termino nullo modo poteſt eſſe, ſufficienter conſervatur, & refertur ad Deum ſolum, vbi datur ſumma incapacitas relationis prædicamentalis: ergo ſignum evidens eſt, quod relatio, quæ deficit in Deo, non erat terminus formalis huius ſpecie relationis, alias non daretur talis relatio lucis productæ ad ſolum Deum incapacem relationis; nam ſi relatio eſſet terminus formalis, ac proinde requiſitus eſſentialiter, & formaliter ad illam relationem, talis relatio non eſſet in ordine ad Deum, in quo non datur capacitas habendi relationem, quæ per vos eſt ratio formalis terminandi, & ſine qua relatio eſſe non poteſt vllo modo; vnde ſi non obſtante tali incapacitate Dei datur, & terminatur illa relatio ad Deum, evidens eſt relationem effectus habere in Deo formalem terminum nempe abſolutum, & ſic relatio cauſæ non erit terminus formalis relationis effectus v. g. quia viſio corporea petit pro obiecto formali, ſeu termino ſuæ relationis tranſcendentalis lucem, & colorem viſibilitatem nimirum, & Deus eſt incapax talis viſibilitatis corporeæ, per conſequens eſt incapax viſio corporea vt terminetur ad Deum, ordinetur ad ipſum, reſpiciat, & videat illum propter incapacitatem habendi lucem, & colorem in ſeipſo, nam ſi viſio illa non poteſt eſſe ſine ſuo ſpecificativo viſibilitate nimirum, nec poteſt reſpicere i , quod non habet illud, & Deus non poteſt habere illud: ergo de primo ad vltimum talis viſio non poteſt reſpicere Deum propter incapacitatem ſuam; vnde ridiculum eſſet dicere, Deum videri per viſionem corpoream, ex eo quod Deus ſit incapax viſibilitatis, ratione cuius exiſtat ſine viſibilitate, non tamen poſſe videri hominem, quia habendo capacitatem ad habendam viſibilitatem non habet illam; ridiculum enim eſſet hoc, imo, vt conſequenter loquendum eſſet, deberent dicere, ſi talis viſio non poteſt videre hominem, quia non habet viſibilitatem, etiam ſi ſit capax illius, à fortiori repugnare illi, poſſe videre Deum qui nec habet viſibilitatem, nec eſt capax illius, ſed potius omnino repugnat illi, & è contra, ſi Deum videt talis viſio per impoſſibile, in quo deficit viſibilitas (propter omnimodam repugnantiã) à fortiori talem viſionem videre hominem, licet illi deficiat viſibilitas etiamſi deficiat, vel non deficiat propter incapacitatem, quo ſuppoſito evidenter ſequeretur, viſibilitatem non eſſe terminum formalem viſionis corporeæ, ſiquidem terminatur ad Deum, vbi nulla eſt viſibilitas corporea, quia ſine ratione formali alicuius non poteſt illud ſalvari, imo ſi eadem viſio corporea videret hominem, & Angelum cuſtodem, in quo nulla eſt viſibilitas, etiam ſi detur viſibilitas in homine, certe deberet dici viſibilitatem hominis exiſtentis prope Angelum viſum eſſe per accidens ad viſionem; ſiquidem per eandem viſionem videtur homo, & Angelus, vbi nulla eſt viſibilitas, nec capacitas ad illam, ſed eadem relatio terminatur ad hominem generantem, vbi datur paternitas, & ad Deum, vbi nulla eſt paternitatis relatio propter incapacitatem Dei: ergo evidenter ſequitur talem relationem filiationis non petere pro formali, eſſentiali, & neceſſario termino relationem paternitatis, quia ſi illam peteret, non poſſet terminare ad Deum, vbi nulla eſt relatio paternitatis, ſed ſolum terminaretur ad hominem, vbi datur illa, ſed vel

vna

vna, & eadem relatio terminatur ad Deum, & ad generantem vel relatio, quæ in luce terminatur ad Deum solum, quia solum producta est à Deo, est eiusdem speciei cum ea, quæ terminaretur ad solem producentem illam: ergo terminus formalis talium relationum eiusdem speciei non est relatio formaliter ex parte termini, quia non correspondet in Deo talis relatio: sed potius erit absolutum esse producentis, vt producentis formaliter (reduplicando supra actionem formalissime) quod est eiusdem rationis in Deo, & in sole, siquidem aut est eadem numero productio respectu Dei, & solis, aut est eiusdem speciei; quod autem relatio, qua lux producta à solo Deo, & relatio, qua lux producta à sole, & à Deo respicit solum Deum in primo casu, & Deum, & solem; in secundo casu sint eiusdem speciei formalissime, patet manifeste, quia quando rationes fundandi sunt eiusdem speciei, etiam relationes fundatæ in illis sunt eiusdem speciei; sed productio lucis à sole, & Deo, & productio eiusdem lucis à solo Deo, licet distinguantur realiter numerice, non distinguuntur formaliter, & specifice: ergo relationes, quæ fundantur in talibus productionibus ex parte lucis non distinguuntur specie: minor hæc est clara, quia productio seu actio specificatur formaliter à termino: vnde si terminus est idem formaliter licet agentia distinguantur maxime, productiones sunt eiusdem speciei; sed terminus productus à solo Deo est lux dependens à subiecto, & terminus productus à sole, & Deo est eadem lux dependens à subiecto: ergo productiones illæ sunt eiusdem speciei formaliter. Maior illa etiam est clara, quia relatio mensuratur, & proportionatur cum ratione fundandi propria quoad constitutionem, & distinctionem specificam, vt evidenti inductione supra probavi discurrendo per relationes vnionis, convenientiæ, & productionis; vnde relatio filij, quam dicit Petrus ad Paulum, & relatio filij, qua Franciscus respicit Didacum sunt eiusdem speciei, quia generationes, quibus illi generantur, & quæ sunt rationes fundandi talium relationum sunt eiusdem speciei, & ratio est, quia terminus formalis productionis est idem formaliter ac terminus relationis vt late supra demonstravi.

145 Hoc etiam totum potest alio exemplo declarari, nam si B. Virgo postquam genuit Christum Dominum genuisset alium hominem purum, ad duos illos filios per vos vnica relatione maternitatis referretur, quia multiplicatis terminis, non multiplicantur relationes paternitatis, aut maternitatis; atqui ambo illi termini convenirent in terminando formaliter illam relationem; item convenirent in habendo esse genitum absolutum, & non convenirent in habendo relationem filiationis; siquidem Christus non haberet illam: ergo ratio terminandi in illis formaliter, in qua convenirent, non est in illis ex vi relationis, sed potius ex vi geniti absoluti: patet hoc, quia quando multa conveniunt in aliquo prædicato, non datur illud prædicatum in illis ratione differentiæ: sed potius ratione communis formalitatis, vt v. g. quia equus, & homo conveniunt in ratione videndi, &c. tale prædicatum non convenit homini rationalitatis, per quam distinguitur homo ab equo: sed potius ratione animalis formalissime, in quo conveniunt, & sic de cæteris, in quo nulla est dubitatio; sed duo illi geniti à Virgine (per possibile, vel impossibile generarentur ab illa) convenirent in terminando relationem maternitatis: ergo talis ratio terminandi convenit illis, non propter relationem filiationis, quia in hoc differunt: sed potius propter esse genitum absolutum formalissime, in quo conveniunt.

SVBSECTIO V.

Quintum argumentum principale ponitur.

ALbedo refertur per similitudinem ad alte- 146
ram albedinem; sed non refertur per similitudinem ad relationem, quæ est in alia albedine; ergo non refertur ad relativum, sed ad absolutum formaliter: patet hæc consequentia, quia albedo vt albedo, ad quam refertur alia albedo per similitudinem, est absoluta formalitas, & relatio quæ est in ipsa albedine est formalitas relativa; sed similitudo albedinis refertur formaliter ad albedinem, & non ad relationem: ergo refertur, non ad relativum, sed ad absolutum formaliter. Minor illa sic probatur, quia vnum simile refertur per relationem similitudinis ad aliud, quod est eiusdem rationis cum illo, & convenit cum ipso in ratione qualitatis specificæ, & non ad terminum, qui est diversus ab ipso, & non est eiusdem speciei infimæ cum illo; vnde albedo non potest dicere relationem similitudinis ad nigredinem, nec calor ad frigiditatem, nec nigredo ad actionem, vbi, & cæteros modos, quia illa extrema non sunt eiusdem speciei infimæ; sed potius prima differunt specie intra qualitatem, & posteriora differunt non solum specie; sed plusquam genere, propter quam rationem frigiditas respicit calorem relatione dissimilitudinis, & nigredo figuram, actionem, & vbi relatione diversitatis, & disconvenientiæ, maxime enim diversa sunt res, & modi, qualitas, vbi & actio, siquidem ad diversa prædicamenta pertinent.

Tunc sic, albedo non est eiusdem speciei, nec 147
convenit in specie infima essentialiter cum relatione quæ est in altera albedine; sed potius disconvenit cum illa; ergo albedo non refertur ad illam formaliter per relationem similitudinis. Minor sic probatur, qualitas realis absoluta, & modus relativus formaliter nullo modo conveniunt in specifica ratione qualitatis: sed potius plusquam genere differunt, disconveniunt, & diversificantur maxime; sed albedo est entitas qualitativa absoluta realis, & relatio, quæ existit in alia albedine est modus relativus formaliter, & non absoluta entitas: ergo albedo, & relatio, quæ existit in alia albedine non sunt similia; sed potius dissimilia: ergo albedo non respicit talem relationem per relationem similitudinis; sed potius per relationem dissimilitudinis: ergo si albedo refertur per relationem similitudinis, debet referri ad alteram albedinem, quæ convenit cum illa in ratione qualitatis absolutæ specie, & essentialiter.

Declaratur hoc à contrario sensu, quia albe- 148
do refertur ad nigredinem relatione dissimilitudinis, quia nigredo disconvenit cum albedine: sed non disconvenit cum albedine in quantum nigredo habet relationem dissimilitudinis, & in quantum relativa est formaliter per relationem

dissimili

dissimilitudinis distinctam ex natura rei ab ipsa nigredine, sed in quantum nigredo est qualitas absoluta distincta essentialiter ab albedine, quatenus per differentiam essentialem constituitur in esse differentis specifice ab ipsa: ergo albedo non refertur ad relativum formaliter, sed ad absolutum: patet hæc consequentia, quia nigredo in tantum terminat relationem disconvenientiæ albedinis in quantum est qualitas absoluta distincta essentialiter à nigredine, & non in quantum dicit relationem disconvenientiæ; sed qualitas absoluta in quantum talis est terminus absolutus, & in quantum habet relationem, est terminus relativus: ergo albedo refertur ad nigredinem relatione dissimilitudinis, in quantum est absoluta & non in quantum est relativa, ac proinde terminus illius relationis erit absolutus formaliter, & non respectivus.

149 Maior illa prima iam sæpe satis probata est, quia dissimilitudinis relatio fundatur in disconvenientia duarum qualitatum; sicut relatio differentiæ inter substantias fundatur in disconvenientia substantiali, & ideo equus refertur ad hominem relatione differentiæ in quantum disconvenit essentialiter equus cum homine. Tandem vna quantitas dicit relationem inæqualitatis ad alteram, quia disconveniunt in magnitudine, & extensione mollis, & ideo vna quantitas refertur ad aliam minorem quantitatem relatione dissimilitudinis, aut inæqualitatis in quantum vna disconvenit cum altera: ergo in tantum albedo dicit relationem dissimilitudinis ad nigredinem, in quantum essentialiter disconvenit ab illa.

150 Minor prima, in qua est difficultas quoad primam partem sic probatur; quia ea quæ conveniunt in aliqua ratione, in ipsa non disconveniunt; sed albedo, & nigredo conveniunt in esse relativorum, & in habendo relationem dissimilitudinis; nam sicut albedo habet relationem dissimilitudinis ad nigredinem, ita similiter nigredo habet relationem dissimilitudinis ad albedinem; vnde licet in esse qualitatum diversarum specierum secundum prædicata absoluta expressa, videlicet secundum quod albedo est disgregativa visus, & nigredo est congregrativa visus disconveniant essentialiter, nihilominus in ratione relativi, & in ratione habendi relationes dissimilitudinis conveniunt: ergo in tali conceptu habendi relationem non disconveniunt. Secunda pars minoris luce ipsa meridiana clarior est; nam qualitates diversæ speciei, & oppositæ disconveniunt secundum quod tales qualitates absolutæ sunt: sed nigredo, & albedo vt sic sunt tales qualitates specie distinctæ, & oppositæ: ergo nigredo, & albedo secundum quod tales qualitates sunt, disconveniunt.

151 Tunc sic, contrariorum eadem est disciplina, & ratio; sed albedo dicit relationem dissimilitudinis ad absolutum nigredinis, quatenus distinguitur ab ipsa, & non ad relationem dissimilitudinis, quæ est in nigredine, quia propria dissimilitudo provt distinguitur à disconvenientia est inter duas qualitates: ergo è contra albedo dicit relationem similitudinis, quatenus absoluta est, non ad similitudinem, quæ est in alia albedine (quia illa non est entitas absoluta sed respectiva, ac proinde non est similis albedini, vt qualitas absoluta est, sed potius est in tali ratione disconveniens ipsi) sed ad entitatem absolutam albedinis, quia talis entitas absoluta albedinis est similis ipsi.

SVBSECTIO IV.

Sextum argumentum principale ponitur.

SExto efficaciter argumentor evertendo fundamentum oppositæ sententiæ, quod ad omnem relationem extendunt adversarij. 152

Fundamentum enim adversariorum est, quod omnis relatio mutua immediate, & formaliter per seipsam est opposita alteri relationi v. g. maternitas filiationi, ita vt idem sit formalissime in paternitate conceptus paternitatis, ac conceptus oppositionis; cum autem maternitas quatenus est opposita formaliter filiationi debeat immediate referri ad filiationem, inde est quod vt maternitas formaliter, & immediate debeat etiam referri ad filiationem, quod patet ex argumento oppositionis, quo vtitur P. Rubius pro sua conclusione. 153

Sed hoc fundamentum est omnino falsum: ergo falsum est dicere, quod maternitas immediate formaliter, & per se referatur ad filiationem. Minor hæc, in qua est tota difficultas, sic demonstratur, quia maternitas vt sic est vera paternitas, & nihilominus in suo conceptu formali non dicit oppositionem actualem, & formalem cum filiatione, quatenus relatio est formaliter: ergo distinctus conceptus est conceptus maternitatis à conceptu oppositionis formalis ad filiationem: probatur hæc consequentia, quia ea quæ separantur in aliquo, distinguuntur inter se; sed maternitas, & oppositio formalis immediata ad filiationem separantur in maternitate vt sic: ergo oppositio formalis, & ratio maternitatis distinguuntur formaliter inter se. Maior est evidens axioma in metaphysica, quia idem non potest separari à seipso, alias esset, & non esset idem; minor sic probatur: quia ea separantur in aliquo, quando vno existente in illo, alterum non existit in ipso; sed in maternitate vt sic datur ratio maternitatis, & non datur ratio oppositionis formalis immediata cum filiatione: ergo ratio maternitatis, & ratio oppositionis formalis, & immediatæ cum filiatione separantur in maternitate vt sic. Minor hæc sic patet: quia si in paternitate vt sic daretur oppositio formalis, & immediata ad filiationem, omnis & quæcunque relatio maternitatis haberet rationem formalem oppositionis; sed non omnis maternitas habet oppositionem formalem cum filiatione: ergo maternitas vt sic non habet in suo conceptu formali rationem oppositionis formalis cum filiatione. Maior est certa, quia quidquid convenit superiori, convenit omni contento sub illo secundum illud axioma, dici de omni: sed non omni maternitati convenit, &c. ergo. Minor illa sic probatur; quia maternitas Virginis est vera formalis, & essentialiter maternitas; atqui maternitas Virginis non habet oppositionem formalem, & immediatam cum filiatione: ergo non omni maternitati convenit ratio oppositionis formalis: minor hæc sic probatur; quia non datur oppositio immediata, & formalis ad filiationem, nisi quando ex parte termini maternitatis correspondet relatio filiationis; sed ex parte Christi non correspondet maternitati Virginis relatio filiationis: ergo maternitas 154

nitas Virginis non habet oppositionem formalem cum filiatione: ergo maternitati vt sic non convenit formalissime oppositio cum filiatione: ergo separantur in maternitate vt sic ratio maternitatis, & oppositionis: ergo ratio oppositionis, & maternitatis non sunt idem formaliter, an proinde licet oppositio relativa terminetur ad relativum, non ideo debet necessario colligi, ipsam maternitatem ad relationem terminari; sed potius debere terminari ad absolutum genitum, & idem argumentum potest fieri in relatione effectus vt sic convenientiæ, & disconvenientiæ quæ provt terminantur ad Deum, non correspondent illis aliæ relationes; vnde in ipsis ratio relationis identitatis convenientiæ effectus non est idem formalissime, quod relatio oppositionis formaliter cum alia relatione, siquidem in aliquibus salvatur realiter ratio convenientiæ, &c. sine oppositione formali ad aliam relationem, ac proinde in relatione convenientiæ, & effectus distinguuntur formaliter tales respectus: ergo ex eo quod oppositio terminetur ad relativum convenientia, disconvenientia, & relatio effectus nó debent terminari ad relativum. Ad hoc respondet P. Rubius *in Logica, q. 7. de relatione* §. Ad argumentum primæ opinionis, concedendo quod talibus relationibus sub ratione relationis vt sic, quæ est quasi genus ad relationes mutuas, & non mutuas non conveniat terminari ad relativum, convenire tamen illi ex eo quod sit relatio mutua.

155 Sed contra primo, nam relatio paternitatis, v. g. quæ mutua est, quatenus dicit coëxistentem relationem sibi oppositam, non habet differentiam essentialem, qua differat à non mutua: ergo quidquid convenit illi, vt dicit relationem alteram sibi coëxistentem, non est essentiale ipsi: sed oppositionem formalem actualem dicit, vt habet illam coëxistentem: ergo illa oppositio actualis, & formalis non est essentialis: ergo paternitas non refertur per suam entitatem, & essentiam immediate, & formaliter ad filiationem: sed potius ad genitum immediate, & formaliter, & mediate, remote, & accidentaliter ad filiationem, non per se; sed media oppositione formali, sibi superaddita à parte rei, & à se ipsa ex natura rei distincta. Vnde terminus formalis, essentialis, & immediatus paternitatis est absolutum genitum, & terminus formalis, immediatus, & essentialis filiationis non est paternitas: sed generans absolute; terminus autem oppositionis formalis immediatus erit paternitas respectu filiationis. Probatur Antecedens, quia nec relatio creaturæ habet aliquid minus essentiale, ex eo quod non coëxistat illi relatio creatoris, nec paternitas quidquam minus haberet entitatis, & essentiæ, si Deus impediret relationem filiationis, quia essentia simplex, vti est essentia relationis cum non habeat partes physicas, aut tota existit, aut nihil illius.

156 Tandem relatio definitur, quod est accidens, cuius totum suum esse est ad aliud; per illud aliud non semper intelligitur altera relatio, quia aliàs vel non daretur vnum supremum genus, sed duo; vel idem poneretur in sui definitione; item quia similitudo in communi non potest referri ad aliam relationem, quia aliàs referretur ad aliam similem, cum sit relatio æquiparantiæ: sed præter similitudinem in communi non est alia similitudo, cum sit ratio communis abstracta ab omnibus similitudinibus, aliàs darentur duæ similitudines vt sic, quod est inauditum, & absurdum maximum; nam vel secunda similitudo vt sic abstrahitur ab omnibus similitudinibus, vel non abstrahitur; si non abstrahitur: ergo non est similitudo vt sic, & sic non dabuntur duæ similitudines vt sic, sed vna sola; si abstrahitur ab omnibus: ergo ab eisdem abstrahitur, à quibus prima similitudo vt sic: ergo non est alia à prima similitudine vt sic; sed eadem, quia ab eisdem inferioribus non possunt duæ rationes superiores æquales abstrahi, quia abstracta prima, iam non remanet quid abstrahatur vt fiat secunda ratio communis, & sic non possunt dari duæ paternitates vt sic, nec duo accidentia vt sic, seu duæ substantiæ vt sic: ergo non potest dari duplex similitudo vt sic; ergo non omnis similitudo refertur necessario ad relationem; sed vna ad relationem, vt similitudo inter duas paternitates, & altera ad absolutum, vt similitudo inter duo alba: vnde similitudo vt sic refertur ad conveniens sibi provt abstrahit à relativo, & absoluto.

SVBSECTIO VII.

Vltimo probatur nostra sententia authoritate Aristotelis.

157 ARistoteles aperte docet, relationem sibi immediate oppositam, vt paternitatem, non referri immediate, & essentialiter ad filiationem, sed potius ad genitum absolutum; verba enim Aristotelis reperiuntur *lib. 5. met. cap. 15.* vbi docet clare, ideo visum non referri ad visibile sub hac formalitate, quatenus visibile constituitur ab ipso visu extrinsece sive in esse visibilis, sive in esse visi, quia committeretur in definitione illorum inutilis circulus, cui doctrinæ consentiens S. Thomas 1. *p. q. 25. art. 3.* docet, omnipotentiam Dei non recte definiri per creaturam eadem omnino ratione, quia esset inutilis circulus, in definitione, atque idemmet eodem prorsus modo esset si Pater referretur ad filium, & per illum definiretur; ergo si in visu, & intellectu, quia quibusdam dicuntur relativa tertij generis non mutua, putavit Aristoteles illud esse incommodum, idem in paternitate respectu filiationis existimari debuit; aut si in his nullum est, etiam nullum erit in intelligibili, & visibili respectu visus, & intellectus.

158 Deinde Aristoteles in prædicamentis, *cap. de relatione* nunquam dixit, proprium esse relativorum, vt non possit vnum cognosci, nisi cognito alio sub formali ratione relati; sed non posse relatum cognosci, nisi id ad quod refertur, cognoscatur, quod verissimum est de termino etiam absoluto, vt cognosci non possit relatum, nisi cognoscatur terminus ad quem est relatum, qua etiam ratione definiens Aristoteles, quod non tantum dicitur, sed est ad aliud non dicit relatum est, quod est ad aliud relatum: sed cuius totum esse est ad aliud; alias committeretur circulus vitiosus; nam si Pater ad filium referretur, & filius ad Patrem formaliter, sine dubio Pater per filium definiretur, & filius per patrem; vnde de primo ad vltimum patrem per se ipsum, & filium etiam per se ipsum definiremus, & sic definitio esset æque ignota, ac definitum, quod est absur-

dum. Probatur illud; nam si diceremus, quid est Pater? & responderemus, est habens filium, & quid est filius? est habens Patrem, sine dubio filius esset habens illum, qui habet filium, & sic idem per idem, dum vnum per aliud, & è contra definiretur.

159 Dices in absolutis esse absurdum circulum, non autem in relativis.

Sed contra evidenter, quia absurda, quæ sequuntur in circulo absolutorum sunt: primum
160 quod idem per idem definiatur: secundum, quod definitio sit æque obscura, ac definitum, quæ absurda sunt contra lumen naturale, & contra principia boni definiendi; sed eadem absurda, & inconvenientia sequuntur in relativis, ac in absolutis, & ideo huiusmodi circulus communiter appellatur vitiosus vt in omnibus vitium, & defectus illius ostendatur.

Deinde etiam in relativis incideremus in nu-
161 gationem repetendo definitum in definitione relativi, ponendo definitionem nominis positi in definitione loco ipsius nominis, hoc modo; pater est eius cuius est pater; si pater per filium definiretur; quod absurdum insinuat Aristoteles 5. *met. cap.* 5. vbi ostendens quo pacto quædam dicantur referri ad aliud, quia alia prius ad ipsa referantur, à quibus denominationem accipiunt, ita inquit; mensurabile, scibile, & intelligibile eo quod aliud ad illud dicitur, hoc est ideo hæc omnia relate dicuntur ad aliud, quia prius ad ea alia dicuntur, subdit rationem his verbis; nam intelligibile significat quod eius est intellectus: non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est, idem enim profecto bis dictum esset, quasi dicat, ideo vocatur aliquid intelligibile, quia circa illud versari potest intellectus', intellectus autem non refertur ad obiectum intelligibile quatenus intelligibile est ab intellectu, seu denominatur ab illo quia diceretur etiam referri ad id, cuius est intellectus, & sic idem bis diceretur, vnde daretur nugatoria repetitio.

Prosequitur idem Aristoteles alio exemplo,
162 hoc modo, similiter, & visus cuiusdam est visus, non cuius est visus, & si verum est hoc dicere, sed ad colorem, vel aliquid aliud tale, illo vero modo idem bis diceretur, quod visus est, cuius est visus.

Quare illis verbis cuius est visus non intelligit
163 Aristoteles subiectum visus vt falso interpretati sunt Commentator, & Alexander, quorsum enim disputans de his relativis, diceret non referri ad subiectum, quia idem bis, hoc est ad duo referretur? hoc enim non esset absurdum, vnde referri paternitatem ad fundamentum filiationis nullum est inconveniens, sicut nullum est absurdum, oppositionem formalem, & actualem fundatam in paternitate referri ad filiationem, quæ est fundamentum alterius relationis oppositionis, & ratio evidens est, quia fundamentum filiationis non definitur per paternitatem, quia est prius illa, ac proinde non dependet ab ipsa: nec in suo esse, nec in sui cognitione, potius enim paternitas dependet à tali fundamento filiationis, tam in suo esse, quam in sui cognitione; vnde si definiatur paternitas per illud, nullum sequetur inconveniens, quia illud fundamentum, quod est terminus paternitatis, iterum non definitur per paternitatem; sequerentur quidem maxima absurda, si iterum ipsum definiretur per paternitatem; nam primo idem bis diceretur: secundo, idem esset simul prius, & posterius respectu eiusdem: tertio daretur circulus vitiosus: quarto definitio eorum esset notum per ignotius explicare, quæ sunt summa absurda; attamen definire relationem patris per genitum, quod est prius illa, & à quo dependet paternitas, & in eo sistere definitionem, nihil reperio inconvenientis; sicut nihil absurdi adfert secum, definire oppositionem formalem fundatam in paternitate per filiationem priorem natura ipsa oppositione, terminumque formalem suæ dependentiæ, cum talis filiatio nequaquam iterum definiatur per oppositionem, esset vero sine dubitatione magnus defectus, vt dixi, si oppositio, & filiatio essent simul natura, quia simul resultarent (sicut paternitas, & filiatio simul natura sunt, propter simultaneam resultantiam vtriusque) & hæc per illam, & è contra definiretur, quare istam definitionem non damnavit Aristoteles vt vitiosam, quia hoc ad rem facere non videbatur.

Intelligit igitur Aristoteles illis verbis visi- 164
bile, aut intelligibile, (quod subiectum, circa quod dicitur) sub denominatione extrinseca ab ipsa visione proveniente sive hæc sit denominatio visi sive visibilis vt multi asserunt, & ita ait, visus dicitur ad aliquid, non ad id, cuius est visus, id est ad id, quod formaliter constituitur à visu, & ideo dependet ab illo in esse, & cognosci, ac proinde iterum necessario definiendum est per illud v.g. si visus per visum, vel per visibile extrinsece denominatum à visione definiretur; nam si definiatur visus seu visio per ordinem ad visibile, & intellectio per intelligibile, non vt denominantur, & constituuntur in esse visibilis, & intelligibilis, sed potius vt supponuntur in esse obiectivo secundum non repugnantiam, & veritatem transcendentalem entis, quod potest facere existimationem sui, & secundum quod visibile est aut lux sola, aut color imbutus luce, & illuminatus ab ipsa, nullum inconveniens sequetur ex tali modo definiendi; è contra vero sequerentur inconvenientia dicta, & sic bis diceretur per repetitionem eiusdem definiti in definitione.

Addit, vel quid aliud, confirmando id, quod 165
dicimus, vt lucem comprehendat, & colorem in definitione visi sine vllo inconvenienti, quod aliter eveniret si visum per visibile, vt constituitur à visione definiretur; quod autem in hoc sensu loquatur de visibili, & intelligibili, patet manifestè; siquidem Philosophus probat, visibile, & intelligibile dici à visu, & ab intellectu, quia visus, & intellectus referuntur ad res, quæ taliter denominantur ratione talis terminationis ad ipsas.

Adiecit autem per parentheſim, & si verum est 166
hoc dicere, quia vere dicimus visus est ad visibile, vt non repugnans, & quatenus præsupponitur ad omnem denominationem acceptam ab ipsa visione; quibus verbis vitare contendit inconvenientia dicta supra, & quamvis verè dicamus vnum relatum esse alterius relati, vt dimidium dupli dimidium, & pater filij pater, nihilominus nobis non recte ignotescit natura relati talibus modis loquendi, quare licet vulgariter illis modis vtamur, dum tamen rectis, & Philosophicis definitionibus nobis explicanda est natura relati, funditus debemus illos destruere, ne puerilem nugationem committamus, & ita mathematici non definiunt dimidium hoc modo, quod est dupli dimidium; sed ita, quod bis sumptum reddit totum,

totum quod nobis docuit Aristoteles *5. met. c. 12.* vbi definiens potentiam activam, non per passivam, quæ est correlativa: sed potius hoc modo definitionem tradit, principium transmutativum in altero, provt alterum est; ecce quomodo non dixit, esse transmutativum principium transmutabilis vt transmutabile est: sed in altero provt alterum est: sic etiam Pater non recte definitur, qui habet filium, quia rursus dicere deberemus, filium esse, qui habet Patrem, & ita æque ignotum vnum, atque alterum post definitionem maneret: sed dicere debemus, Pater est vivens quod produxit aliud vivens in similitudinem naturæ à principio coniuncto; sic enim vtimur definitione quoque generationis, quæ non traditur per ordinem ad genitum, sed ad substantiam absolutam; si autem in ordine ad genitum daretur definitio hoc modo, est productio geniti, ridicula esset definitio, nec naturam illius explicaret, cumque eodem modo referatur generatio, & Pater, si generatio refertur ad absolutum, vt sine dubio refertur, vt patet ex supradictis, & per illud definitur; ergo evidenter sequitur, idem dicendum esse secundum mentem Aristotelis de Patre, & his probata manet hæc nostra secunda conclusio.

168 Vt autem ex ipso Aristotele, prima nostra conclusio demonstretur (contra P. Vasquez, qui vtitur loco Aristotelis ad probandum nullam relationem posse terminari ad aliam relationem, sed omnes referri necessario ad absolutum,) verba P. Vasquez hæc sunt *tom. 2. 1. p. disp. 159. cap. 6. §. ego.* ego quidem fateor relatum in creaturis nullum referri formaliter ad aliud relatum, sed ad absolutum, idque mihi suadeo ex Arist. *lib. 5. met. cap. 15. &c.* in medium adduco Aristotelem *lib. 2. Elenc. cap. 6. nam. 1. lib. cap. 3.* difficultatem proposuit in hunc modum; si nihil refert loco nominis ponere orationem, hoc est explicationem eius, facile homines cogentur nugari, hoc est idem bis inaniter repetere; cum enim duplum explicatum per orationem idem sit, quod simpli duplum, si dicat aliquis, simpli duplum idem erit ac si dicat, simpli simpli duplum, accipiendo pro illo vocabulo duplum, (quod erat in priori oratione) definitionem illius nempe simpli duplum, & si iterum pro duplo, quod erat in ea posteriori oratione, simpli duplum ponas eius definitionem dicere poteris, simpli simpli simpli duplum.

169 Huic obiectioni respondet Aristoteles *in eo 2. lib. cap. 6.* obscuris admodum, & confusis verbis, ex quibus quasi ex nuce maxime clausa hoc nucleum possumus eruere, & educere, nempe hæc nomine ad aliquid relata non significare idem coniunctum, atque separata, eo quod separata à termino relato significant, aut explicantur per orationem, in qua ponitur terminus relatus, vt cum dicimus duplum est simpli duplum, sed cum ponuntur in oratione simul cum termino relato, non significant, hoc est non debent eodem modo explicari, addito iterum termino relato; quare duplum positum in oratione cum simplo, vt dicimus duplum simpli, non debet iterum explicari per simplum, dicendo est simpli simpli duplum, sed potius debere explicari per fundamentum alterius relationis prius ambabus relationibus: ergo eodem modo dicere possumus, etiam si vnum relatum definiatur per aliud relatum, vt pater per filium loco relati positi in definitione non licere ponere definitionem eius, quatenus relatum est formaliter, quia posita vere in nugationem incideremus, eo quod licet illud relatum per se sumptum explicetur per aliud relatum simul natura cum ipso, positum tamen in definitione, & coniunctum cum alijs non possit per relatum aliud specificative sumptum addit Aristoteles, quare relatum ad aliud prius causa certe relatum referri, definire quidem sine nugatione contingit.

Ecce quomodo Aristoteles absolute docet, non 170
debere vnum relativum per alterum sibi simul relativum definiri, quia non refertur ad illud, sed potius definiendum esse vnum relativum per id quod est prius natura se in altero relativo: vnde licet patrem formaliter, vt patrem non possimus definire per filium formaliter vt filium, nihilominus possumus definire per substantiam genitam; quia talis substantia est prius natura paternitate, & est causa specificativa paternitatis, quæ iterum non definitur per paternitatem, ac proinde sine nugatione in eo casu definietur paternitas: addit Aristoteles vt constat ex verbis nuper adductis, hoc etiam posse contingere, hoc est posse definiri vnam relationem per alteram relationem, si altera relatio, per quam definitur hæc non sit simul natura cum illa, sed potius prior relatione definita, ex eo quod talis relatio sit terminus alterius relationis definitæ, ex cuius positione cum fundamento illius resultat relatio, vt videre est in hoc exemplo manifesto, licet enim paternitatem non possim definire per filiationem, nihilominus relationem oppositionis, quæ fundatur in paternitate optime possumus definire per filiationem, dicendo, oppositio est repugnantia formalis paternitatis respectu filiationis; sicut etiam possumus definire similitudinem quæ datur in paternitate respectu alterius paternitatis non per alteram similitudinem (quæ existit in altera paternitate, quia ibidem vitium committeremus, propter rationes dictas) sed per alteram paternitatem, quæ est terminus formalis illius, & causa specificativa eiusdem, dicendo est convenientia formalis vnius relationis paternitatis cum altera paternitate, quatenus ambæ sunt rationes referendi generantem ad genitum, quæ definitio nullum nugationis peccatum, aut circuli, & inutilis repetitionis committit; quia iterum paternitas, & filiatio, per quas definiuntur similitudo, & oppositio paternitatis, non definiuntur per oppositionem, & similitudinem dictas.

Itaque Aristoteles quando in primis verbis à 171
nobis adductis ex *5. met. & ex cap. ad aliquid* negat, relationem definiri per alteram non negavit vniversaliter vt falso asserunt adversarij aliquam relationem posse definiri per alteram; siquidem in secundis verbis adductis *ex 2. lib. Elenc. cap. 3. & 6.* evidenter colligitur, vnam relationem posse definiri per alteram; solum enim docuit duas relationes simultaneè resultantes, & quæ simul natura sunt, non posse vnam per aliam definiri, vt paternitatem per filiationem, & filiationem per paternitatem, quia committerentur absurda dicta; quod autem vna relatio definiatur per alteram, quę est prior natura se, & terminus ipsius omnino independens in suo esse, & in sui cognitione à relatione definita non solum non negavit Aristoteles, sed etiam clarissime docuit, & demonstravit, vt patet ex adductis à nobis, ex quibus concludo manifeste, & aperte vtramque nostram conclusionem docuisse Aristotelem.

SECTIO III.

Nostra vltima conclusio ponitur.

172 TErtia conclusio:falsa est opinio Caietani asserentis , relationes non mutuas v.g.creaturæ ad creatorem,& scientiæ ad scibile,si illud sit in se absolutum;nam de relatione scientiæ ad relationem loquendum est iuxta primam omnium conclusionem , nec enim de his vltimis loquitur Caietanus ; terminari ad relativum formaliter hæc est iam sine controversia communis doctrina inter Neotericos sapientissimos , quam docet expresse D.Thomas 2. *contra Gent. cap.* 13. vbi ex professo probat,relationes creaturarum ad Deum non referri ad aliquas relationes, aut quæ sint in Deo , quia nullas concedit D. Thomas in ipso, aut extra Deum existentes , à quibus extrinsece denominetur, & per quas Deus referatur ad creaturas;cum autem inter creaturas,& Deum sit relatio non mutua si vera esset Caietani sententia, etiã Deus referretur realiter ad creaturas;vnde in ratione secunda expresse sumit D. Thomas principium contrarium interpretationi Caietani , scilicet à relatione nullo modo denominari subiectum;neque extrinsece, neque intrinsece,si relatio exterius existat;vnde concludit D.Thomas,quod advertit Ferrariensis , nullam denominationem oriri à relatione posse , nisi relatio intrinsece sit in denominato , quia nulla datur propria denominatio relativa extrinseca, in quo differt forma relativa ab absoluta;nam absoluta potest tum extrinsece tum intrinsece denominare;relativa vero nullo modo denominat extrinsece , sed solum intrinsece;& sic non denominat existendo extra denominatum,sed potius inhærendo illi.

SVBSECTIO I.

Prima ratio proponitur.

173 QVia relatio debet habere pro termino formali entitatem actu existentẽ;sed in relativis non mutuis , aut vt melius loquar relativa non mutua, vt patet ex ipso vocabulo,non mutui,non habent pro termino relationem actu existentem: ergo terminus relationis non mutuæ est absolutus , & non respectivus formaliter ; v. g. relatio creaturæ non habet pro termino alteram relationem,sed potius esse absolutum Dei ; quia ex parte Dei,& in ipso Deo nulla actu existit à parte rei relatio prædicamentalis, vt ipse Caietanus docet,& ideo talem relationem non mutuam appellat.

174 Respondet Caietanus,creaturæ relationem terminari , non ad relationem existentem Deo , sed potius existentem in ipsa creatura.

175 Sed cõtra primo evidenter,quia vel illa relatio, quæ est terminus relationis creaturæ est eadẽ ipsa relatio,itavt relatio creaturæ ad seipsam terminetur,& in tali relatione sint idem formalissime terminus,& ipsa relatio;vel non est eadem , sed distincta relatio , quæ terminat ab ea quæ refertur; sed nec primum nec secundum potest esse : ergo minime relatio creaturæ terminatur ad relationem eo modo quo male intelligit Caietanus.

176 Minor quoad primam partem sic probatur; quia omnis relatio distinguitur realiter à suo termino formali : ergo relatio creaturæ non potest esse terminus sui ipsius:antecedẽs est manifestum, nam inter relationem,& terminum formalem datur oppositio realis;oppositio autem dicit necessario distinctionem à parte rei, quod patet in divinis,vbi non datur distinctio realis nisi ratione oppositionis relativæ;omnia enim in divinis sunt vnum,vbi non obviat relationis oppositio : ergo omnis relatio distinguitur à parte rei à termino formali:ergo terminus relationis creaturæ non est ipsa relatio, aliàs idem sibi ipsi opponeretur realiter , ac proinde à seipso realiter distingueretur; secunda pars minoris sic probatur ab incommodo,& inconvenienti,(quod maxime abhorret Caietanus,non solum in absolutis sed etiam in relativis,)scilicet ex processu in infinitum ; nam si est alia relatio terminus, illa etiam relatio debet habere terminum distinctum, & actu existentem de quo interrogo , an sit eadem ipsa relatio , an alia distincta ? non eadem,vt nuper manet probatum, non alia;nam de illa alia iterum interrogo,quis sit terminus illius?an ipsa,an alia , & de alia eadem redit interrogatio , & sic procedetur in infinitum.

Secundo,quia ex hac sententia sequitur, Deum 177 nullo modo esse terminum illius relationis,ac proinde illa relatio non erit creaturæ ad Creatorem, sed creaturæ ad seipsam,& sic erit relatio creaturæ ad Deum,vt supponitur , & non relatio creaturæ ad Deum;vnde idem erit , & non erit simul; probatur quod non sit relatio creaturę ad Deum, nec quod Deus sit terminus illius ; quia si Deus esset terminus illius relationis , Deus deberet terminare illam relationem, vel secundum suam entitatem,vel secundum aliquid in sua entitate existens,v.g.album est terminus relationis similitudinis alterius albi, quia vel terminat illam relationem secundum propriam entitatem,vel secundum relationem existentem in ipso albo,aliàs si secundum nihil sui,vel in se existens terminaret,minime esset terminus relationis , vt in divinis patet; nam si Pater æternus non terminaret relationem Spiritus sancti,aut secundum paternitatem,aut secundum spirationem activam , ac tandem secundum nihil sui,non posset cum veritate dici Patrem æternum esse terminum illius relationis, neque Spiritum sanctum referri ad Patrem æternum , vt autem Spiritus sanctus referatur ad Patrem, & ad Filium,necesse est vt Pater,& Filius terminent talem relationem secundum aliquid sui , quia si secundum nihil sui terminant:ergo non terminant, Cur enim relatio similitudinis equi ad equum non terminatur ad Caietanum?certe non ob aliam rationem,nisi quia Caietanus secundum nihil sui terminat illam;hæc est bruralitas in Caietano , vt in altero equo,ratione cuius possit terminare relationem identitatis specificæ equi : ergo similiter Deus minime erit terminus relationis creaturæ, siquidem non terminat illam secundum aliquid sui,cum potius creatura distincta , & alia realiter à Deo terminet illam.

Quis enim etiam amens poterit dicere, homi- 178 nem terminare relationem spirationis divini , aut paternitatis naturalis increatæ, ex eo quod Spiritus sanctus terminet primam relationem, & Verbum divinum distinctum realiter à creatura terminet relationem paternitatis naturalis increatæ certe nulla est alia ratio , nisi quia Verbum divinum non est entitas mea , sed potius quid distinctum omnino à me;sed relatio, quæ est in creatura distinguitur realiter à Deo,& minime est Deus,

neque

neque talis relatio est in Deo, nec pertinet ad Deum, tanquam id quod existit in ipso, vt possit terminare talem relationem: ergo ex eo quod relatio creaturæ terminetur ad seipsam, aut ad aliam relationem etiam existentem in creatura non potest dici terminari ad Deum, quia Deus non est creatura, quæ terminat, sed potius quid omnino distinctum à creatura terminante, ac proinde Deus secundum nihil sui terminat talem relationem, ac proinde nullo modo terminabit illam: ergo falsa est solutio Caietani, quod evidenter sic convincitur.

179 Quia nullo modo potest dici, cognitionem reflexam per quam intellectus se cognoscit esse cognitionem Dei, vel cognitionem intellectus ad Deum aut scientiæ ad ipsum Deum, ex eo quod scientia reflexe se cognoscat, nec potest vllo modo asseri, referri scientiam per cognitionem reflexam ad Deum, tanquam per relationem transcendentalem, & ratio evidens est; quia talis cognitio reflexa non respicit Deum, quia respicit scientiam, quæ non est Deus; sed etiam relatio creaturæ non respicit Deum, sed vel seipsam, vel aliam relationem existentem in ipsa creatura: ergo talis relatio non est creaturæ ad Deum; patet minor, quia nihil aliud respicit relatio nisi id, quod est terminus formalis illius, & ideo asserunt adversarij, paternitatem respicere formaliter filiationem, & non scientiam, aut arborem; quia sola filiatio est terminus formalis paternitatis, & non arbor aut paries; sed relatio creaturæ non habet pro termino formali Deum, sed relationem creatam, quæ minime est Deus, nec in Deo existit, & sic asserunt ipsi, terminari ipsam relationem creaturæ ad relationem existentem in creatura ipsa: ergo talis relatio non respicit vt quo Deum, nec refertur vt quo, aut tendit ad ipsum: ergo non est respectus, nec relatio, aut tendentia ad ipsum, vt ex ipsis terminis liquido, & evidenter patet; quia id est respectus, tendentia, & relatio quod respicit, tendit, & refertur vt quo, & illa est relatio ad aliquem, quæ tendit ad illum vt quo; sicut illa est productio hominis, & non equi, quæ producit vt quo hominem, & non equum sed illa relatio, licet respiciat vt quo, non respicit esse Dei, sed relationem creatam: ergo non est relatio ad Deum, sed ad relationem creatam: ergo Deus nullo modo est terminus talis relationis.

180 Dices, Deum esse terminum per denominationem quandam extrinsecam, atque adeo per aliquid existens in alio intrinsece, & extrinsece denominans ipsum Deum, quod est relatio existens in ipsa creatura.

181 Sed contra, quia omnis forma denominans extrinsece aliquod subiectum debet terminari ad illud, saltim extrinsece; sed nulla relatio existens in scientia terminatur ad scibile, neque existens in creatura terminatur ad creatorem saltem extrinsece: ergo non denominat illud extrinsece; (loquor enim de forma relativa, sive transcendentaliter sive prædicamentaliter, extrinsece denominante) maior est certissima; nam ideo cognitio denominat extrinsece cognitum obiectum, quia saltem extrinsece terminatur ad illud, & respicit ipsum, & actio denominat agens extrinsece, quia actio extrinsece transcendentaliter terminatur ad agens, & relatio paternitatis creatæ extrinsece denominat in vestra sententia, & in omnium proprium terminum in esse actualiter terminantis, quia actualiter extrinsece terminatur ad illum, alias non esset ratio certa ad discernendum, cur hæc forma relativa denominat extrinsece hoc potius subiectum quam illud; vnde si non terminatur ad illud extrinsece nulla erit ratio cur extrinsece denominet illud; sicut maxima est ratio vt denominet extrinsece subiectum ad quod extrinsece terminatur, & refertur, synonima enim sunt referre, & terminari extrinsece ad aliquem: minor est certissima in sententia Caietani, quia si aliqua relatio creaturæ extrinsece terminaretur, & referretur ad esse increatum Dei, referretur ad esse absolutum, & non ad relativum, siquidem esse increatum Dei est absolutum, & non relativum per vos; vnde iam relatio non mutua non terminaretur, nec referretur ad relativum; sed ad absolutum, & ideo chimærizavit dicendo, talem relationem non mutuam non terminari ad esse increatum Dei, sed ad esse creatum relationis existentis in creatura.

Evidenter hoc totum convincitur, quia omnis forma quæ denominat subiectum, debet aliquomodo pertinere ad ipsum, & secundum aliquod prædicatum proprium ei convenire, sive extrinsece, sive intrinsece, alias si nullo modo talis forma pertinet ad illud subiectum, nec vllo modo illi correspondet secundum aliquid sui nullo modo potest denominare illud, nec causare in illo effectum formalem denominationis, vt videre est in anima rationali, quæ nullo modo denominat parietem, quia nullo modo pertinet ad parietem, aut convenit illi, aut extrinsece, aut intrinsece, & cognitio solius Leonis nullo modo denominat extrinsece Angelum, quia nullo modo extrinsece pertinet ad Angelum per terminationem, & tendentiam; quod per omnes formas discurrenti liquidius, & evidentius patebit, quam lux meridiana oculis: sed relatio illa vt à te ponitur, nullo modo pertinet ad Deum, neque extrinsece, neque intrinsece: ergo nullo modo denominat Deum extrinsece, &c. Minor hæc sic demonstratur, quia in relatione solum duo reperiuntur, id est formalitas, In, & formalitas, ad; sed formalitas in, in relatione solum correspondet subiecto, in quo talis relatio intrinsece est, & inhæret vt de se patet in omni relatione: vnde paternitas pertinet solum ad generantem per formalitatem, In, quia solum in generante intrinsece est, & inhæret paternitas; sed relatio creata, quæ terminat relationem creaturæ nullo modo intrinsece existit in Deo, quia quidquid in Deo est, Deus est, & vos ipsi dicitis in Deo non dari relationem: ergo secundum esse, In, nullo modo pertinet relatio creata ad Deum, ac proinde secundum esse, In, nullo modo potest denominare Deum in esse actu terminantis.

182

183 Formalitas ad, relationis solum convenit relationi in ordine ad aliquod subiectum, ad quod tendit, & ad quod terminatur talis relatio, & quod est terminus tendentiæ, & respectus relationis, vt ex ipsis terminis patet; sed relatio creaturæ non terminatur ad Deum, quia esse Dei est absolutum, & non relatio; sed terminatur, & respicit, ac refertur ad relationem existentem in creatura: ergo relatio secundum esse, Ad, nullo modo pertinet ad Deum extrinsece: ergo nihil est in relatione, quod possit denominare vllo modo Deum, ac proinde Deus nullo modo dicitur terminare relationem, ex eo quod relatio quæ minime est Deus, ac proinde non est in Deo: sed

extra Deum, & quæ minime pertinet ad Deum terminet relationem, quæ est in creatura.

184 Efficacius vrgetur, quia relatio quæ terminat aliam relationem, extrinsece denominatur à relatione tendente ad ipsam; vnde actu terminare in relatione, quæ terminus est; est extrinseca denominatio, & concretum resultans ex illa est extrinsece denominatum; sed vna extrinseca denominatio physica, & realis non potest denominare aliud à parte rei tale, alias posset dari processus in infinitum; nam illud aliud posset denominare aliud, & illud aliud, & sic in infinitum, quia non est maior ratio vnius quam alterius, & exemplis manifestis demonstratur; nam licet visio denominet obiectum sive proximum, sive remotum, sive mediatum, sive immediatum in esse visi extrinseci, nihilominus ipsum obiectum visum, & quod extrinsece denominatur à visione, non denominat aliud extrinsece visum, quia alias esset visum ab obiecto quod non videt, cum non possit denominari à potentia videnti, siquidem solum videt obiectum, quod ipsa denominat in esse visi, vnde esset visum, & non visum illud alterum denominatum quod est maximum inconveniens: ergo pro certissimo habendum est, nullum denominatum extrinsece per physicam, & realem denominationem posse denominare aliud, etiam extrinsece tale; sed relatio existens extra Deum in creatura extrinsece denominatur in esse actu terminantis à relatione, quæ refertur extrinsece ad illam: ergo illa iterum non potest denominare Deum extrinsece terminantem: ergo Deus ratione relationis existentis in creatura, & terminantis aliam existentem in creatura, non potest extrinsece denominari actu terminans relationem creaturæ.

185 Dices, Deum non esse terminum formalem, & immediatum talis relationis, sed materialem, & mediatum.

186 Sed contra manifeste, quia ille est terminus materialis, & mediatus relationis oppositæ, quod est fundamentum relationis terminantis illam formaliter, & immediate; ideo enim dicitis, genitum esse terminum materialem, & mediatum respectu paternitatis, quia est fundamentum, & subiectum relationis filiationis, quæ terminat immediate, & formaliter paternitatem, & idem est de cæteris, vt discurrenti per illas liquefiet; sed Deus non est subiectum, & fundamentum, in quo existit relatio prædicamentalis quæ terminat relationem creaturæ; (Deus enim nullam relationem prædicamentalem fundat in se, vt ex terminis patet suppositis in quæstione contra Caietanum) est autem fundamentum talis relationis terminantis aliam, ipsa substantia creaturæ, in qua fundatur immediate, & proxime, vtraque relatio referens, & terminans: ergo nullo modo erit Deus terminus materialis, mediatus, & remotus relationis creaturæ, sed potius talis erit ipsa substantia creaturæ, ac proinde talis relatio non erit creaturæ ad Deum vllo modo, nec immediate, nec mediate, nec formaliter, nec materialiter, sed potius creaturæ ad seipsam; vnde erit, & non erit ad Deum, quod summum absurdum, & impossibile iudicat evidentissimum illud metaphysicæ axioma, impossibile est idem simul esse, & non esse.

187 Præterea per id debet terminare Deus relationem creaturæ, per quod causat Deus creaturam, quia talis relatio creaturæ est relatio effectus ad causam; sed Deus non creavit, produxit, causavit, aut effecit creat puramet relationem existentem in creatura, sed per omnipotentiam absolutam suam: ergo non per relationem existentem in creatura, sed per absolutam omnipotentiam terminat relationem creaturæ: ergo terminus illius non est relatio, sed absolutum.

SVBSECTIO II.

Alia argumenta contra Caietanum ponuntur.

188 SEcundo sic argumentor contra Caietanum, qui asserit, scibile referri realiter ad scientiam per relationē existentem in scientia, ac proinde per ipsam terminare relationem scientiæ; tunc sic, eadem numero forma non potest dare effectum formalem oppositis subiectis; sed fundamentum, & terminus sunt opposita subiecta: ergo eadem forma relationis non poterit referre fundamentum, & terminum; sed scientia est fundamentum, & scibile terminus: ergo eadem relatio existens in scientia non potest referre scientiam, & scibile quæ sunt opposita inter se.

189 Vrgetur, vna forma non potest dare alteri sibi oppositæ effectum formalem primarium, quem in se continet expresse, & formaliter; v. g. albedo non potest denominare nigredinem albam, nec constituere illam in esse albæ formaliter, neque calor potest constituere frigiditatem calidam, & lux tenebras lucidas, hoc enim solum communicat proprio subiecto, in quo est, licet oppositio possit communicare alteram denominationem similem, aut dissimilem illi, vt visio non potest communicare obiecto, in quo non est, denominationem primariam quam habet, & continet vt quo, videntis nimirum, licet illi communicet denominationem visi; itaque certissimum est, & in hoc sensu loquor formam non posse communicare alteri opposito denominationem primariam, & formalem quam communicat proprio subiecto, in quo est: sed relatio quæ est in scientia opponitur scibili tanquam termino: ergo non potest illi tribuere denominationem, quam præbet scientiæ, in qua est: sed hæc denominatio est relati respicientis, & tendentis per illam: ergo non potest præbere hanc denominationem scibili: ergo scibile non refertur per relationem, quæ est in scientia, nec respicit, & tendit per illam, licet denominetur à tali relatione extrinsece in esse terminantis: ergo falsum est dicere, scibile terminare per relationem scientiæ formaliter ipsam relationem scientiæ, quia non solum per illam refertur scientia ad scibile, sed etiam scibile ad scientiam.

189 Tertio principaliter sic argumentor, quia tota relatio tertij generis est mensurabilis ad mensuram, itavt ratio essentialis fundandi, & quæ nullo modo potest suppleri in hoc genere relationis est mensuratio, specificatio, & dependentia, quam habet mensurabile à mensura, itavt si non detur illa in aliquo subiecto, nullo modo possit dari in illo subiecto relatio tertij generis; sicut relatio secundi generis effectus à causa petit necessario dependentiam illius à causa pro ratione fundandi; sed in mensura respectu mensurabilis nulla datur dependentia, mensuratio, & specificatio respectu mensurabilis; quia licet mensurabile dependeat à mensura, mēsuretur ab illa, & specificetur ab ipsa, nihilominus certissimum est, mensuram non posse specificari à mensurabili, nec dependere, aut posse

mensurari

mensurari ab illo, ac proinde nullo modo est mutua dependentia inter mensurabile, & mensuram, vt exemplis clarissimis patet; scientia enim, & potentiæ quatenus mensurabiles sunt, specificantur, dependent, & mensurantur ab obiectis, quia dicunt ordinem transcendentalem ad illa; obiecta autem nullo modo specificantur à scientia, quia omnino absolvuntur à tali ordine transcendentali; aliàs si dependerent obiecta à scientijs, & potentijs, idem esset prius, & posterius respectu eiusdem, imo obiecta de primo ad vltimum dependerent à se ipsis, quia quod est causa causæ, est causa causati: sed obiecta sunt causæ specificativæ respectu scientiarum, & potentiarum; atqui per vos scientiæ, & potentiæ sunt etiam causæ ipsorum obiectorum: ergo de primo ad vltimum ipsa obiecta sunt causæ sui, quod est impossibile omnino, vnde pro certissimo habendum est, licet scientiæ, & potentiæ specificentur, dependeant, & mensurentur ab obiectis, obiecta autem minime dependere, nec specificari à scientijs, & potentijs.

190 Ergo mensura nullam dicit relationem ad mensurabile, neque vllo modo refertur ad mensurabile, aut respicit illud, sive per relationem in se existentem, sive per relationem, quæ existit in ipso mensurabili: consequentia patet manifeste, quia id quod est incapax rationis fundandi relationem, est etiam incapax relationis, quæ essentialiter petit talem rationem fundandi, quia ratio fundandi est requisitum essentiale, omnino necessarium ad relationem, sine qua nullo modo potest resultare illa, ideo enim Angelus non est capax filiationis naturalis ad hominem, quia est incapax generationis passivæ respectu eiusdem, & arbor est incapax paternitatis ad hominem, quia impossibile est, quod arbor generet hominem propria generatione, quia talis generatio activa, & passiva sunt rationes fundandi relationes paternitatis, & filiationis; sed mensura est incapax, vt dependeat, specificetur, & mensuretur à mensurabili, sive per eandem dependentiam, & specificationem, per quam ipsum mensurabile dependet, & specificatur à mensura, sive per diversam: ergo mensura incapax est, vt referatur, & respiciat mensurabile, sive per eandem relationem, per quam mensurabile refertur ad mensuram, sive per distinctam: ergo mensura non terminat relationem scientiæ per relationem, siquidem nullam habet neque per vllam refertur ad scientiam: ergo terminat relationem scientiæ per absolutum.

191 Deinde vrget P. Suarez, nam, & si demus, scibile referri realiter ad scientiam per relationem in ipsa scientia existentem, nihilominus verum est quod Aristoteles dixit, vnum ex his extremis non referri ad aliud, nisi quia aliud refertur ad ipsum; ergo prius secundum rationem necesse est, intelligere relationem scientiæ terminari ad scibile, quam vicissim scibile referri ad scientiam, cum illud prius sit veluti causa, seu fundamentum huius posterioris: ergo ratio terminandi ex parte scibilis non potest esse illa relatio, qua refertur ad scientiam. Præterea licet terminare actu, vt supra dicebamus, sit denominatio extrinseca; tamen aptitudo terminandi relationem prædicamentalem, non potest esse denominatio extrinseca ab opposito relativo, quia ratio terminandi supponitur in re ante omnem denominationem ab alio extrinseco, nam in ipsamet denominatione extrinseca includitur actualis terminatio: ergo aptitudo supponitur ad talem denominationem, maxime quando terminus esse debet res realis, & realiter existens; quo circa intelligi nullo modo potest, quod vnum extremum constituatur proxime aptum ad terminandam relationem alterius per ipsammet relationem realem, quæ est in altero extremo, cum omnis relatio prædicamentalis consurgat, præsuppositis fundamento, & termino, non quidem actu terminante: sed apto ad terminandum, nam vt actu terminans non supponitur, sed constituitur ex alterius habitudine ad ipsum.

SVBSECTIO III.

Solutiones Fonsecæ præcluduntur.

REspondet P. Fonseca dicendo, quod quam 192
vis in termino, v. g. in scientia, vel creatore non respondeat nisi relatio rationis, nihilominus relationem scientiæ, aut creaturæ non terminari formaliter, nisi ad suum correlativum vt sic, ac proinde relationem rationis esse rationem terminandi realem.

Sed contra, quia sequeretur quod illa rela- 193
tio creaturæ, quæ realis est, dependeret à fictione intellectus in suo esse, imo non posset habere esse, nisi dependenter à fictione rationis, quia relatio non potest habere esse, nisi dependenter à termino; sed terminus cum sit ens rationis, non potest habere esse, nisi dependenter à fictione rationis: ergo de primo ad vltimum relatio illa non potest habere esse, nisi dependenter, vt dixi, à fictione rationis: ergo fictio est causa illius relationis creaturæ secundum illud evidens axioma, quod est causa causæ, est causa causati: atqui fictio rationis est causa termini, & terminus est causa relationis: ergo fictio rationis est causa relationis rationis, ex quo evidenter sequitur relationem creaturæ non esse realem: sed rationis, vnde erit rationis & non rationis; erit ens rationis, quia habet esse, sicut quodcunque ens rationis, scilicet essentialiter dependens à fictione rationis: sed hæc relatio, vt probavimus, est ita dependens: ergo est rationis, & non ens rationis, quia ab adversarijs dicitur relatio realis: deinde erit realis, vt ipsi supponunt; & non realis, quia vt probavimus est ens rationis, & ens rationis minime est reale.

Vrgetur, ens reale est ante omnem fictionem, & operationem intellectus, & ens rationis est post fictionem illius; sed relatio creaturæ est post ens rationis, & post fictionem rationis: ergo relatio creaturæ non est realis, sed rationis; minor hæc sic probatur, quia posito fundamento, & termino, resultat relatio, ita vt positio fundamenti, & termini sint quasi causæ relationis; vnde tam fundamentum, quam terminus sunt priora relatione ex ipsorum positione resultante, & illa est posterior natura tali termino, & fundamento: sed terminus illius relationis per vos est relatio rationis, ac proinde fictio intellectus: ergo talis relatio est posterior ente rationis, & fictione illius: ergo est ens rationis; sed non est, nisi relatio realis: ergo non est posterior ente rationis necessario: ergo terminus illius non est ens rationis, nec fictio intellectus, sed realis.

Secundo

194 Secundo principaliter sic probatur, quia omnia constitutiva essentialia entis realis, debent esse realia; sed terminus est constitutivum essentiale extrinsecum relationis creaturæ: ergo terminus illius debet esse realis, & non rationis. Maior est evidens, quia eo modo est effectus, & principiatum, sicut est causa, & principium illius, & ideo ens rationis non potest esse causa efficiens, nec materialis, nec formalis entis realis; sed terminus est vera, & propria causa specificativa relationis: ergo ens rationis non potest esse terminus relationis realis creaturæ; ratio autem à priori est, quia omnis causa eo modo quo fuerit causa, tribuit esse effectui, vnde si effectus est realis, propria illius causa debet tribuere illi esse reale, sive causa sit intrinseca, sive extrinseca; omnis enim causa quomodocunque sit, causat effectum: sed causare effectum, est dare esse effectui: ergo omnis causa sive sit extrinseca, sive intrinseca dat esse effectui; sed ens rationis nullo modo potest dare esse reale effectui reali: ergo ens rationis nullo modo potest esse causa entis realis, neque extrinseca, neque intrinseca. Minor illa sic probatur, quia omne specificativum essentiale alicuius est constitutivum essentiale extrinsecum specificati; sed terminus formalis relationis est specificativus essentialis illius: ergo est constitutivum essentiale eiusdem.

Vrgetur principaliter, quia omnis relatio opponitur realiter suo termino: sed relatio creaturæ non opponitur realiter enti rationis: ergo relatio creaturæ non habet pro termino formali ens rationis. Maior est certa, quia quatuor sunt genera oppositionum realium, in quas est oppositio relationis cum suo termino: ergo relatio opponitur &c. Ideo enim inter paternitatem divinam, & filiationem datur oppositio realis, quia paternitas terminatur ad filiationem realiter; minor est clara, quia oppositio dependet essentialiter, & necessario ab vtroque extremo, itavt si vtrumque extremum non sit reale, non possit oppositio esse realis: reale enim comparatum cum ente rationis est bonum, & ens rationis comparatum cum ente reali est malum, id est imperfectum; sed bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: ergo si vtrumque extremum, quod est integra causa oppositionis non fuerit reale, oppositio inter illa non erit realis; è contra vero, si quodcunque extremum fuerit ens rationis, tota oppositio erit rationis, vt patet ex axiomate proposito: sed terminus per vos relationis est ens rationis: ergo oppositio inter illam relationem, & terminum non erit realis, ac proinde nec ipsa relatio erit realis in esse relationis, quia ipsa in esse relationis est oppositio ad terminum.

Confirmatur secundo inter albedinem realem Petri, & inter albedinem fictam per intellectum in chimæra nulla datur relatio realis similitudinis; vnde falso assereret aliquis, si diceret, absolute, ac simpliciter, Petrum albū esse realiter similem chimæræ albæ; sed non est alia ratio, nisi quia albedo chimæræ, quæ deberet esse terminus relationis realis similitudinis Petri est ens rationis fictum, sicut ipsa chimæra: ergo non potest dari relatio realis ad ens rationis, tanquam terminum formalem.

195 Amplius vrgeo, quia licet animal, & Petrus sint verè à parte rei realiter, nihilominus non potest dari relatio superioritatis in animali ad Petrum, quia inferioritas Petri, quæ deberet esse terminus talis relationis est inferioritas rationis ficta per intellectum: nam si Petrus vere, & realiter esset inferior respectu animalis vt sic, animal vere, & realiter diceret relationem superioritatis ad Petrum: ergo pro certo habendū est (etiam si possit dari relatio transcendentalis realis ad ens rationis, vt relatio scientiæ ad obiectum, de quo maxime controvertitur apud Doctores) nullo modo posse dari relationem actualem formalem prædicamentalem ad ens rationis, tanquam ad terminum formalem illius, quia terminus relationis prædicamentalis realis actu realiter existentis debet similiter actu realiter existere, quod nullo modo potest convenire enti rationis ficto per intellectum; sed relatio creaturæ est relatio realis, formalis, prædicamentalis: ergo nullo modo potest terminari formaliter ad relationem rationis fictam per intellectum.

Tertio probatur hæc veritas omnibus argumentis quibus supra in proœmialibus, & in proœmialibus metaphysicæ vsi sumus ad demonstrandum, nullum ens reale posse terminari ad ens rationis.

Quarto principaliter sic argumentor; quia re- 196
latio realis non existit, nisi existentibus fundamento, & termino: sed relatio creaturæ existit, & revera terminatur ad Deum nulla existente in Deo relatione rationis, non solum quia relatio rationis nunquam vere existit, sed etiam quia eo modo, quo esse potest nimirum obiective in intellectu, non est, nec esse illam actu esse, ideſt considerari vt relatio creaturæ terminetur ad Creatorem, nam etiamsi nullus intellectus talem relationem fingat, aut consideret, nihilominus relatio creaturæ vere terminabitur ad Deum.

Dices, in intellectu saltem divino necessario debere existere talem relationem sive ipse illam immediate efficiat, sive cognoscat, vt factibilem suo modo ab intellectu humano.

Sed contra, quia licet hoc verum sit, impertinens maxime est ad rem, de qua agimus, quia licet id sit necessarium ex infinita scientia Dei, tamen per se, ac formaliter id non postulat relatio creaturæ, quia non respicit Deum, vt speculantem relationem rationis (vt ita loquar) sed potius vt influentem esse in ipsam; vnde si hoc habeat, sine dubio sufficiet vt talis relatio terminetur ad ipsam, relatio autem rationis vt scita ab intellectu divino, est impertinens.

SVBSECTIO IV.

Aliæ solutiones refutantur.

REspondent alij, hoc argumentum convince- 197
re de relatione rationis, vt actu existente suo modo, nihilominus tamen ipsam relationem rationis, quatenus est in proxima potentia talis termini esse rationem terminandi relationem realem alterius extremi.

Sed hoc etiam nullius momenti est, vt docet eximius noster Doctor, qui sic ait, interrogo enim, quid intelligant per relationem rationis in potentia proxima? aut enim intelligunt ipsum fundamentum reale, quod præbet occasionem intellectui, vt per modum relativi illud concipiat, quod non tam est verum fundamentum relationis, quam proxima causa, vel occasio inducens humanum intellectum ad talem modum concipiendi,

piendi, & in hoc sensu relatio rationis in potentia proxima non est nisi res absoluta in tali termino existens, vt v. g. in Deo est potentia, qua actu influit in creaturam, & sic de alijs: igitur quod relatio creaturæ terminetur ad relationem rationis, vt tantum est in fundamento proximo ex parte Dei, revera est terminari ad aliquid absolutum, quod est in Deo, & minime ad relativum.

Aut per relationem rationis in potentia intelligitur ipsamet relatio rationis secundum suum esse essentiæ, quale in ea esse, vel potius fingi potest, & hoc sensu improbabilis mihi videtur illa responsio; quia illa relatio in tantum esse potest, & in ea fingi potest aliquod esse essentiæ, in quantum intellectus, v. g. humanus potest concipere rem absolutam per modum relativæ; sed hoc est impertinens, & extrinsecum ad naturam, & essentiam relationis realis creaturæ: & vt ipsa terminetur ad suum terminum: ergo non potest esse illa ratio terminandi; quia Deus vt creator non ideo potest terminare relationem realem creaturæ; quia potest à nobis concipi per modum correlativi: sed potius quia vere, & realiter influit esse in creaturam per omnipotentiam suam præcipue, quia in alijs terminis realibus, & in relationibus mutuis non sufficit esse essentiæ in ipso termino, vt relatio consurgat, nisi sit redactum ad existentiam, quia alias est potentiale quid, & nihil: ergo multo minus potuit sufficere esse essentiæ, vel potentiale relationis rationis, vt sit ratio terminandi relationem realem.

Aliter respondet Fonseca, dicens posse relationem rationis actu convenire, v. g. creatori, etiam si actu non existat suo modo, hoc est obiective, atque hoc satis esse, vt ad illam possit terminari relatio realis, nam hoc ipso quod relatio realis est in creatura, relatio rationis creatoris actu convenit Deo, seu est actu in Deo quoad convenientiam.

Sed hæc responsio vt bene docet P. Suarez non est probabilior cæteris, nam in primis id quod asserit, dicendo posse formam actu convenire, quando actu non existit, aut magnam continet æquivocationem, aut est plane falsum; Nam actu convenire, si proprie sumatur, est actu inesse eo modo quo forma inesse potest, scilicet aut inhærendo, aut denominando, aut referendo, vel alia simili ratione; quod autem hoc modo actu convenit, necesse est quod actu existat, eo modo quo existere potest.

Quod si actu convenire solum dicit veritatem propositionis per connexionem extremorum abstrahentium ab existentia, illud revera non est actu convenire: sed potius in potentia, & eo modo, quo in illis propositionibus intelligi potest actualis veritas, quam non habent, nisi provt sunt actu in aliquo intellectu, vt supra diximus, & præterea sumpto hoc modo actu convenire non potest vere dici relatio rationis actu convenire Deo, hoc ipso quod creatura existit, quia vt bene idem author argumentatur *lib. 3. met. cap. 15. quæst. 5. sect. 4.* talis relatio contingenter, & ab extrinseco convenit Deo etiam post effectionem creaturæ: at prædicata contingentia non conveniunt actu, nisi quando actu existunt; sed illud est proprium prædicatorum, quæ necessario conveniunt subiectis.

Responsio vero, quam adhibet limitando subsumptam propositionem, & excipiendo has relationes rationis, primum videtur voluntaria, deinde contra rationem; nam secluſa actuali existentia vnicuique prædicato proportionata, non potest dici prædicatum actu convenire subiecto, nisi vel quia est de eius essentia, vel certe quia ab illa manat, vt per se necessariam connexionem cum illa habeat; ergo quotiescunque prædicatum non est huiusmodi; sed mere contingens, & ab extrinseca causa proveniens, sive sit prædicatum reale, sive rationis, in nullo vero sensu potest dici actu convenire quando actu non existit.

Confirmatur: nam hoc ipsum, scilicet actu convenire requirit saltem veritatem propositionis; sed hæ propositiones sunt falsæ, Deus habet relationem, vel actu refertur ad creaturam, quandiu illa relatio nullo modo actu existit: imo iuxta principia Dialecticæ tales propositiones non possunt vere abstrahi à tempore cum simpliciter contingentes sint.

Addo denique, etiamsi demus totum id, quod in illa responsione sumitur, non satisfacere, quia ille modus actu conveniendi non sufficit ad terminum relationis realis, alias Petrus actu existens posset habere relationem realem identitatis specificæ ad Paulum potentia tantum existentem, quia actu convenit Paulo quod sit homo, etiam si non existat, quia ab intrinseco est homo: ergo etiam actu conveniet illi relatio realis identitatis specificæ cum Petro, etiam si illa relatio actu non existat: ergo è converso, vt relatio realis existat in Petro, satis erit quod alia similis, & fundamentum eius actu conveniat Paulo, licet non existat.

Ex quibus omnibus evidenter colligitur, relationem illam, quæ non habet pro termino rem habentem relationem prædicamentalem, vt terminet ipsam non terminari ad respectivum: sed ad absolutum, quia relatio rationis non sufficit ad talem terminationem.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

AD primum argumentum concedo antecedens. & distinguo consequens; includit essentialiter in actu secudo mutuam oppositionem, nego consequentiam; includit essentialiter, id est relationi mutuæ debetur ex sua essentia actualis relatio, concedo consequentiam, in hoc sensu, vt quotiescunque dentur duæ relationes, debeat resultare inter illas oppositio actualis, & formalis ex natura rei distincta ab ipsis, licet Deus posset adhuc stantibus illis facere, vt non pullularet oppositio inter illas, aut postquam resultavit talis relatio oppositionis, destruere ipsam, quia non identificatur cum ipsis, vt supra diximus, itaque debitum est relationi habenti aliam oppositam, vt v. g. paternitati habenti sibi correspondentem filiationem habere relationem oppositionis, per quam referatur talis relatio paternitatis ad filiationem; si autem tali paternitati non correspondeat alia relatio sibi immediate opposita, non resultabit talis oppositio formalis, quia deficit terminus illius, sine quo nullo modo potest dari relatio oppositionis, 198

Ex hoc autem, quod paternitas dicat oppositionem

tionem ad filiationem, non debet colligi talem paternitatem per seipsam essentialiter, & immediate referri, & terminari ad filiationem, quia oppositio illa non est de essentia talis paternitatis, sed potius distinguitur à paternitate, vt late probatum manet; vnde quod recte debet colligi est, vt paternitas referatur mediate ad filiationem, hoc est mediante relatione oppositionis distincta ab ipsa; si autem ipsa paternitas per seipsam esset oppositio formalis, respectu filiationis, sine dubio per seipsam immediate referretur ad filiationem, quod non contingit ex eo quod non per seipsam, sed per aliquid sibi superadditum opponitur paternitas filiationi vt iam diximus.

Quia vero paternitas essentialiter, & per seipsam sine vlla distinctione opponitur esse genito, inde est vt immediate, & per seipsam referatur ad genitum, quæ oppositio vocatur terminativa, à qua nullo modo potest separari paternitas, neque potest dari sine tali oppositione; nam sicut nullo modo potest dari paternitas sine termino genito, ita non potest dari sine oppositione ad illum, quæ est idem quod ipsa relatio generantis ad genitum, ac proinde est idem quod paternitas formalissime; cum autem supra probatum sit, inter relationes aliquas terminari ad absolutum, alias ad relativum, necessario sequitur talem oppositionem terminativam aliquando esse ad absolutum, aliquando ad respectivum. Ex quo evidenter convincitur fallacia argumenti adversariorum, qui ex oppositione mediata, & accidentali arguebat terminationem, & respicientiam immediatam, & essentialem, qui modus arguendi multis peccat, vt patet ex dictis, nam vt est evidens axioma Dialecticorum secundum vim præmissarum solum debet erui conclusio, imo nihil debet concludi in consequentia, quod non contineatur in præmissis; atqui P. Rubius in antecedenti ponit oppositionem in communi dicendo, vbi datur oppositio, datur respicientia, & terminatio, & in consequentia eruit: ergo mutua relatio includit essentialiter mutuam oppositionem, quæ consequentia non est recta, quia particula illa, immediata, & essentialiter, non continetur in præmissa; vnde si solum educat in conclusione: ergo datur respicientia, & terminatio in relatione mutua, abstrahendo ab immediata, vel mediata, bene argueret: sed non contra conclusionem, quia in illa solum asserimus, non omnem relationem mutuam ex eo quod mutua sit, terminari immediate, & essentialiter ad relationem quod meo videri sic demonstratur, retorquendo argumentum ipsius; non omnis relatio essentialiter, immediate, & per se opponitur alteri relationi: ergo non omnis relatio respicit, & terminatur essentialiter immediate, & per se, ac per suam entitatem ad relationem. Antecedens supra probatum est, consequentia est evidens; quia eo modo debet esse terminatio, & respicientia, sicut est oppositio; sed non omnis oppositio inter relationes mutuas est immediata, & essentialis: ergo non omnis respicientia, & terminatio relationis mutuæ immediate, & essentialiter est ad alteram relationem: vnde sicut aliquæ relationes immediate opponuntur relationibus, & aliquæ opponuntur absoluto immediate & essentialiter, ita aliquæ terminantur immediate, & essentialiter ad relationem, aliæ autem immediate referuntur ad absolutum; quod nostra sententia duabus conclusionibus supra positis docet.

Ad secundum respondeo primo relationem paternitatis in divinis, v. g. terminari ad originem passivam, & filiationem ad originem activam, & non ad oppositam relationem, non propter distinctionem rationis, quæ reperitur inter relationes, & origines, vt volebat P. Suarez, cuius sententia in hoc mihi non placet; nam cum relationes divinæ sint reales ab æterno, & ab æterno realiter terminantur, necesse est vt habeant ab æterno à parte rei suos terminos cum omnibus requisitis ad terminationem; vnde si distinctio inter relationem, & originem, vt origo terminet, & non relatio, est conditio, seu requisitum necessarium, nullo modo debet esse distinctio rationis, quia illa per accidens, & impertinens est ad relationes divinas, & ad munera, seu functiones illarum, (quod supra contra Fonsecam docuit ipsemet Suarez, loquendo de relationibus creatis, quia reales sunt, quod à fortiori vrget in relationibus divinis) tum quia ab æterno non est ens rationis actu factum, & quasi productum, quia solum fingitur in tempore à creatura, tum etiam, quia sicut relatio paternitatis non indiget ente rationis vt sit, & vt referat Patrem ad filium, sic non indiget ad sui terminationem, & suum terminum ente rationis; terminatur igitur paternitas divina ad originem passivam immediate, & formaliter, non autem ad filiationem propter distinctionem virtualem, seu quæ per æquivalentiam datur à parte rei sine vlla fictione intellectus inter relationes, & origines, etiamsi origines & relationes formaliter à parte rei non distinguantur, quod exemplo manifestissimo declaratur; Divinitas enim non distinguitur formaliter à parte rei à relatione, seu personalitate filij, & nihilominus secundum nostram fidem propter solam distinctionem virtualem, quæ datur inter ipsas personalitas filij terminat immediate, & formaliter vnionem hypostaticam humanitatis Christi, quæ relatio transcendentalis est quam non terminat immediate, & formaliter divinitas: ergo eadem distinctio virtualis sufficiet, vt origo passiva terminet immediate, & formaliter relationem paternitatis in Verbo, & non filiatio.

Origo autem tam passiva, quam activa provt distinguuntur à relationibus, sunt quid absolutum; vnde sicut in creatis pater refertur ad genitum, & filius ad generantem, ita Verbum diuinum respicit Patrem non immediate, & formaliter vt Patrem, sed vt generantem sicut Pater non immediate, & formaliter filium vt filium, sed vt genitum, & sic Pater respicit formaliter eum, quem genuit, & filius eum à quo genitus est. 159

Quod clarius apparet, vt bene advertit P. Suarez in spiratione passiva respectu activæ; nam Pater, & filius præter spirationem activam habent proprias relationes, quibus in suo esse personali constituuntur; & sic constituti, sunt vnum principium spirans Spiritum sanctum, ex qua productione loquendo more nostro resultat in eis relatio spirationis activæ, cui propterea magis proprie attribui potest, quod habeat fundamentum, & rationem fundandi, quia neque constituit personam nec fortasse habet propriam subsistentiam, atque ita ibi facile intelligitur, relationem passivæ spirationis, quæ est in Spiritu sancto, terminari non ad relationem spiratoris activi formaliter, sed potius ad primam, & secundam personam,

fonam, vt sunt vnum principium spirans, & producens per voluntatem Spiritum sanctum, cui nostro modo concipiendi advenit relatio spirationis activæ, quia propria, ac formalis ratio, ob quam Pater, & Filius terminant relationem Spiritus sancti, non est quia referuntur ad Spiritum sanctum, sed quia producunt illum, & sunt vnum principium eius, vnde concomitanter habent, vt ad ipsum referantur; si tamen per impossibile intelligeremus non resultare in Patre, & Filio illam relationem, dummodo producerent Spiritum sanctum, id satis esset, vt possent terminare relationem eius.

Secundo respondeo, relationem Patris terminari ad filium vt filium, non quia relatio illa est subsistens, (vt docebat P. Suarez, quia hoc est per accidens ad rationem referendi, & terminandi, & materialiter hoc ei provenit ex identificatione cum divinitate, vt bene notavit P. Rubius in sua replica; nam si talis filiatio non esset increata, & divina, ac proinde perfectissima substantia, non esset subsistens) sed quia filius vt filius est terminus productus à patre per generationem: nam idem est terminus productus per generationem, vt supra diximus ac terminus, qui respicitur per paternitatem, in quo est notanda maxima differentia, quæ reperitur inter Patrem divinum, & creatum; nam pater creatus non producit filium, vt filium, quia filiatio non producitur à patre per generationem, sed resultat per emanationem à genito in se ipso, & ideo non refertur ad filium, vt filium, sed solum ad genitum vt tale; quia vt sic solum est terminus generationis, & productionis paternæ; vnde substantia illa genita solum erit terminus relationis paternitatis resultantis ex vi generationis; vnde si per impossibile filius vt filius, & filiatio creata produceretur per generationem à patre; sicut tunc esset formalissimus terminus generationis, ita etiam esset terminus formalis paternitatis resultantis ex vi generationis; quia idem est terminus vnius, ac alterius; sed Pater æternus per generationem producit filium vt filium, quod non producit Pater creatus: ergo Pater æternus refertur per paternitatem ad filium vt filium; ad quem non refertur Pater creatus propter rationem discriminis inter vtrumque patrem adductam.

Ad vltimum concedo antecedens, & consequentiam distinguo, se respiciunt immediate, formaliter, & essentialiter, nego; se respiciunt mediate, accidentaliter, & per alias relationes sibi superadditas, concedo, vt supra late demonstratum manet, quibus solutum relinquitur argumentum.

Ad vltimam consequentiam respondeo, distinguendo consequens illius, ratio realis terminandi, &c. si loquatur de ratione immediata, & formaliter, nego, de ratione mediata, vt dictum est, concedo; nam paternitas, v.g. immediate, & formaliter terminatur ad absolutum genitum, mediate autem per oppositionem à se distinctam terminatur ad filiationem.

Sed contra nos insurgunt sic adversarij; quia quodlibet relativum formaliter terminatur ad suum correlativum: ergo formalis ratio terminandi vnam relationem est relatio opposita correspondens in altero extremo. Consequentia evidens est, & antecedens probatur, quia relativa sunt simul natura, cognitione, & definitione, vt constat ex Aristotele *cap. de Ad aliquid.* Sed nihil horum haberent, nisi vnum relativum formaliter ad aliud terminaretur: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia si pater, v.g. vt pater non terminatur ad filium, vt filius est relatus, sed vt est hic homo genitus ab illo: ergo pater vt pater non est simul natura cum filio vt filio, sed cum hoc homine vt genito: at vero hic homo prius natura est genitus ab alio, quam habeat relationem filiationis ad ipsum, quia filiatio est proprietas resultans in homine genito: ergo pater vt pater erit prius natura quam sit filius vt filius. Et confirmatur hæc pars, quia relatio vt relatio, non pendet nisi ex fundamento, & termino: ergo si formalis terminus non est altera relatio, per se non pendet ab illa nec requirit illam: ergo ex se est prior natura, quam illa. Similique argumento probantur aliæ duæ partes, quia relatio perfecte cognoscitur, cognito fundamento, & termino, & aliud non requirit: ergo si terminus vnius relationis non est alia relatio, non pendet vna in cognitione ab alia: non ergo simul necessario cognoscuntur.

SVBSECTIO I.

Præsens difficultas solvitur.

RESpondeo, negando relativum necessario formaliter terminari ad correlativum, vt sic; quod manifeste constat in relativis non mutuis, quia vbi non est correlativum, non potest alterum relativum, & correlativum terminari; inde vero intelligimus, etiam in mutuis, quamvis relativum ad correlativum, quod est simul natura cum ipso terminetur, non tamen formaliter, itavt relationes ipsæ inter se, & ad se tendant; sed vna tendit ad fundamentum alterius, & è converso, vt declaratum est. 200

Ad obiectionem de simultate naturæ respondeo cum P. Suarez, potius inde inferri oppositum, quia relatio est posterior natura, quam terminus eius, vt in actu primo, seu formali ad terminandum sufficienter constitutus est, quia ex fundamento, & termino consurgit relatio, vt diximus, imo aliqui authores putant effective fieri à termino; si ergo vna relatio esset terminus alterius, ex positione vnius resultaret alia, & ita non possent esse simul natura; dicuntur ergo simul natura quando mutuæ sunt, quia cum resultat vna ex fundamento, & termino, resultat alia omnino concomitanter absque vllo ordine prioris, & posterioris inter se, & hoc est esse simul natura; fundatur autem hæc simultas, non in formali habitudine earum inter se, sed in necessaria connexione quam habent in fundamento, & termino; quia neutra insurgere potest, nisi iam positis suo fundamento, & termino, & illis positis ambæ statim simul necessario consurgunt; & alioqui formale fundamentum vnius est formalis terminus alterius, & è converso: ex quo fit, vt necessario simul sint, positis in re fundamento, & termino vtriusque; nam sunt eadem commutata proportione, vt explicui, atque ita tandem efficitur, vt ipsæ relationes necessario simul natura, & duratione consurgant; duratione, quia vtraque æquali necessitate resultat ex termino, & fundamento, quam primum ponuntur; natura, quia nullum inter se habent ordinem dependentiæ, &c. at vero si hæc comparatio fiat inter vnum relativum, & terminum

eius in actu secundo seu vt actu terminantem, sic dici possunt simul natura formaliter secundum aliquos; secundum probabiliorem autem opinionem terminus vt sic posterior natura est relatione, quia vt supra dictum est, terminus vt sic terminans formaliter, constituitur per extrinsecam denominationem à relatione, quæ in illum tendit: vnde illa posita, sic denominatur, & illa ablata, desinit esse hoc modo terminus, nihil intrinsecum amittendo, vt per se notum est.

Vnde in forma nego sequelam, nimirum, patrem vt patrem non esse simul natura cum filio, vt filius est, sed vt est hic homo genitus, imo sicut hic homo, vt genitus est prius natura, quam vt filius, ita etiam est prius natura quam pater vt pater, quamvis sit posterius natura, quam hic homo, vt generans, & ideo quamvis pater vt sic terminetur ad hunc hominem, vt à se genitum, nihilominus non prius natura terminatur ad ipsum quam in ipso sit filiatio, non propter terminationem formalem ad ipsam filiationem, sed propter simultaneam concomitantiam omnino necessariam, vt declaratum est; quapropter licet hic homo, vt genitus sit prius natura quam vt filius, tamen in illo priori vt sic nondum intelligitur in patre paternitas, imo verissime etiam dicitur prius natura esse hunc hominem vt genitum, quam in patre sit paternitas: nam ex positione vnius termini cum fundamento quod est in generante, resultat paternitas.

Ad confirmationem concedo formaliter loquendo vnam relationem non pendere ab alia, nego tamen inde sequi non esse simul natura naturaliter loquendo, propter rationes dictas, nam potius si proprie ac formaliter vna ab alia penderet, non posset non esse vna prior natura alia; quia ipsamet dependentia est quædam posterioritas naturæ; quia vero habent necessariam concomitantiam absque vllo ordine inter se, ideo sunt simul natura.

Ex hoc præterea constat, quid dicendum sit de simultate cognitionis; nam eadem propositione dicendum est formaliter, & immediate relationem non pendere in cognitione nisi à suo termino, (sive sit relatio talis terminus, sive sit absolutum, vt prima, & secunda conclusione explicuimus) secundum propriam rationem terminandi, & non secundum aliam relationem simul natura cum ipsa resultantem in termino huius, vt late diximus supra.

SVBSECTIO II.

Argumenta secundæ sententiæ solvuntur.

AD primum respondeo non esse contra nos, sed potius pro secunda nostra conclusione, vbi asserimus, relationem mutuam non terminari ad aliam simul natura cum ipsa, sed ad fundamentum illius; v.g. paternitas non terminatur ad filiationem immediate, formaliter, & per se, sed ad genitum, terminatur autem ad filiationem, media oppositione resultante in ipsa paternitate; vnde si relatio oppositionis immediate, & formaliter terminatur ad filiationem, & sic inter relationes mutuas paternitas terminatur ad absolutum, & non ad relativum vt asserit nostra secunda conclusio, & oppositio ad relativum & non ad absolutum, vt docet prima conclusio nostra; cum hoc tamen stat, vt nulla relatio mutua terminetur ad aliam quæ sit simul natura secum; quia terminus semper est prius natura quam relatio, quæ ad illum terminatur, & sic argumentum P. Suarez nihil contra nos habet, sed potius absolutè nostræ sententiæ favet.

Ad secundum argumentum respondeo, neque in quantum relationem vt sic, neque in quantum relationem mutuam vt sic petere relationem terminari ad relativum, sed potius in quantum talis relatio mutua est ex vi differentiæ illius propter rationes positas in prima conclusione, videantur ibi latissime positæ.

Ad tertium distinguo sequelam, sequeretur non posse vnum cognosci, aut definiri, nisi per alterum, quod fuerit prius natura, quam ipsum, & à quo specificatur, & ad quod tendit formaliter, concedo; quod fuerit simul natura cum ipso, eo modo quo filius vt filius est simul natura cum Patre, vt Patre, nego, propter rationes supra longe, lateque positas in probatione nostræ conclusionis; neque ex eo quod vnum relativum dependeat in sui cognitione, & definitione ab altero relativo non posterius natura, nec simul secum, sed potius prius natura quam ipsum, sequuntur absurda de circulo vitioso, nugatione & cæteris, quæ eruere intendebant adversarij, & quæ sine dubio sequerentur, si tale relativum penderet in sui cognitione ab altero relativo simul natura secum, & definiretur per ipsum vt patet ex ijs, quæ supra diximus *sect. 3. subsect. 7.* pro secunda conclusione, agendo de authoritate Aristotelis, videantur ibi dicta quibus sciens, & prudens supersedeo, ne cum fastidio Lectoris actum agamus.

SVBSECTIO VLTIMA.

Argumenta tertiæ sententiæ solvuntur.

AD Caietanum nego Aristotelem protulisse verba quæ pro se affert, alia enim protulit Philosophus, quæ nobis favent, & ipsi adversantur, & sic se habent; at mensurabile, & scibile, & intelligibile ideo dicuntur ad aliquid, quia aliud ad ipsa dicitur; nam intelligibile significat, quod in eo versetur intellectus; quæ verba nihil aliud denotant secundum communem sensum Doctorum; ideo intelligibile, visibile, scibile, &c. pertinere ad prædicamentum Ad aliquid, & poni in ipso, non quia sint ipsa formaliter ad aliquid, seu relativa, sed potius quia sunt termini relationum tertij generis, sine quibus nullo modo, aut essent, aut intelligerentur tales relationes, quia relatio essentialiter petit terminum sine quo, neque esse, neque intelligi potest, & hoc sonant illa Verba, scibile, & intelligibile; ideo dicuntur ad aliquid, id est ideo pertinent ad prædicamentum relationis, quia aliud ad ipsa dicitur, id est quia ipsa terminant relationes aliorum: ex quo non debet colligi, vt male arguit Caietanus, scibile, intelligibile, visibile, &c. esse relativa, & ad aliquid formaliter constituique in esse talium non per relationes, quæ sint in ipsis, sed per relationes, quæ sunt extra ipsa, & existunt, seu inhærent intrinsece in scientia, intellectu, & visu, quia hoc est impossibile, vt supra late demonstravimus; nam relatio non denominat relatum, neque constituit respiciens, nisi existendo intrinsece in subiecto, vt de se patet.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

Virum multiplicatis numero terminis multiplicentur relationes?

SECTIO I.

Sententia Adversaria ponitur.

1 THomistæ vnanimi consensu asserunt, vnam numero relationem sufficere ad plures terminos individualiter distinctos, ac proinde nullo modo multiplicari relationes ad multiplicationem numericam terminorum. Probatur.

2 Primo, quia hæc paternitas ponitur, vt homo per illam sit, & denominetur formaliter hic numero Pater; sed per vnam paternitatem fit hic numero Pater, & per plures paternitates, etiam si multiplicentur in eodem subiecto illud subiectum non fit plures Patres numero, sed est incapax essendi plures: ergo est incapax plurium relationum numero distinctarum, etiam si dentur plures numero termini.

3 Secundo arguit P. Rubius, quia non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate; sed si multiplicentur relationes eiusdem speciei per multiplicationem terminorum, multiplicantur ferè infinitæ entitates reales sine vrgenti necessitate: ergo non debent multiplicari; probatur minor, quia fere infinita sunt alba eiusdem gradus, ad quæ refertur vnum, & idem per relationem similitudinis: ergo ferè infinitas habebit entitates reales quodlibet numero distinctum, si pro singulis multiplicentur singulæ relationes: quod vero necessitas non vrgeat, probatur, quia secundum communem sententiam Scholæ pro singulis conclusionibus eiusdem rationis non multiplicantur in eodem homine singuli habitus scientiæ, sed idem habitus numero se extendit ad omnes, & posset se extendere, etiam si essent infinitæ: sed æque facile est quod eadem numero relatio se extendat ad omnes terminos eiusdem rationis: ergo nulla est necessitas multiplicandi singulas pro singulis.

4 Tertio probatur: vna relatio numero non potest esse in duobus subiectis totalibus; sed si relatio sumeret suam vnitatem numeralem à termino, & multiplicaretur ad multiplicationem terminorum, bene posset esse in pluribus subiectis totalibus: ergo si non potest, ex eo est, quod vnitatem numeralem sumit à subiecto, & non à termino.

SECTIO II.

Nostra conclusio ponitur.

5 VNa numero relatio non sufficit ad plures numero terminos respiciendos, sed necessario debent multiplicari relationes ad multiplicationem terminorum numero distinctorum.

6 Hæc est communis pene omnium Societatis Iesu Doctorum sententia, probatur sic.

Primo ad hominem contra Thomistas omnes, qui asserunt, relationem distingui ex natura rei à suo fundamento, vel distinctione rei à re, vel distinctione modi à re; ita Capreolus, Caiet. Ferrara Iabellus, Sotus, &c.

Ideo relatio distinguitur à suo fundamento, 7
quia posito fundamento, non ponitur relatio quantum ad actualem tendentiam ad suum terminum: ergo vel hæc ratio est insufficiens ad probandam distinctionem inter fundamentum, & relationem, vel necessario probat, multiplicatis terminis, multiplicari relationes; sed non est insufficiens ad primum, vt latissime demonstratum est supra, & admittunt omnes aduersarij: ergo multiplicatis terminis, multiplicantur relationes: probatur consequentia; ideo relatio distinguitur à suo fundamento, quia posita aliqua forma non potest non poni secundum omnem suam rationem formalem: ergo multiplicatis terminis, multiplicantur relationes; patet consequentia: si multiplicatis terminis non multiplicarentur relationes ideo hoc esset, quia licet duo non distinguantur à parte rei, potest poni vnum realiter, & formaliter, quin ponatur aliud quantum ad denominationé, & formalitatem aliquam: sed hoc implicat, quia ideo posita relatione realiter, & actualiter, non potest poni, quin ponatur secundum omnem suam denominationem, & formalitatem, quia illa formalitas non distinguitur realiter ab ipsa relatione: ergo, &c. probatur maior posita similitudine formali in aliquo subiecto, non ponitur secundum omnem formalitatem, & denominationem similitudinis identificatam cum illa: ergo etiam si duo non distinguantur realiter, potest poni vnum quantum ad suam entitatem, quin ponatur quantum ad omnem denominationem, & formalitatem identificatam realiter cum illo, quod ponitur: probatur antecedens, posita similitudine respectu primi albi, non ponitur formalitas, & denominatio respectu secundi albi; sed formalitas, & denominatio respectu secundi albi secundum aduersarios est idem realiter cum similitudine respectu primi albi: ergo posita similitudine formali, non ponitur omnis ratio, & denominatio formalis, quæ identificatur cum ipsa similitudine formali realiter: probatur maior, & sumo relationem maternitatis posito primo filio, non denominatur mater actualiter, & formaliter respectu aliorum filiorum, quos potuit generare; alias B. Virgo esset actualiter, & formaliter mater naturalis multorum filiorum, quos potuit habere, quod est absurdum in fide, & contra rationem relationis prædicamentalis, cuius essentia consistit in puro respectu. Ex quibus manifeste colligitur supposita distinctione relationis à fundamento, non posse consequenter negari, quin multiplicatis terminis realiter, multiplicentur respectus, & quin addito novo termino, aliquid reale addatur præexistenti relativo, Patri, v. g. quod antea non habebat, æque distinctum ab ipso, ac erat paternitas quam antea habebat; hoc enim convincit consequenter loquendo argumentum factum, quia est omnino eadem ratio, nam si Petrus, cum genuit primum filium, indiguit nova re, aut novo modo reali distincto, vt ad illum realiter referretur, cur non etiam quando de novo incipit referre ad secundum? nec enim dici potest, ptiorem entitatem, aut modum sufficere, tum quia non potest effectus formalis augeri, nisi realiter augeatur forma, tum etiam quia prior relatio adæquate referebat ad primum filium, & ab illo pendet in esse, definitione, &

cognitione ; non enim cognoscetur hæc relatio, vt hæc numero , nisi vt referens ad hunc numero terminum, vt aperte Aristoteles declaravit in prædicamentis, *cap. de ad aliquid*.

8 Dices, illam primam relationem terminari de novo ad secundum filium , non tamen poni novam relationem. Sed contra : ergo illa terminatio de novo distinguitur realiter à relatione ; patet consequentia, posita relatione , & non posito secundo termino , non ponitur illa nova terminatio : ergo separatur relatio quando erat solus primus filius ab hac terminatione de novo; siquidem dabatur tunc , & non dabatur hæc terminatio; ergo distinguitur hæc terminatio à parte rei à relatione , quia quidquid separatur ab alio , distinguitur ab illo ; ideo enim relatio distinguitur à suo fundamento , quia posito fundamento , & non posito termino , non ponitur relatio. Hæc terminatio non est quid absolutum , cum sit pura tendentia ad terminum : ergo est relatio distincta à prima : ergo posito novo termino datur nova relatio , quod amplius patebit ex alijs impugnationibus , contra adversarios, quas postea ponemus ad oppugnandam novam extensionem antiquæ relationis , &c. Præterea , quia si vna relatio sine nova additione potest de novo terminari ad secundum filium , etiam possent dicere qui asserunt relationem non distingui à suo fundamento , eandem entitatem fundamenti sine vlla additione posse terminari de novo ad primum filium; quod est contra omnes adversarios ; vnde hac solutione enervant , ac debilitant vires rationum, quibus vsi sunt supra Thomistæ ad probandum , relationem distingui à fundamento absoluto. Dices , poni terminationem quantum ad intrinsecum , non vero quantum ad extrinsecum, dum solus erat primus filius : ergo deseris tuum principium , quia eodem modo respondent qui dicunt , relationem non distingui à suo fundamento.

9 Dices , illam novam terminationem non esse novam relationem ; sed potius esse quasi novum gradum, seu partem eiusdem relationis ; sed hoc est falsum, neque recte æquiparatur nova illa terminatio gradui intensionis ; nam inter illos datur subordinatio per se , & in eis est propria compositio , & vnio per propriam latitudinem, vel propria indivisibilia , illæ autem duæ relationes non habent subordinationem per se , neque enim vna per se supponit alteram vel ab illa pendet , neque habet vnaquæque earum latitudinem aliquam in se ; sed est merè indivisibilis in ordine ad suum terminum ; vnde neque proprie componunt aliquam latitudinem quasi continuam , quia hæc non componitur ex indivisibilibus. Deinde nullum aliud genus vnionis inter illas duas entitates excogitari potest, ob quam dicantur esse duæ partes vnius relationis , quia neque inter se comparantur , vt potentia, & actus, neque habent inter se aliam habitudinem, præter eam , quæ est esse in eodem subiecto. Et hoc à fortiori confirmari potest ex his , quæ supra diximus de simili habituum vnitate, vel compositione physica; imo illa vnitas, vel compositio artificiosa, quæ in habitibus consideratur, vix potest habere locum in relationibus, & ideo de illa nihil tractatur.

SVBSECTIO I.

Dicta amplius confirmantur.

VT amplius eluceſcat ſupra dictum argumentum, probo idem intrétum argumento primo, quo probavi relationẽ distingui ex natura rei à ſuo fundamento , quod ſic formatur: Nulla creatura transit de termino intrinseco negativo contradictorio , &c. ſine additione formæ realiter distinctæ à ſubiecto , quod transit ; ſed homo , qui eſt Pater primi filij nondum geniti ſecundo filio, eſt in termino negativo intrinſeco contradictorio Patris reſpectu ſecundi filij, & per ſecundam generationem ſecundi filij transit ad terminum poſitivum Patris reſpectu illius : ergo in illo tranſitu fit mutatio in ſubiecto quod tranſit per additionem realiter illius formæ, ad quam fit tranſitus : ſed forma, ad quam fit tranſitus eſt paternitas reſpectu ſecundi filij : ergo fit additio realiter paternitatis reſpectu ſecundi filij: ergo illa paternitas diſtinguitur à prima , &c. maior loco citato eſt clariſſime probata ; minor ſic probatur, quia adhuc ſtante prima paternitate , nondum genito ſecundo filio , eſt verum dicere , non eſt pater ſecundi filij , nec mater illius , quod docet fides catholica , dum definit , Beatam Virginem non eſſe matrem alterius ſecundi filij diſtincti à Chriſto Domino , ac proinde fide ſanctum eſt Chriſtum eſſe vnicum filium naturalem Beatæ Virginis , quæ licet habeat potentiam ad habendum ſecundum filium , ex eo quod actu non genuit illum non erat mater illius , & ſic eſt in termino negativo matris ſecundi filij. Item Pater æternus eſt in termino contradictorio negativo Patris ſecundi filij , quia non genuit ſecundum ex eo quod non poteſt generare illum; nam non eſt pater pater æternus, nec Beata Virgo , vt diximus, non eſt mater ſecundi filij ; ſed non eſſe pater eſt habere negationem patris , & habere negationem eſt eſſe in termino negativo patris reſpectu ſecundi filij , ſicut quia aër non eſt lucidus, colligitur non habere lucem , ac per conſequens eſt verum dicere aër eſt in termino contradictorio negativo lucis, ac lucidi : ergo Pater primi filij nondum genito ſecundo filio, &c. 10

Dices non eſſe neceſſariam aliam paternitatem, præter primam ad ſecundum filium. 11

Contra , quia prima non ſufficit, vt pater nondum genito ſecundo filio deſinat eſſe in termino contradictorio negativo patris reſpectu ſecundi filij. Item non ſufficit prima relatio quominus geniti ſecundo filio , pater primi filij non tranſeat ab illo termino negativo ad terminum poſitivum patris reſpectu ſecundi filij; ergo non ſufficit quominus detur realis additio illius formæ, per quam eſt pater ſecundi filij, quæ eſt paternitas, & ſic non ſufficit vt per ſolam illam , pater primi ſit ſecundi , ſed neceſſaria eſt diſtincta paternitas nova à prima.

Exemplo clariſſimo evidenter illuſtratur; nam ideo quantitas aëris non ſufficiebat vt eſſet aër lucidus , ſed neceſſaria erat alia diſtincta realiter forma lucis, vt aër reddatur lucidus , quia adhuc ſtante quantitate in aëre, aër media nocte eſt in termino negativo lucis ac lucidi, & cum adveniente ſole videmus tranſire aërem de termino illo contradictorio non lucidi ad lucidum intrinſece neceſſario

necessario colligimus in tali transitu fieri additionem in aëre, adhuc quanti lucis realiter distinctæ à quanto aëre, sed adhuc stante prima relatione patris, homo qui est subiectum illius est sub termino negativo intrinseco Patris secundi filij, & adveniente secundo filio transit realiter intrinsece ad esse patris secundi filij, ad quod non transibat sine secundo filio: ergo evidenter debet colligi per adventum secundi filij fieri additionem à parte rei formæ illius, per quam est pater secundi filij, quæ forma paternitatis sit à parte rei distincta à patre, & paternitate prima, quod adeo evidens est, vt sine clarissima amentia non possit negari hæc veritas.

Dices, non esse necessariam novam relationem ad hoc vt pater primi filij sit pater secundi filij: sed sufficere dari novam extensionem in præexistente relatione, per quam referatur, & respiciat secundum filium.

Contra, quia illa nova extensio, quæ antea non erat, & nunc est, est ens reale, alias esset nihil; vnde pater primi filij, non esset pater secundi filij ratione illius paternitatis, quia ex nihilo nihil fit, & quod est nihil, nihil potest facere; vnde quod est nihil de novo, non potest esse de novo aliquid, scilicet Pater, sed illa extensio quæ est ens reale, non est ens per se, id est substantia, cum accidentaliter adveniat substantiæ Petri, vt supra probatum manet: ergo est accidentalis entitas extensio illa: sed non est accidens absolutum: ergo est respectivum: ergo formaliter est relatio de novo, & non relatio transcendentalis, cum non sit de essentia illius subiecti, cuius relatio est; igitur erit relatio prædicamentalis de novo, vnde multiplicato termino, multiplicantur relationes.

Probatur nunc quod non sit accidens absolutum, sed respectivum; illud est accidens respectivum, seu relatio, & non absolutum, cuius totum suum esse est ad aliud: sed illa nova extensio est huiusmodi: ergo. Maior est ipsa definitio relationis. Minor sic probatur primo, quia illa extensio est ad secundum filium tota, sicut ipsa paternitas est ad primum: sed paternitas ex eo solum habet totum suum esse ad aliud, quia respicit primum filium: ergo illa extensio, quæ tota respicit, & refertur ad secundum filium, habebit totum suum esse ad aliud, præcipue quia illa extensio habet totum suum esse ad secundum filium; sed secundus filius est aliud à patre, & aliud à paternitate, & ab ipsa extensione: ergo illa extensio, quæ habet totum suum esse ad secundum filium habet totum suum esse ad aliud. Secundo, quia illud habet totum suum esse ad aliud, quod habet ita suum esse dependenter à termino, qui est illud aliud, vt nec esse nec intelligi possit sine illo, ad quod habet esse, & hoc adeo sit, vt ad positionem illius ponatur necessario, & ad destructionem illius, destruatur, itavt nulla potentia possit dari sine illo, nec possit concipi vllo modo sine tali termino. Hæc enim dependentia quoad esse, & quoad cognitionem est ratio adæquata, quare similitudo habeat totum suum esse ad aliud, & sit relatio formaliter, & etiam prima paternitas, nam cum tota ratio dependentiæ solum contineatur in hoc, potest constituere essentialiter ens illud cuius totum suum esse est ad aliud, quod proprie est relatio, imo nulla potest alia reddi ratio, quare paternitas sit relatio, præter hanc dependentiam à termino: sed illa extensio de novo ita dependenter est à termino de novo, vt non possit dari talis nova extensio, nec intelligi sine novo termino, & ad positionem illius ponitur necessario, quod adeo verum est vt adhuc Divinitus non possit impediri, nec conservari sine termino: ergo illa extensio est relatio formaliter de novo: ratio à priori huius est.

Quia illa est relatio quæ petit ad suum esse fundamentum, rationem fundandi, & terminum; sed illa extensio petit fundamentum, rationem novam fundandi, & distinctam à parte rei quæ est nova, & distincta realiter generatio petit novum, & realiter distinctum terminum: ergo est nova, & distincta paternitas: vnde solum erit elusio vocabulorum vocare extensionem, & non novam relationem, cum sit modus, & habet omnia requisita dicta quæ essentialiter requiruntur ad relationem.

Dices non esse novam relationem, quia est idem fundamentum reale.

Contra evidenter, & supponamus anno præterito, Petrum fuisse Patrem, mortuumque fuisse filium, tunc autem defivit esse prima relatio; lapso autem tempore, generet filium alium, resultabit sine dubio distincta numero relatio, quia idé numero ens non potest naturaliter reproduci, & licet hæ duæ numero relationes non habeant distincta fundamenta numero, quia fundamentum, vel est substantia generantis, & hæc est eadem nunc, ac anno præterito, vel est potentia generativa, & hæc est eadem numero etiam, potentiæ enim dilapsu temporis non mutantur, & variantur alternativa successione, nihilominus solum propter distinctam generationem, & genitum, datur distincta relatio numero: ergo si adhuc permanente primo filio datur nova, & distincta generatio, & distinctum genitum, licet sit idem fundamentum remotum, dabitur distincta numero relatio paternitatis. 12

Confirmatur, quia illa extensio debet poni in aliquo prædicamento per se: sed illa non est in prædicamento substantiæ, nec in prædicamento quantitatis, cum non sit quantitas, & cum illa extensio fingatur in relatione, quæ extenditur, quantitas enim non potest subiectari in relatione, vt de se patet, cum relatio sit modus, & quantitas sit res, nec potest dici illam extensionem esse modum quantitatis, & sic posse vnum modum in alio subiectari, non enim hoc potest dici, quia modus vnius rei, non potest separari ab illa, & esse in alia, alias esset modus, & non esset à parte rei, vt alibi demonstro, solum enim quantitas in materia prima, & extensio quantitativa in quantitate subiectatur. Præterea illa extensio non est qualitas propter eandem rationem, & qualitas est accidens non dependens à termino, sicut dependet illa extensio, & sic est accidens omnino absolutum, etiam quia ad qualitatem datur per se motus qui non datur ad illam extensionem, item nec actio, nec vbi, nec habere: ergo in nullo prædicamento præter relationem, cum omnia prædicata essentialia huius prædicamenti conveniant huic relationis extensioni: ergo est relatio formaliter.

Dices esse relationem partialem.

Contra: ergo nec prima relatio erit relatio completa, cum prima sit compars eius, præcipue quia hæc secunda per vos est pars, sed non est pars primæ, itavt prima sit totum, cum illa detur ante hanc secundam, & totum non possit dari sine

actua

actualibus partibus: ergo illa prima Paternitas etiam est incompleta relatio: sed nihilominus datur absolute relatio, & ideo absolute ponitur in prædicamento: ergo etiam hæc secunda absolute, & simpliciter dicitur relatio, & non extensio relationis.

Item, duæ illæ relationes nullam habent rationem partium, quia minime se habent quasi actus, & potentia, cum nulla aliam supponat, neque vna dependeat ab alia, nec vllum ordinem habeant inter se præter eum, qui est esse in eodem subiecto, maxime, quia numquam datur relatio completa, nam quibuscunque datis partialibus relationibus, potest alius terminus de novo advenire ad quem debet sequi necessario relatio, quæ in tua sententia debet componere cum alijs; sed hoc est absurdum, alias prædicamentum relationis erit incompletum per se, quod falsitatis sic convincitur.

Quia vbi sunt causæ completæ, & perfectæ, datur per se completus effectus: sed de novo dantur completæ causæ novæ relationis, quia datur terminus completus de novo, vt homo scilicet de novo genitus, qui est ens completum, adhuc in ratione termini, quia in illa ratione non ordinatur ad componendum cum alio terminum completum. Item, quia mortuo primo filio complete manet Pater in esse Patris cum hoc solo filio; alias semper Pater esset incompletus Pater cum nunquam habeat omnes filios, quos simul potest habere, etiam datur alia causa completa, quæ est ratio fundandi generatio nimirum, quæ in suo esse completa est cum sit productio entis completi, scilicet hominis: ergo concurrunt omnes causæ completæ relationis præcipue cum ipsum fundamentum, homo scilicet generans sit etiam completum: ergo relatio etiam quæ est effectus illorum erit completa relatio.

Dices illam extensionem non esse relationem partialem sed modus relationis, sicut extensio quantitatis est modus quantitatis.

Contra primo, quia modus rei non potest separari à re cuius est modus; sed illa quæ vocatur extensio potest separari à relatione paternitatis, nam mortuo primo filio, Pater non est Pater illius, quia illius qui actu non est, non est Pater actu: sed vbi non est Pater non est paternitas, sicut vbi non datur effectus formalis, non datur forma, si forma est accidentalis modalis, quæ non potest esse separata à subiecto; ergo cum mortuo primo filio non datur Pater illius, non datur paternitas illius prima, & nihilominus datur illa, quæ vocatur extensio ad secundum filium, nam adhuc mortuo primo filio, ille homo est Pater secundi Filij; ergo est in illo paternitas respectu secundi filij non existente paternitate ad primum: ergo separantur hæ duæ rationes, quia existit extensio destructa paternitate ad primum filium, separari autem nihil aliud est quam manere vnum destructo alio: ergo illa quæ vocatur extensio non est modus paternitatis, quia modus non separatur à re cuius modus est.

13 Secundo, quia tam completæ sunt causæ huius secundæ relationis, quæ vocatur extensio sicut causæ primæ paternitatis, item independenter sunt in sua operatione à causa primæ relationis, & ab earum operationibus, nam secunda hæc generatio, & terminus genitus, & homo quatenus generans est hunc secundum terminum omnino sunt independentes, quia hæc secunda generatio, etiam si non antecessisset prima poterat esse, & hic homo genitus poterat generari etiam si non genitus fuisset primus; item, & generans poterat etiam, si non genuisset primum, generare secundum; imo per accidens fuit ad generationem secundi, generatio primi, quia inter primum, & secundum genitum nulla datur subordinatio essentialis; sed quoties aliquis effectus ita est independens ab alio vt sine illo potuisset esse, cuius productioni est per accidens primus, & ita dependet à suis causis, vt tales causæ in productione illius secundi non dependeant ab alijs, non potest esse modus primi, quia modus essentialiter dependet à re cuius est, & essentialiter illam præsupponit necessario, vt videre est in vbi hominis, quod nullo modo potest dari ante hominem, quia necessario illum præsupponit, & extensio quantitatis nullo modo potest dari sine illa, vnde causæ etiam vbi, & extensionis dependent in suis operationibus ab homine, & à quantitate, nam non possent produci illa si non daretur homo, & quantitas, qui sunt effectus generationis, & eductionis: ergo illa, quæ vocatur extensio non est modus primæ cum potuerit esse sine prima, & cum totaliter dependeat à causis independentibus à primis, nam si per impossibile non antecessisset prima generatio, & primus genitus, data hac, quæ nunc est secunda generatio, & dato secundo genito, daretur hæc numero relatio, dato etiam hoc numero generante huius secundi filij, cum tota individuatio huius numero relationis sumatur ab hoc numero fundamento, ab hac numero generatione, & ab hoc numero genito, quæ omnia numero eadem adhuc non stantibus primis essent eadem, quia si causa est independens à causa alterius, etiam effectus illius causæ erit independens ab effectu illius, v. g. quia homo, vt causa generans est independens ab equo generante etiam homo genitus, & effectus est independens ab equo genito: ergo si generans secundus, & generatio, & genitum, quæ sunt causæ relationis sunt independentes à causis primæ relationis, relatio hæc quæ est effectus harum causarum est independens à relatione effecta ab illis: ergo hæc quæ vocatur extensio non est modus illius, quia modus dependet à re cuius est, & vbi ad homine, & extensio à quantitate: ergo.

Confirmatur, quia relatio formaliter est terminatio fundamenti ad terminum, fundamentum vero vt se habet ad terminum dicit formaliter relationem; at in hac nova extensione ad novum terminum est nova terminatio: ergo nova relatio.

Vrgetur cum Smiglesio, quia illa extensio, vel est quantitativa, vel formalis; non primum, quia quantitativa extensio fit per additionem, partis ad partem, necesse igitur esset addi novam relationis partem ad novum terminum, non secundum, quia forma se ipsa extenditur ad diversa subiecta, quatenus eadem numero manens informat diversa subiecta vel diversas subiecti partes, vt patet in anima rationali extendendo se totam ad omnes corporis partes, & si hoc modo relatio dicatur extendi ad plures terminos, non extendetur eadem terminatione: sed diversa, sicut neque forma extendit se ad novam partem eadem numero informatione; sed diversa, quod

quod si fuerit alia numero terminatio, erit procul dubio alia numero relatio; sicut igitur impossibile est extensionem hanc fieri sine nova terminatione, ita est impossibile fieri sine nova relatione.

Præterea hæc relatio ad secundum filium eodem modo producitur, & corrumpitur si duret primus filius, & relatio ad illum: sed si sit corruptus primus filius, & relatio ad illum quando producitur secundus, non potest vllo modo tunc esse illa eadem relatio numero, quæ erat ad primum: ergo non est eadem quando manet primus filius: Maior probatur, quia pater eodem modo generat secundum filium, & est pater illius si vivat primus, ac si sit mortuus, primus enim nullo modo concurrit ad generationem secundi: ergo illa relatio eodem modo producitur, & conservatur si duret primus filius, ac si esset corruptus. Minor probatur; quia quando corrumpitur primus filius, si adhuc non sit genitus secundus perit relatio ad illum, tam quoad intrinsecum, quam quoad extrinsecum, quæ consequenter non potest naturaliter redire idem numero: ergo quando producitur secundus filius non potest esse vllo modo eadem relatio numero, quæ erat prius ad primum, filium, quod vrgetur ex Divo Thoma *quod lib. 4. art. 4. contra gentes cap.* 81. & alibi sæpe, quem sequuntur omnes Thomistæ non solum in entibus absolutis, sed etiam respectivis reputat impossibile, vt naturaliter eadem numero forma corrupta redeat, quod tamen videtur omnino necessario in hac sententia dicendum, quare si eadem omnino, & numero relatione pater refertur ad primum filium, & ad omnes sequentes quando moritur primus filius nondum nato secundo corrumpitur omnino illa relatio patris, & deinde producto secundo eadem numero relatio redibit, quod si dicatur in hoc casu redire eandem numero relationem, quia iam est corrupta, non poterit assignari ratio, quare etiam manente prima relatione, & primo filio non producitur nova relatio in productione novi filij, cum eodem omnino modo producatur secundus filius, quando est mortuus primus, ac quando vivit, & durat relatio ad illum, quod si recurramus ad multiplicationem entium sine necessitate nihil videtur concludi, quia cum omnis relatio determinata debeat habere terminum determinatum accedente novo termino debet assignari nova relatio.

SVBSECTIO II.

Solutiones Adversariorum refutantur.

14 DIces non esse necessariam extensionem, sed solum positionem extrinsecam termini, ratione cuius relatio, quæ solum hunc numero terminum respiciebat, respicit iam alium numero de novo, quem antea non respiciebat. Hæc est plausibilior apud Thomistas solutio.

Contra evidenter, quia respicere in relatione non est denominatio extrinseca, sed intrinseca, & identificata ratio illius; vnde idem est relatio, ac respicere in relatione: sed per vos ratione extrinseci termini datur nunc respicere ad hunc terminum de novo, quod antea non dabatur: ergo ratione extrinseci termini datur nova relatio, quæ antea non dabatur, clarissimo exemplo convincitur, quia percipere obiectum est cognitio ipsa si datur nova perceptio nunc, quæ antea non dabatur, debet necessario dari nova cognitio nunc, quæ antea non dabatur, sicut quia animal rationale est homo, impossibile est vt detur novum animal rationale quod antea non dabatur, & quod non detur novus homo, qui est idem cum animali rationali. Maior illa prima est manifesta, quia respicere, referri, respectus, & relatio sunt synonima; vnde in omnium sententia sunt idem, & sic vbi datur respicere, datur referri, & vbi datur referre, datur relatio, & respectus, sed per vos datur respicere de novo ad secundum filium: ergo datur de novo relatio ad illum, alias esset, & non esset idem, & idem à seipso separaretur, cum daretur respicere, & non relatio, quæ sunt idem.

Dices ex vi positionis termini non datur in 15
antiqua paternitate additio aliqua.

Contra, quia quando ponitur novus terminus extrinsecus, vel illa relatio antiqua respicit de novo illum terminum, vel non respicit; si non respicit: ergo nec pater ratione illius est pater secundi filij, quia omnis pater debet respicere suum filium, & ideo Petrus pater non est respectu Angeli, quia non respicit Angelum, & ideo est pater respectu Antonij, quia respicit illum: sed Petrus pater non respicit secundum filium: ergo non est pater secundi filij; & clarius, vel posito novo albo antiquum respicit hoc album, sicut respicit novum album vel non; si non, non est simile illi, nec similitudo antiqua sufficit ad omnia alba, quia omnis sufficientia, quæ requiritur in prima paternitate, & similitudine, est vt referant ad secundum genitum, & respiciant secundum filium, & secundum album, sicut respiciunt primos terminos, alias si non respiciunt, non erunt formaliter relationes illorum, sed erunt in ordine ad illa, non vt relationes; sed quasi absoluta, v. g. si pater non respiceret primum filium, nec album non respiceret primum album non esset pater respectu primi, nec simile; vnde non daretur similitudo nec relatio paternitatis in illis, sicut quia Christus non refertur ad Virginem, non datur relatio filiationis in Christo per vos, quia si daretur, referretur; vnde hoc quod dicitur, destruit totum titulum quæstionis, & non est scopum collimare, nec interrogatis satisfacere, nam hic interrogamus vtrum posito termino secundo non sit necessaria alia relatio, vt respiciat illum, & sit pater illius, sed solum sufficiat prima ad respiciendum, ipsi respondent sufficere primam, quomodo nunc dicunt primam non respicere de novo hunc secundum filium, sicut antea non respiciebat: ergo vt bene respondeant, debent respondere respicere de novo hunc secundum terminum, quem antea non respiciebat, referrique de novo ad illum, ad quem antea non referebatur; ergo nunc datur in patre novum respicere, & novum referre, quod antea non dabatur, licet daretur respicere primum filium, & referri ad illum: ergo hoc respicere, & referri non est respicere primum filium, nec est prima paternitas.

Patet evidenter, quia per totum triennium, vel per totum biennium (supponamus abhinc tribus annis, aut decem, genuisse Petrum secundum filium) fuit primum respicere, & primum referri, sic paternitas ad primum filium realiter sine respicere, & referri ad secundum filium: ergo distinguntur à parte rei: ergo paternitas ad primum fi-

lium non est à parte rei paternitas ad secundum, quia idem non potest separari à se ipso : ergo est nova paternitas, quæ respicit secundum, & non antiqua, quod convincitur evidenter exemplo amoris, nam si antea amavi Petrum, & non amavi Ioannem per biennium, & nunc amo Ioannem, non potest hic amor esse idem, ac ille, & si cognovi heri Ioannem, & heri non cognovi Petrum, & nunc incipio cognoscere Petrum, non est eadem cognitio hæc, ac illa, quia separatæ fuerunt aliquo tempore realiter; vnde per eandem cognitionem non possum cognoscere hoc obiectum nunc, & non illud, & postea per eandem cognoscere vtrumque, hoc solum est mysterium Divinitati reservatum, quo Deus transeat de termino negativo intrinseco ad positivum intrinsecum sine additione reali, & hoc concedimus Deo, propter summam, & infinitam actualitatis perfectionem: atqui Pater creatus non est infinitus : ergo si nunc respicit intrinsece, quem antea non respiciebat, licet haberet primam paternitatem, evidenter sequitur nunc addi de novo paternitatem, & multiplicari relationem ad multiplicationem terminorum.

16 Confirmatur, referri vnum ad alterum, est effectus intrinsecus relationis : ergo vbi est nova denominatio respectiva, & novus effectus formalis illius, vt in Ioanne qui ad secundum filium refertur, ad quem antea non referebatur, erit nova forma relativa intrinseca de novo superadditata: at in Ioanne crescit effectus formalis, scilicet intrinsece referri ad secundum filium: ergo crescit forma addita nova entitate, implicat enim crescere effectum formalem intrinsecum, quin etiam realiter crescat forma intrinseca, præcipue, quia crescere talem effectum formalem; est ordinari ad hunc filium, ad quem antea non ordinabatur : ergo vbi est novum incrementum, vel accretio in ordine ad novum filium est novum ad; ergo & nova, & distincta relatio; multiplicato enim esse ad, & ordinari multiplicatur relatio, cuius essentia in esse ad consistit, & ideo vt ait Pater Suarez iuxta sententiam distinguentem à parte rei relationem à suo fundamento, non potest consequenter negari, quin multiplicatis terminis realiter, augeantur respectus, & quin addito novo termino aliquid reale relativum addatur præexistenti relativo, vt cum Pater generat secundum filium, aliquid respectivum acquirit, quod antea non habebat æque distinctum ab ipso ac erat paternitas, quam antea habebat, quia hoc convincunt consequenter loquendo rationes factæ, & quia est omnino eadem ratio; nam si Petrus cum genuit primum filium indiguit nova relatione, aut novo modo reali distincto, vt ad illum realiter referretur, cur non etiam quando de novo incipit referri ad secundum? neque enim dici potest priorem entitatem, aut modum sufficere; nam prior relatio adæquate refertur ad primum filium, & ab illo pendet in esse, & in definitione, & cognitione, non enim cognoscitur hæc relatio, vt hæc numero, nisi vt referens ad hunc numero terminum, vt aperte Aristoteles declarauit in prædicamentis, *cap. de ad aliquid*, vnde si consequenter loquendum est supposita nostra sententia de distinctione relationis à fundamento, necesse est vt dicamus tantam esse distinctionem inter paternitatem ad primum filium, & id quod additur Patri genito secundo, quanta est inter paternitatem ipsam, & fundamentum ipsum, itaque si hæc distinguntur à parte rei, etiam illa.

Probatur ex supradictis, quia relatio paternitatis ad primum filium ita comparatur ad id quod additur respectu secundi filij, vt possit illa paternitas esse sine hoc addito, & è converso possit manere hoc additum, & constituere Patrem sine illa prima paternitate : ergo si paternitas est modus realis distinctus, quia est separabilis à fundamento, etiam isti duo modi erunt inter se actu distincti ex natura rei, quia vnus est separabilis ab alio, & è converso, clarum autem est axioma asserens quandocunque duo ita distinguntur in re, vt vicissim, & vnum sine alio, & alterum sine altero manere possit, tunc illud esse sufficiens signum distinctionis à parte rei; sed ita inter se comparantur respectus Patris ad primum filium, & ad secundum, vt & prior sine posteriori, & posterior sine priori existere possit: ergo distinguntur inter se vera distinctione à parte rei: atqui vtrique modi sunt ad aliud, & ita ad aliud, vt nec esse nec intelligi possint sine alio, id est sine termino: ergo sunt formales relationes prædicamentales.

Dices relationem quoad primum filium esse intrinsecam rationem, quoad secundum autem esse denominationem extrinsecam.

Contra primo, quia eodem modo se habet denominatio Patris in ordine ad secundum filium, sicut in ordine ad primum; sed in ordine ad primum non est denominatio extrinseca: ergo nec in ordine ad secundum. Maior est evidens, primo, quia sicut se habet cognitio in ordine ad obiectum, sic se habet relatio in ordine ad terminum; sed cognitio tam intrinsece tendit in primum ac secundum obiectum, & non est intrinseca respectu primi, & extrinseca tendentia respectu secundi; ergo similiter respectus, seu relatio est intrinseca respectu secundi, ac respectu primi, & sicut quando non cognovi per primam cognitionem, nisi obiectum B, non cognoscendo obiectum D, & postea cognosco obiectum D, nullus potest dicere vtrunque obiectum cognosco per vtranque cognitionem; sed necessario est asserendum ad multiplicationem obiectorum, multiplicari cognitiones, ita sentiendum est de relationibus, & ratio à priori est, quia per accidens est, vt hic terminus sit secundus, nam potuit esse primus, & potuit esse solus, nam mortuo primo, manet solus, & si vt potuit genuisset hunc secundum hominem ante primum, hic homo, qui modo est secundus filius esset tunc primus : sed tunc relatio ad hunc terminum esset intrinseca : ergo nunc etiam, nam quod est per accidens, non mutat naturas rerum, ita vt ratione rei per accidens id quod est intrinsecum, reddatur extrinsecum; sed per accidens est quod hic terminus sit secundus : ergo ratione huius per accidens relatio, quæ deberet esse intrinseca respectu huius non potest esse extrinseca.

Secundo contra, quia denominatio relativa non est extrinseca, sed intrinseca; nam in hoc distinguitur actu terminans, & actu obiectum ab actu respiciente, quod illa sunt extrinsece denominata, hoc vero minime; sed Pater in ordine ad secundum filium est denominatio relativa: ergo non est extrinseca, sed intrinseca, nam licet vna, & eadem entitas possit esse denominatio extrinseca, & intrinseca, vt eadem visio, est

intrinseca

intrinseca videnti, & extrinseca obiecto, & actio est intrinseca passo, vel termino, & extrinseca agenti, hoc tamen evenit respectu diversorum, non tamen respectu eorum, quæ sunt eiusdem rationis, nam passum, & agens sunt diversarum rationum, & potentia, & obiectum; vnde visio, & actio respectu horum potest esse intrinseca, & respectu illorum extrinseca; è contra vero, quia hoc, & illud agens sunt eodem modo agentia, actio enim non potest esse intrinseca, respectu vnius agentis, & extrinseca respectu alterius agentis, quia hæc potentia visiva, & illa sunt eiusdem rationis respectu vnius, visio non potest esse denominatio extrinseca, & respectu alterius extrinseca; sed pater respectu secundi filij est eodem modo pater, ac respectu primi: ergo paternitas non potest esse denominatio extrinseca respectu huius, & intrinseca respectu alterius.

17 Vltimo cõfirmatur, posito novotermino, v. g. novo filio datur nova relatio: ergo multiplicatis numero terminis, multiplicantur numero relationes. Antecedens sic probatur, posito novo filio respectu Petri, Petrus est pater illius de novo, sed non potest Petrus de novo esse Pater illius, quin in Petro detur nova paternitas ad illum novum filium: ergo posito novo filio, datur nova paternitas in Petro. Maior est evidens, quia Petrus non erat ante generationem illius filij pater eius, cum ille filius tantum esset possibilis, vel futurus, minime actualis tunc, cum per generationem accipiat esse actuale, quod necessario requirit omnis relatio actualis, tam filiationis (quia modus actualis non resultat, nisi in subiecto actuali,) quam paternitatis; tum quia est simul natura cum filiatione, & sic simul in eodem instanti resultant, quod adeo verum est, vt vna nullo modo possit esse, aut resultare prius, quam alia; tum etiam, quia nullus dicitur actu pater possibilis, aut futuri filij, sed solum actualis, alias vt supra dixi Christus Dominus esset actu pater naturalis multorum hominum, quos potuit generare, & Beata Virgo mater naturalis multorum filiorum, & non solius Christi, vnde Christus non erit vnicus filius naturalis Beatæ Virginis, quod est contra fidem.

Et post generationem illius est pater, cum ille sit genitus à Petro formaliter, vnde, & filius Petri, cum statim ac genitus sit aliquis resultet in ipso filiatio, filius autem non potest esse de novo talis sine patre de novo: ergo tunc est Petrus pater illius filij, quem de novo genuit, sed ante talem generationem non erat actu pater: ergo Petrus post illam generationem est de novo pater illius de novo geniti, quia esse de novo album, calidum, frigidumve, est nunc esse, quod antea tale non erat: sed Petrus nunc est pater huius nunc geniti, & antea non erat pater illius: ergo Petrus de novo est pater ipsius de novo geniti.

Minor præcipua sic probatur, quia impossibile est vt detur effectus formalis de novo, & quod non detur de novo forma: sed pater est effectus formalis relationis paternitatis: ergo si de novo est pater, de novo erit paternitas in illo, quæ est forma illius. Maior sic probatur, nam impossibile est quod sit de novo homo sine humanitate de novo, & album de novo sine albedine de novo, imo Verbum Divinum non potest esse humanatum de novo sine humanitate de novo, & vnitum de novo humanitati hypostaticæ, sine hypostatica vnione de novo, & Deus nunquam fuit de novo Deus, quia nunquam habuit Divinitatem de novo, nam hæc propositio nunquam fuit verificata nunc, hoc ens habet divinitatem, quam antea non habuerat, & ideo etiam hæc propositio, nunquam potuit habere veritatem; Hoc ens est Deus nunc, cum antea non fuerat Deus, nam semper fuit Deus, quia semper habuit Divinitatem, nam à concreto ad abstractum, optima est consequentia, abstractum est constitutivum essentiale concreti, & ratio evidens à priori est, quia effectus formalis nihil aliud est, quam materia, forma, & vnio, id est materia habens formam, & forma informans materiam: sed impossibile est vt idem sit de novo, & non sit: ergo impossibile est vt sit effectus formalis de novo, & non sit de novo forma. Patet hæc consequentia, quia esse de novo effectus formalis, est constitui de novo concretum à forma essentialiter constitutiva illius: sed non potest constituere forma concretum de novo, nisi de novo vniatur forma materiæ; nam forma non constituit, nisi exhibitionem suæ propriæ entitatis in subiectum; vnde si de novo constituit, de novo exhibet suum esse materiæ, vnde de novo est per informationem: ergo si de novo habet esse concretum, seu effectus formalis, necessario de novo est forma: atqui per te licet de novo sit effectus formalis non est forma de novo: ergo necessario sequitur quod sit de novo forma, & non sit de novo respectu eiusdem subiecti: atqui hoc est contra evidens axioma omnium maximum, impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo ne hoc absurdum sequatur, dic necessario, quod si de novo est effectus formalis, de novo esse à forma: atqui multiplicato secundo filio, vt termino de novo est pater illius: ergo de novo est forma, & multiplicatur paternitas, quæ constituit patrem, vnde multiplicatis terminis, necessario debet multiplicari relatio.

SVBSECTO III.

Secundum argumentum ponitur.

SEcundo probatur principaliter, quia si multiplicatis terminis, non multiplicarentur relationes (v. g. in patre qui genuit primum filium, secundo genito, non multiplicaretur paternitas: sed vt vos dicitis prima paternitas sine aliqua additione referretur ad secundum posito solum secundo filio:) ergo antequam generet secundum filium genito primo, talis homo generans primum est potens ex vi paternitatis quam habet, vt quando ponatur secundus filius, sine aliqua additione possit per illam ipsam paternitatem respicere secundum filium, quare ipsa paternitas erit formaliter potentialitas aut potentia ad respiciendum secundum filium quando ponatur, sicut v. g. quia anima rationalis ex vi intellectus quem habet, est potens vt possit intelligere obiectum, & ex vi voluntatis est potens amare, intellectus, & voluntas sunt necessario potentiæ, & potentialitates ad amandum, & intelligendum: sed relatio paternitatis, nec est potentia, nec habet vllam potentialitatem ad respiciendum: ergo ex vi talis paternitatis, antequam detur secundus filius, non est potens pater respicere illum: ergo quando actu datur secundus filius, non respicit pater ex vi illius secundum filium, sed necessario ponenda est alia relatio, ex vi cuius formaliter respiciat illum filium. Hæc consequentia est evidens, nam cum 18

negatur potentia alicuius actus, negatur actus ille, qui sequitur ex vi illius potentiæ, sed primæ paternitati negatur potentia, & potentialitas ad respiciendum secundum filium: ergo negatur illi actu respicere secundum filium, quod respicere est actus illius potentiæ. Maior est evidens, quia negatur intellectui creato, destituto lumine gloriæ potentia ad clare videndum Deum, necessario debet negari actus videndi clare ipsum, & quia voluntati negatur potentia ad intelligendum, ipsi voluntati negatur actus tali potentiæ debitus, scilicet actu intelligere: ergo si talis actus non oritur ab illa prima paternitate, necessario debet dari alia formalitas ex vi cuius respiciatur secundus filius, & detur talis actus respiciendi, sicut ad actu respicere primum filium prima datur paternitas distincta à fundamento, quia ex vi solius entitatis fundamenti non potest dari actus respiciendi terminum.

Illa minor sic probatur, primo, quia paternitas est modus, vt de se patet, & postea probabitur, imo eam defendunt Rubeus, & multi ex Thomistis, sed modus non est potentia, nec vllam habet paternitatem, vt latissime demonstravi in metaphysica, *disput. 1. quæst. vlt. Vtrum scientia sit simplex qualitas*, contra Patrem Vasquez, conclusione secunda videte ibi, satis abunde probatum: ergo relatio, quæ modus est, non est potentia nec habet aliquam potentialitatem, vt est videre in vnione, in vbi, & in actione, &c,

19 Secundo probatur, & suppono esse rem: sed in sententia ipsorum Thomistarum, vt asserit Sanchez in sua Logica, *lib. 5. 4. prædicamento, quæst. 33. conclus. 3.* relatio actu existens non constituit aptum referri, sed actu referens, quod etiam asserunt Capreolus, Sotus, Bañez, Masius, & alij: ergo prima paternitas solum potest constituere actu referens, & minime in potentia referens, vel potens referre, sed solum in ordine ad primum filium potest constituere prima paternitas generantem actu respicientem, nam in ordine ad secundum, quia actu non est genitus secundus, non potest actu respicientem illam constituere, non enim actu paternitate respicitur, quod actu filius non est, vt est id quod non est actu genitum, sed ex alio capite in ordine ad secundum filium non potest constituere potens respicere, nec in potentia, vt referatur, quia totus effectus formalis relationis actu existentis, solum est actu referre, & constituere actu relatum, & actu respiciens: ergo in ordine ad secundum prima paternitas non refert, cum licet ipsa existat, antequam existat secundus filius non sit potentia ad secundum respiciendum: ergo quando ipse secundus terminus existit actu, ipsa non est respiciens actu, quia cui negatur potentia ad aliquod exercitium, si talis entitas præexistat ante exercitium etiam debet negari actus, vnde actu non respiceret dato novo termino: ergo alia est ponenda ratio formalis, ex vi cuius respiciatur secundus terminus.

Tertio idem intentum sic probatur, essentia relationis ita in actuali terminatione, & respicientia consistit, vt minime circa hoc aliquid potentialitatis habeat cum sit essentialiter non potentia ad referendum, sed essentialiter respectus non ordinabilitas, sed ordo, non referibilitas, sed ratio formalis referendi, & sic ipsum respicere non est separabile ab ipsa relatione, nam si separaretur aliquando ab aliquo exercitio, posset ab omni exercitio actuali respiciendi separari, cum non sit maior ratio vnius, quam alterius; vnde posset dari pater sine vllo filio, & sine actu respicere filium, & sic relatio prædicamentalis non peteret essentialiter coëxistentiam termini, nec vere diceretur totum suum esse habere in respectu ad aliud: atqui consistit tota adæquata ratio relationis in actuali ordinatione, relatione, & ordine, vt patet ex eius definitione, & nihil potest existere sine tota adæquata eius essentiali ratione, alias homo sine humanitate, & sine sua definitione posset esse, quod est absurdum: sed tota adæquata ratio formalis primæ paternitatis, existente primo termino, est actualis terminatio: ergo adæquate est solum circa illum terminum, & si est etiam circa secundum, separabitur à sua actuali terminatione circa secundum, vnde poterit etiam à prima, & sic ab adæquata terminatione, sicut quia animal rationalis potest separari in aliquo subiecto, v.g. in ossibus ab aliquo effectu scilicet à reddendo rationalia illa, & sensibilia potest ab omni effectu formali separari, vt est separata modo anima Divi Petri ab omni effectu formali: ergo similiter, si prima paternitas actu non respicit secundum filium, nec ad illum terminatur, & producto, seu genito illo terminatur ad illum: ergo talis paternitas separatur ab illa terminatione, quam potest facere: ergo potest ab omni sicut quia intellectus potest separari à perceptione hac obiecti, & à terminatione illa potest ab omni, sed terminatio ad terminum est essentialis adæquatæ relationi: ergo non potest separari ab illa: ergo solum potest exercere illam quam actu habet: ergo si de novo incipit alia, non est ex vi huius, sed ex vi alterius relationis, tunc sic posito novo termino datur terminatio ad illum ex parte generantis, cum sit etiam pater huius secundi; sed non est terminatio, quæ antea erat ex vi primæ relationis, cum prima relatio exercebat suam totam adæquatam terminationem ante adventum huius filij: tunc enim, quia habebat suam adæquatam essentiam, quæ in actuali exercitio consistebat totam adæquate exercebat circa primum filium: ergo circa secundum non potest exercere, quia nihil extra suam adæquatam rationem potest transire, nec progredi, & ideo oculus non potest audire, nec auris videre: ergo ex vi alterius relationis fit hæc terminatio, imo relatio alia est hæc terminatio, quia relatio paternitatis nihil aliud est, nisi terminatio generis ad genitum.

Vrgetur primo, quia vel paternitas circa primum filium est potentia ad respiciendum, vel actualis referentia; si est potentia: ergo non est relatio prædicamentalis, nec pertinebit ad prædicamentum relationis, sed potius erit qualitatis species prima, quæ potentia dicitur pertinebitque ad qualitatis prædicamentum, imo poterit esse paternitas sine vllo filio, vt potentia intellectus esse potest sine actuali obiecto, & sine omni actuali intellectione; item ad paternitatem dabitur alia actualis respicientia, quæ essentialiter sit actualis terminatio ad actualem terminum, quæ potius erit relatio prædicamentalis, quæ ex vi suæ definitionis non est referibilitas, sed relatio, & vt ita loquar referentia non est terminabilitas, sed terminatio non est ordinabilitas, sed ordinatio, non est respicibilitas, sed respectus ipse, & ratio formalis respiciendi, vnde paternitas illa erit, & non erit paternitas; erit paternitas, quia supponitur non erit, quia dicitur esse potentiam, & concedantur illa omnia absurda: ergo ne tot inconve-

nientia

nientia sequantur, dicendum est paternitatem non esse potentiam ad primum filium, sed essentialiter actualem relationem, seu respectum, & actualem rationem referendi: sed quod respectu vnius non est potentia, sed actualis ratio non potest esse respectu alterius actualis terminatio, propter maximam distantiam inter has duas formalitates, quæ nunquam coëunt in vnam entitatem creatam, vnde si respectu vnius est potentia respectu omnium debet esse potentia, & si respectu vnius est actualis tendentia & terminatio, respectu omnium debet esse talis, & minime respectu vnius actualis terminatio, & respicientia, & respectu alterius potentia vt respiciat: quod exemplis clarissimis demonstratur, quia intellectus Angeli est potentia respectu alienorũ obiectorum, respectu sui non est actualis intellectio, sed est etiam potentia, imo respectu omnium obiectorum est talis, & quia actualis intellectio est actualis tendentia, & terminatio in obiectum, non est potentia respectu aliorum, & quia respectu vnius termini non est potentia vnio, sed potius actuale vnire, etiam est talis respectu omnium, & quia actio est actualitas respectu vnius termini, non potest esse potentialitas respectu aliorum: sed paternitas non est potentia respectu primi filij, sed actualis respicientia: ergo respectu secundi non potest esse potentia ad respiciendum dum præexistit ante illum: ergo quando actu est secundus filius non respicit illum, quia cui præexistenti negatur potentia, negatur etiã actus: sed paternitas dum erat in generante primum filium non erat potentia ad respiciendum secundum: ergo non poterat respicere, sicut quia equus non potest ratiocinari non ratiocinatur actu, & quia pater æternus non potest generare alterum Verbum, actu non generat aliud secundum Verbum Divinum: ergo quando respicitur secundus filius est ex vi secundæ paternitatis distinctæ à prima.

Confirmatur secundo, quia paternitas constituit patrem in genere causæ formalis: ergo constituit dando se totam: ergo in illa exhibitione exhauritur tota capacitas, & non ei reservatur aliquid postea tribuendum, quia in hoc distinguitur causa formalis à causa efficienti, quod causa efficiens non tribuit, nec operatur statim omne quod habet: sed per partes operatur, & ideo effectus causæ efficientis vocatur participatio, idest partem capiens à causa; at vero causa formalis constituit suum effectum secundum omne quod habet, quia non operatur extra se, sed causat dando se totam ipsam; vnde statim tribuit omne quod habet, & non remanet capacitas ad aliud tribuendum, cum in suo esse quod tribuit non sit aliud, & aliud esse quod possit successive tribuere, sed paternitas prima ita constituit, vt tribuat totum suum esse patri, & exhauriatur illa concessione, & tributione capacitas tota illius, ita vt si tunc aliquid non tribuit, est quia non potest, non quia reservat, sed dum non est genitus secundus filius non constituit formaliter hominem patrem illius, quia in prima constitutione exhausta est tota capacitas illius: ergo dum actu est secundus filius non potest constituere in ordine ad eum: ergo quando generatur secundus, non respicit illum: ergo alia relatio est ex vi cuius constituitur generans respiciens illum, & non ex vi primæ.

Confirmatur tertio ex Scoto, quando aliquid per aliquam formam est vltimate tale, eadem forma in eo existente semper est tale cum teste Philosopho idem manens idem semper sit natum facere idem, vt quia manus est calida vltimate per calorem calore existente in manu semper est calida, quia vbi est causa formalis, ibi necessario est effectus formalis: sed relatio est forma, qua subiectum illam habens est vltimate relatum ad aliud: ergo non potest manere eadem paternitas destructo illo filio, ad quem subiectum ordinabat, atque adeo cum destructo secundo filio, destruitur hoc quod est esse ad illum, destruitur etiam illa paternitas, à qua denominabatur, & constituebatur pater vltimate, respectu illius, ac antea cum existebat imo posset manere paternitas eadem nullo filio manente; vnde effectus formalis ad aliud maneret sine alio, quod est summum absurdum; nam cum relatio sit forma, qua vltimate subiectum constituitur in esse actu relati ad terminum, ideo effectus formalis relationis ab illa inseparabilis in actuali exercitio referendi consistit, atque adeo actualem terminationem importat, cum enim relatio sit essentialiter actualis respectus, seu referentia subiecti ad terminum non potest intelligi in subiecto, quin actualiter sit referens, & sic exercitiũ relationis est inseparabile ab illa; vnde totum suum exercitium secum simul importat vt vnio, vbi, actio, & duratio: ergo si datur paternitas, cuius exercitium est aliquando respicere primum, & secundum, nam per vos de novo genito secundo filio, respicitur à prima paternitate semper illum vt quo respiciet; vnde semper ac datur in generante constituet illum, vt respicientem actu, vt quod; vnde antequam generetur secundus filius, respiciet actu illum pater: ergo antequam generet secundum filium pater est actu pater illius, quia actu respicit illum per paternitatem. Hæc autem omnia sunt summa absurda: ergo eodem modo est absurdum dictum adversariorum.

SVBSECTIO IV.

Tertium argumentum ponitur.

TErtio principaliter probatur, relatio multiplicatur ad multiplicationem terminorum adæquatorum; sed quibilet filius est adæquatus terminus relationis paternitatis: ergo. Maior est evidens, quia sicut se habet potentia respectu obiecti adæquati, ita se habet relatio respectu termini adæquati; sed potentiæ multiplicantur si non ad multiplicationem obiectorum inadæquatorum, certe quidem ad multiplicationem obiectorum adæquatorum, vt sunt visibile, amabile: ergo licet relatio non multiplicaretur ad multiplicationem terminorum inadæquatorum, multiplicabitur necessario sine dubio ad multiplicationem adæquatorum terminorum, & ratio evidens est, quia si terminus est adæquatus, æquat capacitatem, & implet terminationem, exhauritque totam sphæram, & ordinationem relationis, ita vt tota satietur terminatione ad illud obiectum, itavt nec terminus possit terminare aliam relationem, nec relatio possit simul alium terminum respicere, nam si posset, superaret sua referentia illum terminum; vnde talis terminus esset adæquatus, vt supponitur ab aduersarijs, & non esset adæquatus, quia superatur, & exceditur à respicientia illius, sicut ideo homo non est adæquatum obiectum intellectus, quia superat intellectus sua tendentia hominem, nam vltra hominem extenditur ad Angelum;

gelum ; ergo si est adæquatus ita debet respicere illum, vt vltra illum terminum non possit alium respicere, vnde si præter illum terminum adæquatum datur alius terminus, alia debet multiplicari relatio ad illum respiciendum, sicut, quia visibile est adæquatum obiectum visus, & audibile est distinctum obiectum ab illo, ad visibile datur potentia visiva, & ad audibile auditus, quæ est distincta potentia, vnde ad multiplicationem obiectorum adæquatorum multiplicantur distinctæ potentiæ, sed tam adæquatus est terminus respectu relationis, sicut obiectum respectu potentiæ; ergo sicut ad multiplicationem obiectorum adæquatorum multiplicantur distinctæ potentiæ, ita ad multiplicationem terminorum adæquatorum multiplicantur relationes.

Minor vero sic probatur primo, quia quilibet terminus est filius adæquatus diversæ rationis fundandi, nempe diversi genuisse, & generationis patris; ergo, & diversæ relationis, quia diversa ratio fundandi, diversam causat relationem. Secundo quia relatio non potest existere absque termino adæquato, ad quem refert: sed relatio paternitatis ad primum filium existit primo filio existente: ergo hic erit terminus adæquatus illius: ergo ad nullum alium poterit patrem referre: ergo diversa relatio paternitatis est, quæ refert patrem ad secundum filium. Maior illa sic probatur, quia sicut se habet intellectus respectu sui obiecti possibilis, ita se habet relatio respectu sui termini actu existentis, sed intellectus non potest esse nisi sit possibile totum obiectum adæquatum, itavt si per impossibile destrueretur aliquod ex possibilibus obiectis, quæ integrant obiectum adæquatum intellectus, non posset esse intellectus cum essentialiter dicat ordinem, non ad actuale obiectum, sed ad possibile adæquatum, & ideo licet nullum obiectum existat, nec inadæquatum, nec adæquatum, dum tamen sit possibile adæquatum existere potest intellectus: ergo similiter relatio, quæ non potest terminum possibilem, sed existentem, non poterit existere sine adæquato termino suæ specificationis & ordinationis, quod autem solum petat terminum existentem, supra demonstravi.

Confirmatur, relatio paternitatis existente tantum primo filio, dependet totaliter, & adæquate ab illo solo: ergo si eadem est ad secundum accedente secundo, incipit dependere eodem modo ab illo, quia potest destrui primus, & tunc à solo secundo dependebit: ergo idem potest totaliter à duobus, vel pluribus pendere, à quorum quolibet pendeat totaliter, & adæquate quod est impossibile, si illa sint eiusdem ordinis, & generis, & quodlibet eorum per se sit sufficiens, & adhibeat totam suam virtutem, & potentiam.

Vrgetur, quia hac ratione relatio, quæ prius pendebat ab vno solo totaliter, postea incipit dependere ab alio, & potest conservari destructo illo primo à quo pendebat totaliter, & adæquate, quo posito non erit essentialis, & determinata dependentia relationis à termino, quia si potest esse sine hoc: ergo non est essentialis dependentia ab hoc, & si potest esse sine alio, nec est essentialis dependentia ab alio: ergo à nullo eorum pendet essentialiter.

Dices terminum non esse causam efficientem relationis, & ideo non esse eandem rationem causæ totalis efficientis, ac termini.

Contra, quia sive terminus sit causa efficiens relationis, sive non sit, argumentum eodem modo concludit, cum certum sit relationem cum totum esse habeat ad aliud, dependere essentialiter à termino, quocunque modo dependeat, posita autem essentiali dependentia argumentum concludit efficaciter.

Vrgetur vltimo, quia supposita distinctione 21
reali modali relationis à fundamento, relatio referens patrem v. g. ad primum filium non potest esse forma referens ad secundum, tum quia ante adventum secundi filij constitueret Petrum patrem in ordine ad illum, tum quia primus est terminus adæquatus vt diximus, tum etiam, quia si esset modus essentialiter adstrictus esset ad primum filium, tanquam ad terminum suæ actualitatis, & essentialis habitudinis: ergo. Deinde, quia relatio consurgit ex positione termini fundamenti, & rationis fundandi: sed quando pater genuit secundum filium positus est novus terminus, & nova ratio fundandi, nempe nova entitas filij geniti, & nova actio, seu generatio per quam productus est filius: ergo resultat realiter supposita illa sententia alia relatio referens patrem ad secundum filium.

Dices impediri resultantiam relationis secundæ, quia prima sufficit vt referat patrem ad primum, & secundum filium.

Sed contra, quia eadem secundum numerum forma, non potest secundum numerum diversum effectum formalem præstare apud auctores illius sententiæ, ita vt nunc vnum postea diversum ab illo præster, & ideo ob hanc solum rationem existimant relationem distingui à parte rei à fundamento: sed quod pater referatur ad secundum filium est diversus effectus formalis secundum numerum ab eo, per quem refertur ad primum: ergo non potest ab eadem numero forma relativa vteraque præstari: ergo necessario multiplicãda est realiter in hac sententia alia relatio paternitatis, quæ referat patrem ad secundum filium, quod vero sit diversus effectus formalis in patre, quod referatur ad secundum filium patet, tum quia separatur à relatione patris ad primum, nam pater vere ante adventum secundi filij referebatur ad primum, & multoties mortuo primo filio remanet relatio Patris ad secundum: ergo.

SVBSECTIO V.

Quartum argumentum ponitur.

QVarto principaliter probatur, quia relatio 22
est cuius totum suum esse habet, seu est ad aliud vt constat ex definitione relationis ab Aristotele tradita; atqui in relatione datur triplex esse, aliud genericum, aliud specificum, aliud individuale; ergo hoc omne esse relationis est ad aliud v. g. in maternitate Virginis, vel in paternitate Caroli quinti Imperatoris maximi respectu Philippi secundi datur respectus vt sic, seu ratio relationis vt sic, quæ est ratio generica illius paternitatis. Deinde datur ratio paternitatis vt sic quæ est ratio specifica, & datur ratio talis paternitatis, id est in ordine ad talem filium, scilicet Philippum se- 23
cundum, quæ est ratio individualis, quæ omnes rationes essendi constituunt complete hanc numero paternitatem, itavt sine quocunque esse illorum talis paternitas, nec daretur, nec haberet esse reale à parte rei, itaque tam esse genericum, quam specificum, & individuale, sunt esse vere, & proprie

proprie huius numero paternitatis ; vnde si definitio relationis ait ; cuius totum suum esse est ad aliud, hoc est sumitur in ordine ad aliud, non solum esse genericum : sed & specificum, & individuale erit ad aliud, nam vniversalis ex defectu cuiusque particulari falsificatur. sicut hæc, omnis homo fuit conceptus in peccato originali, quia Beata Virgo fuit sine labe concepta, & omnis homo est iustus, quia multi sunt peccatores ; sed illa est vniversalis, cuius totum suum esse, id est, cuius omne esse est ad aliud, totū enim ibi pro omni sumitur, vt docet D. Thom. & cæteri Doctores, sicut quando dicitur tota natura humana corrupta est, id est, omnis homo corrumpitur vel est corruptibilis, & ratio evidens est, quia eo modo debet sumi adiectivum totum sicut est substantivum, cui adiungitur, nam si substantivum sit totum potentiale, particula totum significat idem quod omne, & cadit distributive super omnia inferiora, quæ sunt partes potestativæ illius, vt in exemplis positis patet, & in hoc tota natura Angelica est spiritualis, id est, omnes Angeli sunt spirituales, & Hispane dicimus, *Todo hombre miente. Todo hombre, parece que es lo mesmo, que decir, todos los hombres en particular per scen, &c.* ergo nullum esse datur in relatione quod non sumatur in ordine ad aliud, seu in ordine ad terminum : sed individuale est vnum esse relationis : ergo etiam sumitur in ordine ad aliud. Tunc sic, quia esse genericum sumitur à termino generico vt sic, tot multiplicantur relationes genericæ, quot sunt rationes fundandi generice distinctæ, & termini genere distinguntur, & quia datur triplex genere distincta ratio fundandi, & triplex genere distinctus terminus in vno eodemque fundamento datur triplex genus relationis, nam in eadem scientia datur relatio similitudinis, cum alia scientia, quæ est ex primo genere relationis, datur relatio effectus ad causam, quæ est secundum genus, datur relatio ad obiectum, quæ est mensurabilis ad mensuram, quæ est tertium genus relationis, & omnis hæc multiplicatio relationum datur, non quia multiplicatur fundamentum, quia fundamentum idem numero est in omnibus relationibus : sed quia solum multiplicantur ratio fundandi, & terminus ; sed quia etiam esse specificum sumitur à termino, tot multiplicantur specie relationes, quot multiplicantur specie termini, nam illæ relationes non solum genere distinguntur, sed etiam specie ; sed etiam esse individuale relationis sumitur à termino, & ratione fundandi : ergo tot erunt relationes numero, quot fuerint distinctæ rationes fundandi, & termini numero distincti, vt in eodem exemplo patet, nam illæ relationes, quæ in scientia dantur non solum genere, & specie, sed etiam numero distinguntur, imo impossibile est vt genere, & specie aliqua entia distinguantur à parte rei, quin numero distinguantur, vt videre est in Bucephalo, & ipso Alexandro Magno, qui genere, specie, & individuo secernuntur, & in Petro, hac arbore & hoc equo, quæ entia, quia genere differunt, differunt specie, & numero ; nam genus, & species non sunt, nisi in individuis distinctis ; sed illæ relationes in eadem numero scientia existentes, licet sit idem fundamentum numero multiplicatur genere, propter multiplicationem specie rationum fundandi, & terminorum ; ergo si certum est etiam numero multiplicari, multiplicabuntur numero, propter distinctas numero rationes fundandi, & distinctos numero terminos.

Probatur hæc vltima consequentia, nam vbi est eadem ratio formalis, est idem, vel quasi effectus formalis ; sed quia genus illius relationis est respectivum (& est respectivum, quia constituit relationem, quatenus distinguitur ab absoluto) est ad aliud, & quia est ad aliud, seu ad terminum multiplicato termino generice, multiplicatur relatio generice, & idem est de multiplicatione specifica relationum, quia est in ordine ad terminum : sed sic est quod individuatio relationis est, & non absoluta, alias relatio esset quid mixtum ex relatione, & absoluto ; vnde necessario est respectiva ; ergo tota est in ordine ad terminum ; ergo multiplicatur numero multiplicato termino numero, nam vt dixi, quia in generica ratione relationis datur ratio formalis essendi ad aliud sequitur effectum multiplicationis generis, & in specifica similiter : sed in individuali datur eadem ratio formalis respectivæ : ergo sequitur idem effectus formalis multiplicationis individuationis ad multiplicationem individualem terminorum, & rationis fundandi, licet sit idem numero fundamentum, quia vbi est eadem ratio ; &c.

Dices in illis relationibus per accidens multiplicari individuationem, quia multiplicantur genus, & species, non tamen per se.

Contra primo : ergo non sumitur essentialiter, & necessario solum individuatio à fundamento, quia si essentialiter, & necessario sumeretur, nec per accidens posset multiplicari numero relatio, cum fundamentum, nec per se, nec per accidens multiplicetur, imo si necessario sequeretur per se, & essentialiter non multiplicato fundamento non posse multiplicari relationes, sequeretur etiam non posse, nec generice, nec specifice, quia quando datur impedimentum aliquod essentiale ad vnam rationem, datur etiam ad id quod est idem cum illa, vt quia datur impedimentum ad essendum rationem individualem chimeræ à parte rei, & vt à Deo producatur, etiam datur impedimentum vt producatur realiter à Deo, vt existat à parte rei ratio specifica, & generica Chimeræ, & quia naturaliter datur impedimentum, vt eadem realis individuatio huius equi resurgat, datur impedimentum vt ratio equi identificata realiter cum illa individuatione resurgat, & idem est in motu adhuc Divinitus in vestra sententia : sed per vos datur impedimentum per se, & essentiale, vt non multiplicato numero fundamento, multiplicetur numero relatio ; ergo erit etiam impedimentum ne multiplicetur genere quod est idem cum individuatione, & specie, præcipue quia ex multiplicatione generis sequitur multiplicatio individuationis, & per se, & per accidens, per se, quia distinctum genus relationis petit per se distinctam individuationem, per accidens, quia à vobis dicitur : ex quibus sequuntur maxima inconvenientia, primum quod per se pugnet natura secum, nam ab ipsa natura constitutum est per vos, vt non multiplicato numero fundamento, minime multiplicetur numero relatio : ex alio capite sequitur per se, quod multiplicato genere multiplicetur per se individuatio : ergo si ipsa natura facit quod non multiplicato fundamento, multiplicetur genus, ipsa natura multiplicat

36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47

tiplicat individuationem per se non multiplicato fundamento numero; vnde facit contra seipsam, quæ per vos constituit non multiplicato fundamento numero non posse multiplicari, & sic ait posse multiplicari; siquidem de facto multiplicat, & actu ad potè tiam bene valet argumentum, & ipsa natura ait non posse multiplicari numero relationem non multiplicato numero fundamento; vnde ait, & negat quod ait, ac proinde sibi ipsi maxime repugnat, imo facit idem posse, & non posse simul, quod contradicit omnium maximo axiomati asserenti, impossibile est idem simul esse, & non esse. 48

Si autem per accidens ratione generis multiplicatur individuatio: ergo non sumitur per se essentialiter individuatio relationis à fundamento, nec per se essentialè est non posse multiplicari relationem, non multiplicato fundamento; nam quando per se, & essentialiter est aliquid, nec per se, nec per accidens potest convenire oppositum illius, quod per se, & essentiale est, vnde erit falsum vetrum assertum, & hoc est secundum inconveniens. 49

Contra vrgetur secundo, quia tota ratio quare per vos non multiplicatur individuatio est quia sumitur à fundamento, sed in vestra sententia genus relationis sumitur à fundamento, & species à termino, vt asserit D. Thomas 2. *met.* & 3. *p. q.* 35. & *opusculo* 49. & nihilominus licet non multiplicetur genere fundamentum, cum sit idem numero, vt in exemplo posito de scientia patet, nihilominus multiplicantur genere relationes: ergo similiter licet non multiplicetur numero fundamentum, & relatio sumat vnitatem individualem in ordine ad fundamentum, si multiplicatur numero terminus, multiplicabitur numero relatio.

Tertio contra, quia fundamentum, nec simul nec successive mutatur individualiter, sed semper est idem numero fundamentum, & nihilominus successive dantur, & multiplicantur numero relationes quando successive multiplicantur termini, v. g. Petrus generat Paulum, resultat hæc numero relatio, moriatur Paulus filius, corrumpitur illa paternitas, generet Ioannem, resultat non prima paternitas, sed alia numero distincta, & fundamentum est idem numero, & solum mutantur rationes fundandi, & termini, & tantum ratione huius mutationis multiplicantur numero relationes; ergo falsum est dicere, non multiplicato numero fundamento, licet multiplicentur termini, non multiplicari numero relationes. 50 51

Nec obstat dicere successive bene posse, non autem simul.

Contra, ergo non multiplicari numero relationem, non est, quia non multiplicatur fundamentum simul. Patet hoc evidenter, quia successive non multiplicatur fundamentum numero, sed solum multiplicantur numero rationes fundandi, & termini, & nihilominus multiplicantur numero relationes, etiam si successive relationes in vestra sententia sumant suum esse individuale à fundamento; ergo licet simul non multiplicentur fundamenta, dum tamen multiplicentur termini, & rationes fundandi, etiam si sumant individuationem à fundamento, poterunt multiplicati numero relationes. 52

Confirmatur, quia sicut paternitas vt sic & relatio vt sic, quia sunt ordines, & respectus in communi, quorum definitio petit vt habeant totum suum esse ad aliud, scilicet ad terminum vt sic, & ad filium vt sic, vel hominem genitum in communi, ita hæc individua paternitas est ad hunc filium, vel ad hunc numero hominem; ergo sicut paternitas in communi, necessario, & solum terminatur ad filium, aut hominem genitum abstrahendo ab hoc vel illo, ita vt terminus illius per se sit homo genitus, vel filius, ita hæc paternitas terminabitur ad hunc filium, vel hunc hominem genitum, & hic erit terminus per se illius, & non per accidens; nam sicut relatio vt sic, quia est ordo, & respectus sumit suum esse per se à termino vt sic, & ratio specifica respicit adæquate, & totaliter non solum rationem termini vt sic genericam, sed etiam naturam specificam per se, ita etiam individuatio relationis, quia respectiva est, respicit per se adæquate, non genericam solum, nec specificam, sed individualem rationem termini; quod patet, nam si genus, & species in termino non sunt individua sed potius sunt indifferentia in infinitum ad varias individuationes, & si ipsa individuantur, & determinantur, non per se sed per individuationes determinantur, & individuantur, quia potius ex se sunt indeterminata, quomodo ipsum genus, & species vt sic in termino poterunt determinate individuare relationes? vel clarius quomodo talis individuatio relationis sumetur ab illis, in quibus non datur ratio individua, & determinata, sed potius opposita indifferentia? vnde necessario dicendum est quod ratio generica in termino est per se respectu rationis genericæ relationis, & ratio specifica est ratio per se specificativa respectu rationis specificæ relationis, ita terminus individuum erit per se terminus relationis individuæ, & ratio individua termini erit ratio per se respectu individuationis relationis adæquatæ, & sic specificativum, seu terminus dabit quod habet, & non quod non haber vt diximus: ergo respectu distinctorum numero, & individualiter relationum dabitur distincta numero relatio. 53 54 55 56 57 58

Respondent adversarij, negando paritatem, quia ipsi asserunt speciem à termino, individuationem à fundamento sumi. 59

Contra evidenter primo, nam hæc solutio non est solutio, sed petitio principij, nos enim dictis rationibus labefactamus hoc ipsum, quod adversarij nunc post tot rationum pondera non rationibus satisfacientes respondent, petendo principium, siquidem pro ratione conclusionis tribuunt ipsam conclusionem. 60 61

Secundo, quia iuxta hanc responsionem idem omnino est correlativum speciei, & individui per se, & per accidens, quia talis filius est correlativus per accidens paternitatis in communi: ergo si idem est correlativum per accidens huius paternitatis, idem erit correlativum per accidens, & per se speciei, & individui, quod est absurdum; alias idem esset per se & non per se, per accidens & non per accidens. 62

Deinde, quia hic filius quatenus talis per se respicit hunc patrem, pendet enim hæc numero paternitas essentialiter ab illo; neque potest ab vllo alio pendere, quia est modus illius extrinseci, modus enim in quantum talis est inseparabilis à re, cuius est modus: ergo etiam hic pater respicit per se hunc filium, nec potest separari ab illo secundum tendentiam ad ipsum, itavt non tendendo ad hunc filium tendat ad alium: ergo sicut 63

ficut se habet Pater in communi ad filium in communi, ita se habet hic Pater ad hunc filium in particulari, & quamvis sit idem subiectum paternitatis, & idem fundamentum realiter loquendo, est tamen alia ratio fundandi, quæ sufficiens est, vt Pater diversum filium generet realiter: ergo multo magis est sufficiens facere diversam relationem, quia est solum distincta modaliter à fundamento.

SVBSECTIO VLTIMA.

Duo alia argumenta pro nostra conclusione ponuntur.

64 VLtimo principaliter argumentor, everrendo præcipuum fundamentum, cui vniversa adversariorum ædificij machina innititur; ideo secundum adversarios non possunt multiplicati duæ relationes solo numero distinctæ in eodem fundamento, quia non possunt duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto; sed hoc est falsum; ergo falsum est dicere, non posse multiplicari duas relationes numero. Maior est certa, minor probatur, quia quando duo accidentia numero distincta munere, vel habitudine distinguuntur, possunt esse in eodem subiecto simul: sed duæ relationes numero distinctæ ita se habent: ergo possunt esse simul in eodem subiecto. Probatur maior, duæ species intentionales Petri, & Pauli, & duæ cognitiones eorundem licet numero distinguantur, sunt in eodem intellectu, quia habent diversam habitudinem, & diversa munera exercent: ergo duo accidentia solo numero distincta, quando differunt munere, & habitudine bene possunt esse in eodem subiecto: minor sic probatur, prima relatio paternitatis si daretur, respiceret primum filium, & terminaretur ad illum, & secunda paternitas respiceret, & terminaretur ad secundum filium; sed respicere, & terminari ad primum filium, & respicere, seu terminari ad secundum sunt distinctæ habitudines, & distincta munera: ergo duæ relationes solo numero distinctæ habent diversa munera, & diversas habitudines.

65 Vrgetur, ac declaratur amplius, quia ex eo quod relationes habeant totum suum esse in ordine ad terminos debent proportionari cum illis; vnde sicut termini licet sint solo numero differentes, nihilominus non sunt omnino similes; sed differunt intra individualem rationem, ita & relationes, quod non habent duæ, aut tres relationes in ordine ad ipsum Petrum; nam sunt omnino similes: ergo propter illam diversitatem possunt relationes ad Paulum, & ad Petrum reperiri simul in eodem subiecto, licet solo numero differant, quod minime potest contingere in duabus relationibus circa eundem Petrum, quæ propter omnimodã similitudinem in munere, & habitudine non possunt reperiri simul in eodem fundamento, quod etiam contingit in cognitionibus; nam licet duæ cognitiones eiusdem Petri eodem modo cogniti per illas propter omnimodam similitudinem non possint esse simul in eodem intellectu, nihilominus in eodem intellectu possunt esse simul duæ cognitiones Petri, & Pauli propter diversitatem in munere repræsentandi, quod non habent primæ, licet hæ, & illæ solo numero differant, & regula vniversalis est, quam nuper tetigi; nam quædam accidentia ita differunt solo numero, vt præter distinctionem entitatum in reliquis omnibus habeant maximam similitudinem, & convenientiam, non solum in munere, & officio, ad quæ destinantur à natura: sed etiam in quacunque habitudine, quam dicunt vt sunt duæ albedines vt vnum, duo calores vt vnum, &c. alia vero sunt, quæ licet in specifica ratione conveniant, & sub ea tantum numero differant, nihilominus tamen non habent inter se tantam similitudinem: sed differunt munere, & habitudine, vt v. g. duæ species impressæ Petri, & Pauli differunt numero hoc posteriori modo, & non sunt tam similes inter se, sicut duæ species impressæ eiusdem Petri, nam diversas habitudines, quasi hetherogeneas habent ad duo obiecta hetherogencè quasi distincta, & ad diversa munera ordinantur, videlicet ad videndum non solum Petrum; sed Petrum, & Paulum; respicere enim duo illa obiecta, & ordinari ad producendas cognitiones illorum obiectorum, diversa munera, & officia sunt, ac proinde constituunt species impressas; quarum munera, & officia sunt in esse differentium munere, & habitudine, & ideo tales species possunt esse simul, & existere in eodem subiecto; illæ vero omnino similes non; sicut duo calores vt vnum non possunt esse in eodem subiecto, & possunt esse calor vt vnum, & calor vt duo, & ratio evidens à priori est.

66 Quia quando accidentia sunt omnino similia, nullum agens per se intendit, aut pluralitatem eorum, aut secundum inducere in subiectum, iam habens primum omnino simile: primo, quia solum intendit agens reddere passum sibi simile, quod per vnam tantum huiusmodi formam satis consequitur: at vero quando accidentia non sunt prædicto modo similia, cessat hæc ratio, & subiectum indiget maiori assimilatione, & etiam agens illam procurat; vt v. g. quamvis potentia recepta specie Petri sit illi similis intentionaliter, non est similis Paulo, & ideo licet habeat speciem Petri, & videat Petrum, per illam non potest videre Paulum; sed indiget alia specie Pauli, vt videat illum, ac proinde manet in Paulo virtus ad inducendam speciem sui qua talem potentiam reddat sibi similem, & per consequens remanet in potentia capacitas ad recipiendam speciem Pauli.

67 Secundo, quia quando accidentia sunt omnino similia, superflua, & otiosa esset multiplicatio eorum; siquidem per vnumquodque seorsim potest fieri id, quod per vtrumque, ac proinde frustranea esset productio secundi posito primo; quod maxime abhorret natura; fructua enim fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; quando vero sunt aliquomodo diversa, vel ordinantur ad diversos fines, vel resultant ex rebus ordinatis ad illos, & diversas habitudines inde participant, non est superflua numerica multiplicatio illorum: Vnde non provenit præcise ex individuatione, quod aliqua accidentia solo numero diversa non possint, esse simul in eodem subiecto; nam licet in eo simul essent, possent optime intelligi distincta numero ratione suarum distinctarum entitatum, quæ ordinantur ad distinctos terminos, fines, & obiecta numero, vt distinguuntur sine dubio realiter duo calores qui successive vnum post alium est in eodem subiecto, & duæ cognitiones Petri, & Pauli distin-

guuntur solo numero,& nihilominus simul sunt in eodem subiecto,in quo sine vllo inconvenienti verè existunt licet numero solum distinguantur, respiciunt diversos terminos, & obiecta simul realiter distincta.

68 Tunc sic duæ paternitates, quibus respicit Ioannes Petrum,& Paulum,filios realiter distinctos successivè, licet numero solum distinguantur, nihilominus respiciunt duos distinctos terminos,& duos fines differentes, ad quos tendunt tales relationes:ergo possunt esse simul in eodem Ioanne distinctæ numericè; sicut sunt in eadem potentia Ioannis duæ cognitiones numero distinctæ simul respectu eorumdem Petri,& Pauli,quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis;sed tota ratio, quare possunt esse in eodem subiecto duæ cognitiones numero distinctæ simul, quæ accidentia sunt est quia tendunt in duo obiecta, seu terminos, sed etiam duæ paternitates habent eandem rationem formalem,siquidem tendunt in eosdem duos terminos realiter distinctos:ergo potest dari in illis idem effectus,vel quasi effectus,scilicet quod sint in eodem subiecto simul.

69 Declaratur amplius,quia fundamentum respiciens primum filium per primam paternitatem non est adæquate,& sufficienter terminatum per illam ad omnes terminos,quos potest:nam potest respicere, & terminari ad secundum, & tertium filium: ergo indiget alia ratione respiciendi, & terminandi se ad secundum,& tertium filium, ac proinde generato secundo,& tertio agens sive sit ipsum fundamentum, sive aliud, producet alias rationes respiciendi in fundamento,per quas terminetur ad filios de novo procreatos,& sicut Petrus,qui est primus filius est distinctus, & dissimilis Paulo qui est secundus filius,ita etiam dissimilis est in munere,& habitudine, vtraque relatio,cum totum suum esse sumat à terminis, ac proinde multiplicatio earum non erit superflua,sed necessaria,& necessario dabitur à parte rei.

70 Respondet P.Rubius,latum esse discrimen inter species,& relationes, quia species sunt accidentia intentionalia, quæ nec denominant subiectum,nec producuntur ab illo, nec ab eo præcipue dependent, sed ab obiecto, propter quod producuntur,vt illi vniatur potentia, & ideo bene possunt esse in eodem subiecto simul; quod aliter contingit in accidentibus physicis quæ præcipue sunt propter subiectum,& illud denominant,ac proinde individuantur ab ipso,& ideo non possunt esse duo solo numero distincta in eodem subiecto,propter quam rationem duæ relationes solo numero distinctæ non possunt esse in eodem subiecto.

71 Sed tota hæc doctrina adversariorum omnino falsa est, & ideo eam oppugno manifeste primo.

72 Nam sicut duo accidentia physica per vos solo numero differentia non possunt esse simul in eodem subiecto,ita etiam duæ species impressæ eiusdem Petri;item duæ cognitiones omnino similes eiusdem obiecti numero solum individualiter distinctæ non possunt esse simul in eodem subiecto,& nihilominus illæ duæ cognitiones,& duæ species impressæ non sunt accidentia physica, sed intentionalia: ergo conveniunt illa duo genera accidentium in repugnantia ad multiplicationem: ergo talis repugnantia non conveniret accidentibus physicis, quia physica sunt, alias non conveniret talis repugnantia cognitionibus, & speciebus supradictis, quæ non sunt accidentia physica,sed intentionalia: sed hoc est falsum vt evidenter patet:ergo falsum est dicere, repugnantiam multiplicationis simultaneæ convenire accidentibus physicis, quia physica sunt: ergo convenit illis propter aliam rationem, in qua conveniãt accidentia physica cum illis intentionalibus;sed non potest esse propter rationem entis, & accidentis, in qua conveniunt; alias duæ cognitiones Petri,& Pauli,quæ sunt entia,& accidentia,non possent simul dari in eodem subiecto,cum sola distinctione numerica, quod est falsum, siquidem de facto dantur duæ visiones in oculo Petri,& Pauli solo numero differentes,quia quando convenit alicui aliqua formalitas ratione alicuius prædicati communis multis, non solum illi,sed omnibus, quibus convenit tale prædicatum,debet convenire illa formalitas;vt v. g. quia Petro convenit risibilitas, quia est homo, non solum illi,sed etiam Antonio,Illdephonso,& cæteris hominibus convenit risibilitas secundum illud principium dici de omni:ergo non convenit illis repugnantia multiplicationis simultaneæ propter rationem entis, & accidentis;sed non est aliud propter quod possit convenire repugnantia talis multiplicationis duabus cognitionibus omnino similibus, in quo conveniant cum duobus accidentibus physicis omnino similibus, vt duo calores vt vnum,qui sunt etiam omnino immultiplicabiles simul in eodem subiecto, nisi omnimoda similitudo in munere,& officio,quam non habent duæ cognitiones Petri, & Pauli, ex eo quod ad distinctos terminos, & obiecta tendant, & referantur:ergo præcise propter omnimodam similitudinem, & non propter rationem physicam,vel intentionalem convenit accidentibus repugnantia multiplicationis:ergo falsum est discrimen quod adducit P.Rubius.

Secunda præcipua consequentia est manifesta, 73
quia quando alicui convenit aliqua formalitas, conveniens etiam multis differentibus ab illo, non convenit illi talis formalitas propter differentiam,per quam differt à reliquis quibus convenit talis formalitas;vt v. g. quia homini convenit moveri progressive,& talis motus convenit equo,& leoni, non convenit taliter moveri homini propter rationalitatẽ,quæ est differentia hominis,sed potius propter prædicatum commune homini,equo,& leoni;sed repugnantia multiplicationis individualis simul convenit accidentibus physicis, & intentionalibus omnino similibus; ergo non convenit talis repugnantia accidentibus physicis,quia physica sunt,quæ est differentia,per quam distinguuntur accidentia physica ab omnibus intentionalibus: ergo talis repugnantia non convenit accidentibus physicis, quia physica sunt,quod amplius vrgetur.

Quia in sententia adversariorum possunt mul- 74
tiplicari duo gradus solo numero distincti caloris in eodem subiecto, etiamsi sint physica accidentia, ex eo quod duo gradus faciunt intentionem quam non facit primus gradus, secundus enim gradus intendit calorem primum, & quia licet distinguantur solo numero, non sunt omnino similes in munere intendendi;siquidem vnus intendit,alius non intendit,sed potius sunt dissimiles in tali munere,& officio; etiam si in entitatibus sint homogenei, non obstante ratione

physica

physica accidentis, quam habent, possunt multiplicari, & de facto multiplicantur in eodem subiecto in sententia Patris Rubij, & in sententia reliquorum Thomistarum, licet intensio non fiat per additionem gradus ad gradum, ac per multiplicationẽ entitatum diversorum graduum, nihilominus fit talis intensio per additionem vnionum eiusdem gradus, quæ maior radicatio ab ipsis dicitur, & tales vniones sunt accidentia physica, & non intentionalia: ergo falsissimum est dicere propter solam rationem physicæ entitatis repugnare accidentibus multiplicatio simultanea individualiter; imo potius pro certissimo habendum est, solum repugnare illis propter omnimodam similitudinem; vnde si illam non habeant duo accidentia solo numero distincta, sive sint physica, sive intentionalia illa poterunt multiplicari eo modo, quo multiplicantur duæ cognitiones solo numero distinctæ Petri, & Pauli, quia differunt munere, & terminatione, ex eo quod ad duos terminos, & obiecta distincta tendant.

75 Sed duæ paternitates ad Petrum, & ad Paulum tendunt ad duos distinctos terminos realiter, sicut duæ cognitiones Petri, & Pauli, quia ad eosdem tendunt illæ duæ paternitates, ac illæ duæ cognitiones: ergo sicut duæ illæ cognitiones, quia tendunt ad illos terminos non sunt omnino similes; sed potius habent dissimilitudinem sufficientem, vt possint simul existere in eodem subiecto, ita similiter illæ duæ paternitates, quia tendunt ad eosdem terminos, non erunt omnino similes; sed potius habebunt similem dissimilitudinem, quam habent illæ cognitiones, ac proinde poterunt existere simul in eodem subiecto; hæc mihi videtur naturalis demonstratio contra responsionem P. Rubij.

76 Secundo impugno singulas partes illius solutionis, & in primis accidentia intentionalia qualia sunt actus intellectus, & cognitiones sensitivæ denominant intellectum; potentias sensitivas, & hominem intrinsece intelligentem, videntem, & obiectum extrinsece intellectum, & visum, &c. sicut relatio denominat subiectum, seu fundamentum intrinsece relatum, & terminum extrinsece terminantem; tunc sic in illo casu, quo intellectus Petri habet duas intellectiones solo numero distinctas, vel sunt duo intelligentes, vel solum vnus intelligens, & quidquid dixeris ad hoc argumentum, respondeo tibi ad tuum, quandoquidem tam relatio, quam actus intellectus principalius denominant subiectum in quo sunt.

77 Et ratio à priori est, quia nulla accidentia, sive physica, sive intentionalia multiplicant concretum; vnde licet dentur plures scientiæ in homine habituales, qualis est metaphysica, logica, mathematica, &c. non constituunt plures sapientes: ergo ex eo quod duæ paternitates non multiplicent concretum non est neganda multiplicatio earum in abstracto, quod pater evidenter; nam licet in Petro, qui habet quamplurimas relationes specie distinctas, vt similitudinis, paternitatis, distinctionis, identitatis, &c. ratione illarum non multiplicatur concretum relativum specie, nam certum est tale subiectum relatum per illas relationes specie distinctas non esse plura relata specie; sed potius vnum individuum relatum per plures relationes specie distinctas, nihilominus nullus etiam cæcus potest negare multiplicatio-

nem talium relationum in abstracto: ergo similiter ex eo quod non multiplicetur Pater respectu plurium filiorum in concreto, non debet negari multiplicatio paternitatum in abstracto respectu plurium filiorum, quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

Deinde impugno illud quod asserit, videlicet 78
quod accidentia intentionalia magis pendent ab obiecto, quod est contra ipsum Rubium, & contra veritatem, quia actus vitales essentialiter dependent à potentijs, quæ sunt elicitivæ illorum, & in sententia Rubij etiam ipsa qualitas ita dependet à potentia vitali, vt adhuc per omnipotentiam divinam nequeat fieri sine dependentia à potentia, & potest fieri vt ait ipse Rubius divinitus sine dependentia ab obiecto, & ideo potentia visiva in sententia illius potest videre obiectum, quod non est actu; ergo magis dependent accidentia illa intentionalia à potentia, quam ab obiecto.

Confirmatur, in voluntate etiam possunt esse 79
duæ volitiones numero distinctæ: sed volitiones non producuntur ab obiectis: ergo actus intentionales etiam individualiter distincti dependent à subiectis, & non ab obiectis, non minus quam accidentia physica, relationes nimirum, &c. quandoquidem sicut relationes non producuntur à terminis, quos respiciunt, ita similiter actus voluntatis non producuntur ab obiectis, quæ respiciunt. Præterea actus vitales sunt perfectiones ipsarum potentiarum, ad quas potentiæ ipsæ dicunt ordinem essentialem: ergo etiam sunt propter ipsa obiecta, atque adeo licet sint propter obiecta, non sunt principalius propter illa, quia non pure respiciunt illa: sed propter subiecta, imo potius relationes videntur esse principalius propter terminos, nam relationes prædicamentales sunt puri respectus, & totum vnum esse habent in ordine ad terminos: ergo.

Confirmatur hoc vltimum argumentum prin- 80
cipale, quia in Petro dantur duæ extensiones relationis eiusdem: sed duæ extensiones eiusdem relationis sunt duo accidentia physica solo numero distincta: ergo in eodem subiecto possunt esse duo accidentia physica solo numero distincta. Maior est certa; nam relatio, quæ referebat Petrum ad primum filium, quando producitur secundus filius in sententia adversariorum extenditur ad illum, & datur vna extensio, & quando producitur tertius filius, extenditur etiam ad illum, & datur secunda extensio: ergo iam dantur duæ extensiones solo numero distinctæ; probatur minor, & primo quod sint accidentia physica, quia illa sunt accidentia physica, quæ nec sunt actus potentiarum vitalium neque species impressæ, quæ producunt tales actus vitales, qui dicuntur accidentia intentionalia: sed illæ duæ extensiones paternitatis, v.g. non sunt actus vitales, neque species impressæ: ergo sunt accidentia physica, & non intentionalia.

Quod autem sint distincta accidentia à parte 81
rei pater; illa distinguuntur realiter quæ ita separantur realiter, vt possit dari vnum realiter sine alio: sed ita se habent illæ duæ extensiones: ergo distinguuntur realiter. Probatur minor, existente prima extensione realiter ad secundum filium, non datur realiter secunda extensio ad tertium filium, quia hic nondum est productus, & destructa prima extensione, quia destruitur secundus

cundus filius, non perit secunda extensio, quia adhuc mortuo secundo filio, vivit & superstes est tertius filius: ergo separantur realiter duæ illæ extensiones, ac perconsequens distinguuntur realiter.

82 Quod vero solo numero distinguantur, patet manifeste, quia sunt in eodem subiecto numero, & pertinent ad eandem paternitatem numero, & tendunt ad duos terminos solo numero distinctos & habent duas generationes, vt proprias rationes fundandi solo numero differentes, quæ omnia arguunt evidenter, tales extensiones respectivas solo numero differre. Præterea, quia si illæ extensiones distinguerentur specifice, etiam duæ paternitates possent distingui specie, & sic cessaret tota quæstio; nam ideo duæ paternitates non possunt distingui specie, quia terminantur ad terminos solo numero distinctos; sed illæ duæ extensiones sunt circa terminos solo numero distinctos: ergo distinguuntur solo numero.

83 Sed demus, non dari nisi vnicam extensionem eiusdem paternitatis ad omnes filios, nihilominus manifeste refellitur sententia aduersariorum: nam de facto per illos præter paternitatem, per quam refertur pater ad primum filium, datur illa vnica extensio ad plures filios, quæ est accidens eiusdem denominationis, & rationis cum ipsa paternitate distinctumque ab illa à parte rei, siquidem ante generationem secundi filij datur paternitas ad primum filium, & non datur extensio eiusdem paternitatis ad secundum filium, quia nondum existit: ergo iam dantur duo accidentia physica eiusdem rationis, & speciei solo numero distincta simul in eodem subiecto. Probatur nunc, quod sint eiusdem speciei paternitas, & extensio, primo propter rationes quas supra adduximus ad probandas duas extensiones esse eiusdem speciei, & etiam propter rationes, quibus superioribus sectionibus vsi sumus ad probandum, extensionem illam paternitatis generantis ad secundum filium esse formaliter relationem paternitatis, siquidem petit omnes conditiones ad sui esse, quas paternitas petit, videlicet fundamentum generationem veram, & forte perfectiorem prima generatione, quia secundus filius est perfectior individualiter, vt quotidie contingit pro ratione fundandi, & terminum vere, & proprietalem, secundum nimirum filium eiusdem speciei cum primo qui vere genitus, & vere filius est sed propter has conditiones paternitas est relatio: ergo propter easdem illa, quam vocatis extensionem, erit non minus ac formaliter relatio paternitatis, ac prima: ergo sunt eiusdem speciei, quia duæ relationes ad terminos eiusdem speciei non distinguuntur specie; sicut non distinguuntur specie in vestra sententia propter easdem rationes, sed solo numero duæ paternitates ad Petrum, & ad Paulum, quæ successive, & non simul existunt in eodem subiecto.

84 Deinde, quia quando omnes causæ tam specificativæ quam efficientes, & materiales sunt eiusdem speciei, accidentia ab illis pendentia essentialiter, & necessario sunt eiusdem speciei, vt videre est in duabus cognitionibus existentibus in duobus intellectibus eiusdem speciei, tendentibus ad duo obiecta similiter eiusdem speciei formalissime, & idem est de duobus actibus voluntatis, & de duabus visionibus ad eadem obiecta specie formalia: quæ omnia non distinguuntur specie; quia omnes causæ concurrentes ad earum efficientiam non distinguuntur specie, & idem est in exemplo nuper adducto à nobis de duabus paternitatibus successive existentibus, & de duabus filiationibus existentibus simul in duobus filijs in ordine, vel ad vnum numero patrem, vel ad duos patres eiusdem speciei; nam tales filiationes non distinguuntur specie, sed solo numero, quia omnes causæ illarum sunt eiusdem speciei; sed omnes causæ, quæ concurrunt ad paternitatem, & ad extensionem paternitatis, vt sunt fundamentum, rationes fundandi, & termini, non sunt distinctæ specie, sed solum numero: ergo paternitas, & extensio eiusdem paternitatis non distinguuntur specie sed solo numero, & nihilominus sunt simul in eodem subiecto: ergo nullius momenti est, sed potius corruit fundamentum præcipuum aduersariorum.

85 Vrgetur vltimo, fundamentum v. g. homo, qui potest generare varios filios, ex se est indifferens ad fundandas varias relationes paternitatis, sicut eadem albedo est indifferēs ad relationes identitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, & illa indifferentia, seu potentia determinatur, & reducitur ad actum per varios terminos, & per varias rationes fundandi ad varias relationes, quia cum illa indifferentia non sit dominij, & libertatis, sed indigentiæ, & necessitatis, non ad libitum proprium & in hoc sensu à se, sed à rationibus fundandi, & termini reducitur ad hanc, & illam relationem emanentes ab ipso fundamento; vnde si simul concurrunt diversæ rationes fundandi, & termini simul genere, & specie distincti, determinatur simul fundamentum ad varias relationes genere, & specie distinctas fundandas necessario; sed etiam dantur distinctæ rationes fundandi, & distincti solum numero termini simul, quando idem homo generat duos filios: ergo tunc reducitur fundamentum naturaliter, & necessario ad duas simul numero distinctas relationes, quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

Alia solutio refutatur.

86 Alij respondent ad positionem secundi, & tertij filij non extendi paternitatem, sed desinere antiquam, & advenire aliam indivisibilem, quę indivisibiliter, & adæquate refert illum hominem ad primum, & ad secundum, qui de novo producitur, & non ad plures, nec pauciores; si autem generet tertium filium, amittere illam, & acquirere aliam referentem ad tres eodem modo.

87 Sed hæc solutio ad libitum fingitur sine vllo fundamento solum ad eludenda argumenta. Vnde, quia nulli rationi innittitur, his rationibus fundatus labefactatur.

88 Quarum prima sit, quia non est à quo corrumpatur prima illa relatio, quia agens naturale non corrumpit sibi simile, neque ibi est aliqua dispositio contraria; vnde forma, quæ de novo corrumpitur ad præsentiam alterius, est quia habet incompossibilitatem cum adveniente, hoc est cum relatione ad secundum filium; sed fictitia est hæc incompossibilitas, & repugnantia illarum duarum relationum: ergo non corrumpitur prima paternitas per adventum paternitatis ad secundum filium; minor sic probatur, quia vel illa incompatibilitas provenit illis formis ab illo fundamento, seu subiecto, in quo sunt ex eo quod in vno subiecto numero non possint esse duo accidentia numero distincta; sed hoc non, vt latissime probatum manet supra vbi demonstravimus duo accidentia,

dentia, quæ non sunt omnino similia munere, & habitudine eo modo, quo non sunt duæ paternitates ad Petrum, & ad Paulum posse esse simul in eodem subiecto: ergo ex parte subiecti nulla est repugnantia inter tales paternitates.

69 Vel illa repugnantia datur in illis formis ex proprijs formalitatibus, & entitatibus: sed hoc est impossibile: ergo impossibilis est talis incompatibilitas in illis relationibus; minor hæc sic probatur, quia duo accidentia solo numero differentia, & eiusdem speciei, nullam habent repugnantiam, & oppositionem ex proprijs formalitatibus, quia opposita ex proprijs formalitatibus sunt diversæ speciei, vt videre est in calore, & frigore, in nigredine, & albedine, & in filiatione, & paternitate, quæ habent oppositionem ex proprijs formalitatibus, ratione cuius sunt, & debent esse distinctæ speciei; è contra vero duo calores, & duæ albedines, &c. non sunt oppositæ ex proprijs formalitatibus, quia sunt eiusdem speciei, & solo numero distinguuntur; sed duæ paternitates ad primum, & secundum filium solo numero distinguuntur, & non specifice: ergo non opponuntur, nec sunt incompatibiles ex proprijs formalitatibus, maior est certa vt patet ex dictis, minor patet ex ipsa sententia aduersariorum, qui ideo asserunt, non posse duas paternitates ad primum, & ad secundum filium existere simul in eodem subiecto; quia solo numero distinguuntur, & non specifice; nam si essent relationes specie distinctæ, essent sine dubio in eodem subiecto simul, vt sunt paternitas, relatio identitatis, diversitatis, &c.

90 Præterea, quia nullum agens corrumpit vnam formam vt introducat aliam similem illi; vnde vel non introducit aliam similem, vel illam introducit præexistenti conservata; quia illæ duæ non opponuntur, cum non sint contrariæ; neque duæ formæ, quæ sunt eiusdem speciei se ad invicem corrumpunt, sed mutuo se iuvant in cõservatione, vt secundus gradus caloris non corrumpit primũ, sed potius fovet, intendit, & perficit illum; & ignis non corrumpit alium ignem ad productionem alius; sicut cognitio Petri non corrumpit cognitionem Ioannis, quia ex se non repugnant, & ex eo quod munere, & habitudine differant, compatiuntur in eodem subiecto; sed paternitas ad primum filium, & paternitas ad secundum filium munere, & habitudine differunt, & sunt eiusdem speciei; sicut duæ cognitiones dictæ: ergo non se expellunt, nec corrumpunt, sed potius existunt simul in eodem subiecto.

91 Deinde, quia quando concreta non opponuntur ex proprijs formalitatibus, sed potius sunt vnum, & in vnum coincidunt formæ, per quas constituuntur talia concreta, nullo modo opponuntur ex proprijs formalitatibus, sed potius possunt esse in eodem subiecto simul, sine eo quod ad aduentum vnius corrumpatur altera: v.g. quia dulce, & album non opponuntur ex proprijs formalitatibus, nec pugnant inter se, sed potius coincidunt in vnum subiectum, quod simul sit dulce, & album, etiam dulcedo, & albedo, quæ sunt formæ talium concretorum, possunt esse in eodem subiecto, v.g. in saccaro, sine eo quod vna destruat, & corrumpat aliam, quod è contra euenit in frigiditate vt octo respectu caloris vt octo, quia calidum pugnat cum frigido.

92 Sed idem concretum potest esse pater respectu primi, & secundi filij simul sine vlla repugnantia: ergo paternitas ad primum, & paternitas ad secundum filium, quæ sunt formalitates constituentes tale concretum possunt esse simul in eodem subiecto, & fundamento sine vlla repugnantia vnius respectu alterius, & sine eo quod prima destruatur per aduentum secundæ.

93 Secunda ratio principalis contra dictam solutionem sit, quia nulla est necessitas introducendi illam frequentem mutationem relationum, aliquoties nova res alba fieret, mutarent cætera omnia alba, quæ antea erant suas relationes similitudinis respectu omnium, & novas acquirerent, quod est absurdum. Deinde cur pater amitteret relationem ad primum filium, genito secundo? cum nihil eorum tollatur, quæ ad esse illius relationis necessaria erant? quia nonobstante secundo filio, prior semper est sufficiens terminus illius relationis.

94 Tertia ratio principalis sit, quia quamvis demus, posse vnam relationem respicere plura adæquate, quando per se, & ex vi suæ speciei illa requirit vt resultet, vel conservetur seu vt exerceat suum effectum formalem, vt est in relatione totius, aut subdupli, tamen quando relatio non postulat hoc ex sua ratione formali, & termini solum per accidens multiplicantur, vt contingit in paternitate, filiatione, similitudine, & cæteris, merè gratis dicitur consurgere vnam indivisibilem relationem, quæ adæquate respiciat collectionem plurium terminorum.

95 Vltima ratio principalis sit; quia paternitas, vt supra probavimus, habet eundem terminum, quem habet generatio per quam resultat relatio paternitatis, & in qua tanquam in ratione fundandi nititur paternitas; sed vna, & eadem generatio indivisibilis non producit primum, & secundum filium nec terminatur ad illos, sed potius duæ generationes numero distinctæ habent pro terminis duos filios realiter distinctos: ergo vna, & eadem indivisibilis paternitas non terminatur ad primum, & secundum filium, corrupta prima paternitate, sed potius duæ paternitates numero distinctæ terminantur ad primum, & secundum filium.

96 Vrgetur, quia relatio paternitatis est relatio causæ actualis, quatenus actualis producentis effectum, itavt tunc resultet talis paternitas, quando actu pater producit filium, vt effectum proprium; sed à causa actuali quatenus causa actualis, & ex vi actualis causalitatis illius non producitur primus, & secundus filius, sed potius ex vi duarum causalitatum: ergo ex vi vnius indivisibilis paternitatis non respicit primum, & secundum filium, sed potius ex vi duarum paternitatum inter se distinctarum.

Aliud argumentum pro præcipua conclusione ponitur.

97 Quia si non multiplicarentur relationes numero ad multiplicationem terminorum numero distinctorum, eandem numero relationem remitti, & intendi eodem tempore simul necessum esset, quod est omnino falsum: ergo multiplicatis terminis, multiplicantur numero relationes, sequela sic probatur, quia supponamus, vnum album esse simile duobus albis, & vnica relatione similitudinis respicere hæc duo alba, si enim primum album quod habet similitudinem ad alia duo maneat secundum eundem gradum albedinis; item secundum maneat sine vlla additione, & diminutione

albedinis;tertium vero augeatur in albedine tunc relatio in primo albo existens respectu secundi erit eadem, quæ erat prius, & respectu tertij erit remissa,si quidem ex vi augmenti albedinis in tertio primum non est tam simile cum illo,ac antea: ergo eadem relatio simul minuitur,& intensa manet; quod si primum album erat intentius, quam alia duo, & ex illis tertium augeatur in albedine, secundum vero minuatur, tunc relatio primi respectu tertij intendetur, respectu vero secundi remittetur: ergo eadem numero relatio remittetur simul,& intendetur eodem tempore.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

97 AD primum concedo maiorem,& minorem,& nego consequentiam quoad omnes partes eius;nam vt *in lib. de interpret.* videbimus,concreta accidentium licet afficiantur pluribus formis accidentalibus realiter distinctis, non multiplicantur ad multiplicationem illarum, etiamsi illæ sine dubio sint multiplicatæ realiter;quod etiam supra demonstravimus exemplis manifestis; nam in eodem homine sunt plura accidentia realiter distincta,vt albedo,quantitas,relatio,&c.& nihilominus homo non est plura concreta: ergo ex non multiplicatione concreti patris non debet argui immultiplicatio paternitatum,quia pater est concretum accidentale, & non multiplicatur tale concretum ad multiplicationem formarum accidentalium, cuius rationem vniversalem,& à prioti trademus *lib. de interpretat.* vbi data opera de hoc negotio agimus.

98 Ad secundum concedo maiorem,& nego minorem,maxima enim vrget,& cogit necessitas ad talem multiplicationē relationum,vt patet ex dictis in probatione nostræ conclusionis. Ad id autem, quod dicitur de infinitis albis nego illud, quia omnia alba, quæ dantur in vniverso mundo, neque sunt infinita, nec penè infinita, licet sint quam plurima;ex quo solum sequitur, quam plures relationes in vnoquoque albo resultare, quod nullum est inconveniens.

Ad alterum vero, quod de habitibus addit P. 99 Rub. negamus, eandem esse rationem de habitibus,ac de relationibus,quia essentia adæquata habitus est virtus productiva,& contentiva in genere causæ efficientis per modum principij activi, & potentialis;sed ad plures actus sufficit vna virtus, sicut vna potentia sufficit etiam ad plures operationes,in quo distinguitur potentia, & virtus ab actuali operatione, quæ quia modus est, & in actualitate sine aliqua potentialitate consistit,non potest vna operatio, quæ produxit vnum terminum totalem,producere postea alium;alias non in vltima actualitate,sed in potentialitate consisteret operatio;neque actualis intellectio potest cognoscere plura obiecta successivè, vnum post alium cognoscendo, itavt eadem cognitio, quæ antea cognoscebat vnum obiectum,& non cognoscebat aliud, postea cognoscat illud, quod antea non cognoscebat,alias non actualis cognitio, & vltimum exercitium potentiæ esset,sed potius potentia intellectiva, quæ quia potentia est per plures intellectiones potest plura cognoscere,quæ antea actu non cognoscebat;quod evenit,quia potentia non consistit in actuali tendentia, sed potius in potentiali,quæ est virtute plures,quia continet in se virtutem producendi plura,quod minime habet intellectio,cum in actuali tendentia, & terminatione consistat;potentia enim cum ex se sit indifferens potest per actualitates determinari ad hoc, vel illud;actualitas autem ex eo quod sit ex se determinata,non potest per aliam determinari, sed potius per seipsam est essentialiter determinata ad vnum, nec potest tendere ad aliud, præter id ad quod ex se est determinata vt eadem quantitas potest esse hic, vel illic præsens,quia ex se consistit in potentia ad hunc, & illum locum, & quia potentia est, potest determinari per varias actuales præsentias ad varia,& diversa loca;actualis autem præsentia, per quam determinatur quantitas ad hunc actualem locum, quia est modus ac proinde pura,& vltima actualitas ad hunc locum,non potest per actualitatem aliam ad alium determinati;alias esset,& non esset vltima actualitas, & ad vnam actualitatem daretur alia, & ad aliam alia,& sic procederetur in infinitum cum non detur maior ratio vnius,quam alterius.

Sic similiter, essentia habitus cognoscitivi non 100
est vltima actualitas cognoscendi, sed potius est virtus, & quasi potentia ad cognoscendum; vnde per varias actuales cognitiones, & non per seipsum determinatur ad actu cognoscendum varia obiecta, quia non est modus, sed res; sed relationes non sunt res, nec tendentiæ potentiales, sed potius actuales terminationes,& tendentiæ: ergo sunt ita determinatæ ad suos terminos,sine aliqua indifferentia,& potentialitate, vt non possint successive ad varios terminos tendere, etiam si habitus ad varia obiecta successive tendat, propter discrimen, quod tribuimus inter habitum, & relationem.

Ad vltimum concedo maiorem, & nego mino- 101
rem; deinde nego consequentiam, non enim ex eo vna relatio non est in duplici subiecto adæquato, quia sumit vnitatem numericam à subiecto, sed quia vnus actus petit vnam potentiam, & ideo anima rationalis non potest esse in duplici corpore naturaliter; sed relatio est actus subiecti, seu fundamenti, quod est potentia respectu illius: ergo vna relatio non est in duplici subiecto;deinde quia subiectum illud est adæquatum respectu relationis, & sic relatio adæquate secundum totum suum esse recipitur in subiectum, ita vt nihil illius desinat recipi in illo;sed nulla forma potest esse extra subiectum adæquatum illius, aliàs esset adæquatum,& non adæquatum respectu talis formæ: ergo relatio non potest esse in alio subiecto distincto à fundamento in quo resultat, quia si esset in alio subiecto distincto à fundamento, iam esset extra fundamentum adæquatum illius; vnde esset adæquatum, & non adæquatum fundamentum relationis; adæquatum vt supponimus, non adæquatum, quia vagaretur extra illud forma quod est summum absurdum; sicut est summum absurdum potentiam vitalem vagari extra obiectum adæquatum, ita vt intellectus amet, & voluntas intelligat. Deinde, quia eadem numero entitas non potest esse in duplici loco simul naturaliter; sed si vna relatio esset in duplici fundamento,esset in duplici loco simul naturaliter,quia duplex fundamentum, in quo est eadem relatio, est in duplici loco: ergo eadem numero relatio non potest esse in duplici fundamento; Tandem, quia paternitas necessario existit in fundamento, quod generat filium vnum (vt masculus, seu vir, quia

mater non fundat paternitatem) vna enim paternitas numero in ordine ad vnum terminum genitum est, vt iam probavimus; sed duplex masculus non generat vnicum filium, quia vnus generans sufficit ad vnum genitum: ergo vna paternitas non est in duplici fundamento generante, etiam si non accipiat suam individuationem à solo subiecto.

QVÆSTIO VI.

Vtrum relatio prædicamemtalis sit entitas realis.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

1 PRIMA sententia docet, nullam relationem prædicamentalem dari à parte rei; sed omnem esse fictam per intellectum, ac proinde esse ens rationis formaliter tam secundum esse In, quam secundum esse Ad, quo funditus è medio tollunt prædicamentum relationis: Augustinus Eugubinus *lib. de perenni philosoph.* tribuit hanc sententiam Averroes 12. *met. comment.* 9. & Avicennæ 3. *suæ met. cap.* 10. eam plures ex Philosophis antiquis defenderunt, quos citat *commentator.* 12. *met. comm.* 19. quorum vestigijs insistunt ex Theologis Okam *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. Aureolus apud Capreolum *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. Henricus *quodlibet* 9. *quæst.* 3. & ex modernis Basilius Ponze *lib. de varijs disput.* & alij, qui omnes putant, nullam esse rationem convincentem ad probandam relationem realem, adducunt pro se Aristotelem 5. *lib. physic. tex.* 10. vbi affirmat, ad relationem non terminari per se motum, & probat, quia adquiritur sine mutatione subiecti, vt si de novo Romæ fiat vnum album omnia alba in mundo existentia incipiunt habere relationes similitudinis ad illud sine vlla mutatione eorum, & omnia nigra de novo habent relationes dissimilitudinis; ex quibus sic argumentor, quia nulla entitas advenit de novo alicui à parte rei, quin per illam aliter se habeat realiter, ac antea se habebat; sed hoc est vere mutari tale subiectum: ergo per adventum cuiuscunque entitatis realis mutatur subiectum de novo, ita vt hoc aliter contingere non possit in subiecto creato, propter imperfectionem, & potentialitatem talis subiecti; sed relatio advenit proprio subiecto, & fundamento sine aliqua mutatione reali illius: ergo talis entitas relationis, quæ de novo advenit, non est entitas realis, sed rationis.

2 Secundo, quia relatio vt relatio nihil est, præter absoluta: ergo simpliciter nihil reale est in esse relationis: patet consequentia, quia cum quærimus, an relatio sit aliquid reale, de illa agimus, quatenus distinguitur à rebus absolutis, & quatenus dicit formalitatem respectivam, ita vt totum suum esse sub illo conceptu habeat in ordine ad aliud; vnde si absolutum tantum datur in mundo, nulla relatio realis dabitur sub conceptu formali relationis. Antecedens vero probatur: quia si ponamus duo alba in rerum natura, illa ex vi qualitatum absolutarum sunt inter se similia formalissime: ergo habent illam denominationem relativam ex vi absolutorum simul existentium, seu simul sumptorum, præcisa quacunque alia additione reali: sicut ex vi præcisa positionis nigredinis, & albedinis sine aliquo addito datur oppositio inter tales qualitates, quæ oppositio est conceptus formaliter relativus: ergo relatio nihil rei addit rebus absolutis, vtraque consequentia est manifesta, quia si relatio aliquid est, solum est propter illam denominationem relativam, quæ intercedere videtur inter illa absoluta; si ergo hæc ipsa denominatio ex solis absolutis sumitur, quidquid aliud adiungitur, fictitium est.

Tertio si relatio esset ens reale ex propria na- 3
tura esset accidens reale, cum constet non esse substantiam, ens enim reale adæquate dividitur in substantiam, & accidens; sed relatio non est accidens reale: ergo nihil reale est: sed fictitium, & ens rationis. Minor hæc sic probatur; de intrinseca ratione accidentis realis est inhærere subiecto saltem aptitudinaliter; sed relatio non inhæret vllo modo in subiecto: ergo nullo modo est accidens; minorem probo, quia totum esse relationis est ad aliud, vt patet ex definitione relationis, vnde conceptus relationis est esse rationem referendi fundamentum ad terminum: ergo relatio vt relatio non respicit subiectum sed terminum, nec potest inhærere in fundamento, quare non erit accidens.

Confirmatur, quia relatio non est aliud, quam 4
comparatio duorum extremorum, vt similitudo comparatio duorum alborum eiusdem gradus, & paternitas comparatio generantis ad genitum; sed comparatio est opus rationis: ergo relatio non est ens reale, sed rationis: minor sic probatur, quia comparatio est actus intellectus, quo mens nostra vnum componit cum alio, considerando vnum in ordine ad aliud; sed actus intellectus est opus rationis: ergo comparatio est opus rationis.

SVBSECTIO II.

Sententia adversariorum ponitur.

SEcunda sententia docet, relationem partim 5
esse realem, & partim rationis, realem quidem secundum conceptum, In, & quatenus existit vere à parte rei inhærendo in fundamento, esse autem ens rationis secundum conceptum ad, & quatenus constituit fundamentum in esse relati, ordinati ad terminum, & respicientis illud, quia talis conceptus Ad, vt Ad, non datur vere, & realiter, sed fingitur à ratione, vt significetur per illum quod generans habeat in ordine ad filium; hanc sententiam tuentur Cardinalis Caietanus, Canarienſis, & alij Thomistæ, probant sic suam sententiam.

Primo, quia Ad, vt Ad, prædicamentale con- 6
venit cum conceptu Ad, constitutivo relationis rationis: ergo non est aliquid reale, sed rationis; consequentia probatur, quia ens rationis cum ente reali non potest convenire in aliquo conceptu reali, quia nihil convenit cum altero, nisi secundum conceptum, quem in se habet; sed ens rationis nullum conceptum realem habet, vt de se patet: ergo ens rationis non convenit cum

ente

ente reali in conceptu aliquo reali. Antecedens sic probatur; nam ita est ad aliud relatio generis, sicut relatio paternitatis; sed relatio generis est relatio rationis, & relatio paternitatis est realis: ergo Ad, relationis realis prædicamentalis convenit cum Ad constitutivo relationis rationis.

7 Secundo, si ad, vt ad esset aliquid reale, poneret aliquid secundum illam rationem, vel in fundamento, vel in termino: sed Ad, vt Ad nihil reale ponit nec in fundamento, nec in termino: ergo non est aliquid reale; minor sic probatur quoad secundam partem, quia Ad, vt Ad respectu termini est mera denominatio extrinseca; sed denominatio extrinseca pura nihil ponit in denominato; ergo Ad, vt Ad nihil ponit in termino: prima pars illius minoris sic demonstratur, quia si Ad, vt Ad poneret aliquid in fundamento, poneret in genere causæ formalis; vnde poneret, exhibendo suam entitatem fundamento; ergo informando illud; ergo Ad, vt Ad, diceret, In; respectu fundamenti; informatio enim dicit necessario in esse subiecto; sed Ad, vt Ad, & quatenus distinguitur ab In, nullum dicit, In; ergo Ad, vt ad nihil ponit in fundamento.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur.

8 CONclusio; relatio prædicamentalis adæquate est realis, tam secundum esse Ad, quam secundum esse, In; hæc sententia est totius Scholæ peripateticæ, cuius choriphæus Aristoteles multis in locis eam apertè tuetur, & docet, tum *in sua Dialectica, cap. de Ad aliquid, & in metaphys.* in quo se ad magistrum suum Platonem composuit, qui in Phædone, & in Thimæo aperte asseruit relationem paternitatis, filiationis, similitudinis, & alias esse reales, & veras; Aristotelis vestigiis insistunt ipsius innumeræ interpretum phalanges sapientissimorum lucidissimæ, quasi collatis signis in hanc sententiam æquali iudicio conspirantes, item Theologi, quorum antesignanus D. Aurelius Augustinus sua Dialectica *lib. decem cathegor. à cap.* 11. *usque ad* 12. *exclusivè*; vbi sic ait; tunc ergo & vere, & proprie ad aliquid dicitur cum sub vno ortu, atque occasu, & id quod iungitur, & id cui iungitur, invehitur, vt puta servus, & Dominus, vtrumque vel simul est, vel simul non est, etenim cum Dominum dixeris, necessario existet, & servus, cæterum quo pacto, vel quis, vel qui sit similis, demonstrabimus, nisi & quis similis sit, & cui sit similis personaliter indicemus; dixerat autem in principio capitis, claret igitur ad aliquid non sua vi: sed alterius coniunctione vere, & proprie in re consistere. Magistri Augustini mentem apprimè callens D. Thomas huius conclusionis veritatem nobis dilucide, ac sapienter propalavit 1. *p. quæst.* 13. *art.* 7. *& quæst.* 28. *art.* 1. *ad* 2. & sæpe alias, cuius sententiæ veritas adeo claritatis, lumine decoratur, vt communem huius sæculi magistrum, eximium piumque Doctorem Suarez in hæc verba prorumpere coëgerit; iam vero recepta sententia, & quasi philosophicum commune axioma est, dari in rebus creatis relationes reales, non solum propter rationes philosophicas: sed etiam quod sententia hæc aptior sit ad mysterium Trinitatis declarandum, & ex illo plurimum confirmari videatur.

Probatur primo, quidquid à parte rei est participabile in Deo à creaturis, potest participari ab ipsis vere, & realiter; sed relatio realis, v. g. Patris, Filij, producti, & producentis, quæ datur in Deo, est participabilis à creaturis; ergo potest participari ab ipsis, & sic non repugnabit dari in creaturis relationis reales Patris, Filij, &c. maior est certa: nam participabilitas idem est, ac capacitas, vt ab alio participetur; vnde si ex parte Dei datur participabilitas, poterit ex parte creaturæ participari, quia talis participabilitas est potentia activa Dei, vt communicet creaturæ id, quod est participabile in ipso: minor sic probatur; quia id est participabile in Deo à creaturis, quod in suo cõceptu vt sic communi, & præciso non opponitur enti creato: sed relatio realis quæ reperitur in Deo secundum conceptum communem relationis realis non includit aliquid oppositum creaturæ, ratione cuius repugnet ipsi: ergo non repugnat participari ab ea conceptus relationis realis, non secundum infinitatem relationis provt est in Deo: sed secundum rationem communem relationis realis: maior patet, ideo Trinitas personarum in vna essentia, immensitas, independentia, & infinitas, quæ sunt perfectiones in Deo existentes, non possunt participari à creaturis, repugnatque ipsis talis participatio, quia eiusmodi perfectiones in suo conceptu habent oppositionem, & repugnantiam cum creaturis: creaturæ enim petunt dependentiam à Deo, independentia autem opponitur dependentiæ: ergo independentia opponitur creaturæ, infinitas per essentiam dicit illimitationem, opponiturque finitudini, quam necessario creatura includit essentialiter, Trinitas personarum cum identitate vnius essentiæ dicit infinitam eminentiam, & perfectionem divinæ fœcunditatis, cuius non est capax creatura, & è contra iustitia, misericordia, sapientia, intellectus, voluntas, &c. sunt perfectiones participabiles, & de facto participantur à creaturis, quia in conceptu communi, & præciso illarum, nullũ includitur prædicatum; ratione cuius tales perfectiones opponantur creaturis, aut repugnent illis; vnde Deus verè, & realiter communicat sapientiam, iustitiam, intellectum, & voluntatem reales, non cum infinitate, quam in Deo habent proprie divinæ perfectiones, quia hanc habent tales ex vi differentiæ, & non ex vi rationis communis; sed proportionato modo creaturarum entitati; atqui relatio realis Patris, Filij, producentis, & producti in conceptu communi nullum dicunt prædicatum oppositum creaturis: ergo relatio realis Patris, Filij, &c. licet sit imparticipabilis secundum differentialem conceptum, quem habent in Deo, infinitudinis, &c. nihilominus poterit participari à creaturis secundum conceptum communum contractum per differentiam proportionatam creaturarum perfectioni. 9

Minor hæc sic probatur, quia quando concretum alicuius formę non dicit prædicatum oppositum creaturæ; ratione cuius participatur de facto à creatura, etiam forma primario constitutiva talis concreti non dicit prædicatum oppositum creaturæ, ratione cuius repugnet partici- 10

pari

pari ab illa; sed potius participatur à creatura cum ipso concreto; sed concretum, pater, filius, producens, & productum, participatur vere & realiter à creatura, & nullum habent prædicatum oppositum illi: ergo paternitas; filiatio, & relatio producentis & producti, quæ sunt formæ primario constitutivæ talium concretorum nullo modo habebunt prædicatum oppositum creaturis, sed potius de facto participabuntur ab illis sine vlla repugnantia; maior est certa. Ideo enim de facto participatur à Deo iustitia realis à creatura, misericordia, intellectus, & voluntas sine vlla repugnantia, quia iustum, sapiens, intelligens, & volens, quæ sunt concreta à talibus formis constituta participantur à Deo, & ratio à priori est, quia impossibile est, quod participetur aliquid, & non participetur id, quod est de essentia illius, quia res sine sua essentia nec esse, nec intelligi potest; sicut v. g. impossibile est quod Petrus participet esse hominis, & non participet humanitatem, animam rationalem, &c. quæ sunt de essentia hominis, aliàs non essent de essentia illius; sed forma, quæ constituit primario concretum est de essentia talis concreti: ergo si participatur concretum, necessario debet participari forma quæ primario est de essentia illius: vnde sicut in concreto nulla datur repugnantia respectu creaturæ, similiter in abstracto nulla dabitur repugnantia, nec oppositio cum ipsa creatura.

11 Minor sic patet ex D. Irenæo *lib. 4. adversus hæres. cap. 79.* vbi sic ait: secundum igitur naturam, quæ est secundum cognitionem, vt ita dicam omnes filij Dei sumus, propter quod à Deo facti sumus; secundum autem dicto audientiam & doctrinam, non omnes filij Dei sunt, quoniam autem ita se habet hoc in Isaia, dixit, filios genui, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me; & iterum quæ dicit, filios alienos eos, ita filij alieni mentiti sunt mihi, secundum enim naturam filij sunt propter hoc, quod ab eo facti sunt sic Irenæus: D. etiam August. *lib. 83. quæst. quæst. 51.* inquit animam rationalem hominis vere filiam Dei esse, de quo latissime egi *in met. disp. 1. q. vtrum metaphysica sit beatitudo naturalis*; sed filius est concretum relationis filiationis: ergo concretum filiationis participat creatura sine vlla repugnantia; sed demus hoc concretum non participari à creatura, quis poterit negare Adam fuisse patrem verum, & proprium Abel, Caïn, & Seth, ipsosque verè, & proprie filios Adam: deinde quis inficias ibit, Isaac, fuisse filium Abraham, & Iacob filium Isaac, Ioseph, & Benjamin verè, & propriè filios Iacob, & hunc vicissim esse verum, & proprium patrem illorum; neque aliquis potest contradicere dicenti, David verè, & proprie esse patrem Salomonis, Absalonis, & reliquorum; cum hoc Sacra Scriptura manifeste doceat, & cum infallibili veritate asserat.

12 Item B. Virgo est creatura; sed B. Virgo est verè & proprie realiter mater Dei; vt Concilia innumera decernunt, atque adeo Ecclesia, vt articulum fidei omnibus fidelibus sine dubitatione credendum tradit; sed mater est concretum relationis maternitatis; & pater est concretum relationis paternitatis: ergo participantur à creaturis sine vlla repugnantia, & oppositione pater, filius, mater, & cætera concreta relativa verè, propriè, & realiter sine vlla dubitatione.

13 Quod autem constitutiva patris, matris, filij, &c. sint relationes filiationis, paternitatis, & maternitatis realis, patet manifeste; quia quando concretum participatur à Deo verè, propriè, & realiter, participatur secundum formalitatem propriam, quæ in Deo est, ablata infinitate, quæ in Deo reperitur; sicut v. g. quia creatura participat à Deo concretum generantis, causæ, producentis, &c. creatura verè, & propriè est generans, verè, & propriè producens, verè, & propriè est causa, quia in Deo verè, & propriè datur ratio generantis, causæ, & producentis; sed ratio constitutiva patris in Deo est proprie relatio paternitatis, & ratio constitutiva filij est propria relatio filiationis increata, & imparticipata: ergo ratio formalis constitutiva patris participati in creaturis, erit vera, & propria relatio paternitatis participata, & creata, & ratio constitutiva proprij filij veri & realis erit vera, & propria relatio filiationis, nam eo modo participatur ratio formalis constitutiva concreti quo participatur concretum; sed concretum patris, & filij vere, & realiter participatur à creaturis, & in Deo tale concretum est vere, & proprie relativum intrinsecum: ergo in creatura etiam erit verè, & propriè intrinsece relativum.

SVBSECTIO I.

Amplius confirmantur dicta.

PRimo, quia vel repugnat participari relationem vere, & propriam à creatura propter rationem communem relationis realis intrinsecè, aut propter rationem relationis prædicamentalis; sed propter nullam rationem ex ijs repugnat: ergo participatur relatio realis intrinseca prædicamentalis: minor quoad primam partem est manifesta; quia in creatura dantur relationes reales intrinsecè transcendentales, vt sunt vniones, potentiæ, actiones, & alia huiusmodi, quæ verè, propriè, & intrinsecè relationes reales sunt: ergo non repugnat participatio relationis propter conceptum cõmunem relationis realis intrinsecæ, quoad secundam partem probatur minor: quia quando non repugnat participari maior perfectio, non repugnat participari minor à creatura intra eundem ordinem; sed non repugnat participari à creatura relatio realis intrinseca transcendentalis, quæ intra ordinem relationis est perfectior essentialiter, quam relatio prædicamentalis, vt de se patet; nam potentia, quæ relatio transcendentalis est, & anima rationalis, quæ est relatio transcendentalis ad materiam, & ad compositum, perfectiores sunt essentialiter, quam relatio similitudinis, dissimilitudinis, quæ sunt relationes prædicamentales, ac proinde modo tenuissimi, debilissimi, & imperfectissimi: ergo non repugnat participatio relationis realis prædicamentalis propriè, & intrinsecè. 14

Vrgetur, quia in Deo relationes quasi transcendentales vt sunt intellectus, & omnipotentia quæ ordinantur vere, & proprie per relationem transcendentalem ad obiecta in sententia aduersariorum; item relationes personales perfectiores sunt, virtualiter quam relatio spiratoris activi, quæ quasi prædicamentalis est; atqui creatura participat relationem potentiæ productivæ, & intellectus; item relationem transcendentalem personalitatis; personalitas enim seu subsistentia creata ordinatur essentialiter ad suppositum constituendum; vnde ordo transcendentalis est ad naturam, & ad personam: ergo potest participare relationem realem prædicamentalem intrinsecam, vel 15

quasi prædicamentalem producentis in ordine ad productum; maior sic probatur: Ideo creatura participat personalitatem vere, & proprie intrinsece, quia participat naturam substantialem completam essentialiter, quæ est perfectior ipsa personalitate intra ordinem substantiæ, & quia participat creatura rationem causæ principalis substantiæ, participat etiam rationem causæ principalis accidentis, quia genus causæ principalis substantiæ perfectius est intra ordinem causæ principalis causa principali accidentis, & ratio à priori est, quia implicatio vt participetur aliqua ratio, quæ est in Deo, à creatura, non est propter imperfectionem, quia hæc non datur in Deo, nec propter rationem minoris perfectionis, quia huius capax est creatura; sed propter purissimam, & eminentissimam, & infinitam perfectionem, cuius non est capax creatura, vt videre est in exemplis suprà adductis de independentia, immensitate, &c. Vnde si in aliquo ordine formalitatũ participatur à creatura maior perfectio; sine dubio talis maior perfectio non includet in sua formalitate præcisa infinitatem repugnantem creaturæ, ac per consequẽs, & à fortiori minor perfectio in illo ordine non includet in suo conceptu præciso infinitatẽ summam, & eminentissimam puritatem repugnantem creaturæ, quam non includit maior perfectio in eo ordine, sicut v.g. quia intellectus est de se perfectior voluntate in ordine intellectuali, & formalitas intellectus in suo conceptu præciso non includit infinitatem repugnantem creaturæ, & eius participationi, à fortiori voluntas, quæ est minor perfectio intellectu secundum se non includet in suo conceptu præciso voluntatis vt sic infinitatem repugnantem creaturæ, licet includat illam quatenus est divina voluntas, ac proinde si participatur intellectus intrinsecus proprius, & realis à creatura, participabitur sine dubio ab illa voluntas intrinseca, vera, propria, & realis ab ipsa, quia in ordine intellectuali est imperfectior intellectu: ergo quotiescunque participatur à creatura maior perfectio in aliquo ordine, potest participari ab ipsa minor perfectio intra eundem ordinem, quod secundum illud axioma philosophicum, quod potest magis, potest & minus in eodem genere est evidens: ergo similiter in nostro casu.

16 Secundo, quia generatio, ad quam sequitur relatio Patris in creatura, est vera, propria, ac perfecta realis generatio: ergo in Patre generante creato datur vera, propria, rigorosa, ac realis relatio paternitatis: sicut in genito vere, & realiter datur vera, & realis filiatio: hæc consequentia est manifesta: Ideo in divinis datur vera propria, & realis paternitas, quia in divinis datur vera, propria, ac realis generatio activa: Item datur vera, & propria relatio filiationis, quia vere, & realiter generatur Verbum Divinum à Patre, & ratio à priori est, quia necesse est, vt generans respiciat terminum à se genitum, & terminus genitus respiciat vere, & realiter generantem: sed formalissimum respicere in genito respectu Patris est filiatio, & in generante respectu geniti est relatio veræ, & realis paternitatis: ergo vbi datur vera, & realis generatio, datur vera, & realis filiatio, & paternitas; sed secundum nostram fidem, vt patet *ex c.* 1. *Evangelij secundum Math.* vnus homo verè, & realiter generat alium: tali enim *cap.* sic dicitur; Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, &c. & concludit, Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus: omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad David generationes quatuordecim, &c.

Ergo vere, & realiter vnus homo est Pater alterius, & alius homo est vere filius alterius: ergo 17
vere habet paternitatem vnus, & filiationem alius, quia eo modo quo est effectus formalis primarius alicuius formæ est ipsa forma; sed filius, & Pater, qui sunt effectus formales paternitatis, & filiationis sunt vere, & proprie reales: ergo paternitas & filiatio sunt vere, & proprie reales; sed paternitas, & filiatio sunt relationes generantis, & geniti; ergo in creaturis vere dantur propriæ relationes reales: consequentia illa est manifesta ex illo evidentissimo principio, vbi datur eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed in creaturis datur ratio formalis, propter quã in divinis dantur veræ reales relationes Patris, Filij, & producentis, scilicet generatio, & productio vera, realis, & naturalis: nam sicut Pater æternus naturaliter generat filium proprie, & realiter, ita vnus homo proprie, vere, & realiter generat naturaliter alium hominem; ergo sicut in divinis datur propter illam rationem formalem generationis propria relatio adæquate realis, tam quoad esse In, quam quoad esse Ad, etiam in creatis propter generationem veram realem dabitur vera, & propria relatio paternitatis, & filiationis tam quoad esse In, quam quoad esse Ad.

Declaratur amplius, quia relatio vera, & realis id est cuius totum suum esse est ad terminum, ita vt sine termino neque esse, neque intelligi possit talis relatio; sed formalitas constitutiva Patris, & Filij creati habet totum suum esse in ordine ad terminum, & non potest esse nec intelligi à parte rei sine termino; quis enim potest intelligere Patrem sine Filio, aut Filium sine Patre, vnde paternitas, & filiatio sunt verè à parte rei in ordine ad aliud: ergo formalitas constitutiva Patris, & formalitas constitutiva Filij est vera, & realis, tam quoad esse In, quam quoad esse Ad, quia talis formalitas non est absoluta, quia absolutum non est in ordine ad terminum; sed paternitas vere, & realiter est in ordine ad terminum: ergo vere, & realiter non est absoluta; sed respectiva, & relatio.

Solum restat probandum inter vnum hominẽ, 19
& alium intercedere veram, propriam, & realem generationem; quod evidenter sic demonstratur, quia nihil aliud est generatio vera, & realis nisi vera origo propria, & realis viventis à principio coniuncta in similitudinem naturæ; sed inter Petrum producentem, & Paulum productum ab ipso intercedit vera propria, & realis origo viventis à vivente, quia tunc datur vera origo viventis à vivente, quando vnum vivens procedit ab alio vivente verè, & realiter, & tunc talis origo est à principio coniuncto in similitudinem naturæ, quando vivens producens communicat viventi à se producto partem suæ substantiæ, & productum est einsdem speciei cum producente; sed Petrus generans Paulum tribuit mediante suo semine partem substantialem sui, & Paulus est einsdem speciei cum Petro: ergo productio Pauli à Petro est vera, realis, & propria origo viventis à vivente coniuncto in similitudinem naturæ; ergo Petrus vere, proprie, & realiter generat Paulum; ergo in creaturis datur vera, & propria generatio.

Explicatur amplius hoc, quia vbi concurrunt 20
omnes conditiones, & causæ naturales, & necessariæ à parte rei ad aliquem effectum sine vlla fictione

fictione intellectus & rationis necessario vere, & realiter datur talis effectus, sed inter Petrum generantem, & Paulum genitum intercedunt omnes causæ naturales, & necessariæ relationis paternitatis, & filiationis vere, & realiter sine vlla fictione intellectus: ergo sine vlla fictione intellectus vere à parte rei datur relatio adæquate, & totaliter. Maior est evidens; ideo posito igne, & approximato ad lignum datur ignis, & calor productus vere, & realiter sine fictione, quia sine fictione concurrunt omnes causæ necessariæ, & naturales talis ignis, & caloris producti, & ideo posita specie impressa in potentia visiva, quæ est in proportionata distantia in ordine ad obiectum visibile, datur statim visio realis à parte rei sine vlla fictione, quia concurrunt à parte rei sine vlla fictione omnes causæ talis visionis, & ratio à priori est, quia causa realis completa necessaria statim producit vere effectum.

21 Minor illa sic demonstratur, quia omnes causæ relationis realis sunt fundamentum ratio fundandi, & terminus; sed à parte rei dantur vere, & realiter fundamentum relationis paternitatis, scilicet substantia Petri, generatio realis, & Paulus verè & realiter productus, & generatus per illam, quæ sunt ratio fundandi, & terminus sine vlla fictione: ergo concurrunt à parte rei omnes causæ necessariæ relationis sine vlla fictione vere, & realiter.

SVBSECTIO II.

Secundum principale argumentum ponitur.

22 QVia vel repugnat relatio realis creaturis ob imperfectionem creaturarum, vel ob perfectionem earum; sed nec ob perfectionem, nec ob imperfectionem creaturarum repugnat illis relatio realis, & ex alio capite vt dictum est concurrunt in creatura omnes conditiones necessariæ ad relationem realem: ergo datur relatio realis proprie, & vere in creaturis. Minor quoad primam partem est evidens, quia magis perfectus est Deus, quam omnis creatura: sed Deo licet sit magis perfectus (ex eo quod sit infinite talis) non repugnat relatio realis: ergo à fortiori non repugnabit creaturæ quæ imperfectior est Deo.

23 Dices, dari talem repugnantiam in creatura, & non in Deo, quia illa relatio Dei substantialis est, in creatura vero esse debet accidentalis.

24 Sed contra, quia relationi vt sic non magis repugnat quod sit accidentalis, quam quod sit substantialis, quia sicut accidens dicit esse in alio, ita substantia dicit esse in se; si ergo cum hac ratione coniungi potest esse ad aliud, multo magis cum illa, & alioquin creaturæ vt sic non repugnat accidens reale: ergo nec repugnabit illi talis relatio quæ & si sit accidentalis, aliquid rei sit.

25 Minor quoad secundam partem sic demonstratur; quia relatio vt relatio non dicit imperfectionem, quod si aliquid imperfectionis ei adiungitur ex eo quod accidentalis est, talis imperfectio non est extra latitudinem rei creatæ.

26 Secundo evidentius eadem secunda pars minoris probatur; nam creatura participat à Deo rationem substantiæ spiritualis, viventis, intellectualiter, licet sint perfectiones simpliciter simplices in Deo, ac proinde maiores, ac perfectiores virtualiter, quam relationes, non obstante imperfectione earundem creaturarum: ergo à fortiori poterunt creaturæ participare modo sibi proportionato relationes reales, quæ adhuc in Deo non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed solum secundum quid, ac proinde videntur magis proportionatæ creaturis; nam perfectiones absolutæ congruunt magis rei independenti, quia in se, & à se sunt, quam relativæ quæ sunt ad aliud, & dicunt connexionem cum alio, licet etiam relationes vt sunt in Deo, congruant ipsi, quia nullam dicunt imperfectionem, etiam si non dicant tantam, ac dicunt perfectiones absolutæ simpliciter simplices; atqui creatura est maxime dependens à Deo ex indigentia propria, & imperfectione, quia essentialiter est ab alio: ergo sicut recipit esse ab alio, debet respicere illud à quo esse recipit: ergo à fortiori secundum exigentiam propriam, & modo sibi proportionato participabit relationes reales, non obstante propria imperfectione, si non obstante ea, participat perfectiones absolutas.

Tertio principaliter sic argumentor, quia in 27
creaturis datur formalitas realis, & accidentalis, quæ neque esse, nec concipi potest, nec definiri, nisi per aliud: ergo à parte rei datur relatio realis in creatura. Patet consequentia; quia omne illud, quod definitur per aliud, & non tanquam per prædicatum intrinsecum, sed potius tanquam per prædicatum extrinsecum est relatio formalis proprie, & vere; sed à parte rei dantur in creaturis vere, & realiter formalitates, quæ neque esse, nec concipi, nec definiri possunt, nisi per aliud sibi extrinsecum: ergo à parte rei tales formalitates sunt vere, & proprie relationes. Maior est certa; nam quidquid definitur per aliud extrinsecum distinctum ab illo, quod definitur, definitur per illud quatenus dicit connexionem essentialem, & respicit aut refertur, aut ordinatur essentialiter ad illud; sed relatio essentialiter ordinatur, refertur, & respicit aliud extrinsecum distinctum à se: ergo quidquid definitur per aliud est relatio essentialiter.

Confirmatur: Ideo colligimus necessario, ani- 28
mum rationalem esse relationem realem essentialiter, quia definitur per compositum, quod constituitur ab ipsa, quod est aliud ab anima rationali distinctione includentis ab incluso, vel per corpus, & ideo dicitur forma est actus corporis physici organici, quæ definitio est per corpus, quæ est aliud distinctione excludentis ab excluso ab ipsa anima, vt ipsi adversarij asserunt. Item omnes potentiæ vitales sunt relationes reales essentialiter; quia definiuntur essentialiter per obiecta distincta ab ipsis. Item paternitas in divinis est vera, & realis relatio, quia definitur per filium, aut filiationem quæ distinguitur realiter ab ipsa paternitate: ergo quidquid definitur essentialiter per aliquid distinctum à se, est essentialiter relatio, sive transcendentalis, sive prædicamentalis; nam si id, quod definitur per aliud, est de essentia rei absolutæ, quæ est quasi immediatum fundamentum illius erit relatio transcendentalis; si vero id, quod definitur per aliud aut realiter, aut prædicamentaliter, non sit de essentia immediati fundamenti, sed potius aut metaphysice, aut physice possit adesse, & abesse præter corruptionem immediati fundamenti illius, erit relatio prædicamentalis. Et ratio à priori est, quia quidquid definitur adæquate essentialiter per aliud habet suam definitionem in ordine ad illud adæquate, & totaliter;

nam si non haberet illam in ordine ad aliud, nulla esset ratio, cur definiretur essentialiter per illud: sed definitio adæquata essentialis obiectiva est tota, & adæquata essentia rei definitæ, & si est formalis definitio explicat essentiam eo modo quo in se est, adæquando se cum illa, ac proinde si definitio formalis est in ordine ad aliud, definitio obiectiva seu essentia adæquata rei erit in ordine ad illud, alias non erit vera, & essentialis definitio formalis, siquidem explicaret essentiam aliter ac est, videlicet in ordine ad aliud cum in se, & ex se non sit in ordine ad illud: ergo quidquid definitur vere essentialiter per aliud, vere & realiter habet totam suam essentiam in ordine ad aliud; sed quidquid habet totam suam essentiam in ordine ad aliud realiter, est vere realiter, & essentialiter relatio, vt patet ex eius definitione, quæ sic se habet, relatio est, cuius totum suum esse est ad aliud: ergo quidquid definitur per aliud, essentialiter est relatio.

29 Antecedens primum, & præcipuum sic demonstratur, quia à parte rei datur ratio formalis constitutiva Patris, scilicet paternitas, talis enim est forma in abstracto, quale est effectum formale talis formæ, seu totum constitutum per illam in concreto; ideo enim albedo est forma albi, & humanitas ratio formalis constitutiva hominis; Item à parte rei datur ratio constitutiva filij, quæ est filiatio; sed paternitas, & filiatio nullo modo possunt esse, concipi, & definiri, nisi per aliud; v. g. paternitas nullo modo potest definiri essentialiter, nisi per filium, aut genitum; sicut filiatio non potest vllo modo esse, concipi, aut definiri, nisi per Patrem, aut per generantem, vt videre est in divinis, vbi paternitas definitur in ordine ad filium genitum, & filiatio in ordine ad Patrem generantem; vnde sic definimus paternitatem divinam, est ratio formalis per quam Pater respicit filium, &c. imo si aliter possit definiri, dicant nobis adversarij, quod nullo modo poterunt cum veritate dicere, quia duplex tantum datur modus essendi, alius in ordine ad se, alius in ordine ad alterum; sed paternitas non est in ordine ad se, sicut Pater, qui constituitur in suo esse formali per paternitatem, non est Pater in ordine ad se ipsum, quia nullus est sui ipsius Pater; sed potius est Pater alterius à se geniti, sicut Pater non est generans se, sed alterum, alias idem à se produceretur, quod est falsum, vt patet ex illo evidentissimo principio metaphysicæ: quidquid producitur, ab alio producitur, cui adæquate nititur demonstratio existentiæ Dei: vnde pater sine dubio est alterius à se geniti Pater, ac proinde Pater est in ordine ad alterum; ergo paternitas, à qua habet totum suum esse Pater, formaliter vt talis, est in ordine ad filium genitum; sed quidquid est in ordine ad alterum, est relatio formaliter: ergo paternitas, quæ est in ordine ad aliud, est relatio, & sic essentialiter definitur per alterum, quia eo modo definitur, quo habet esse; sed paternitas in creatis, item filiatio non est de essentia hominis generantis, nec filiatio est de essentia hominis geniti, sed potius distinguitur ab illis à parte rei, & sic paternitas, & filiatio possunt abesse, & adesse à parte rei, immediatis fundamentis ipsarum sine corruptione illorum, vt late demonstratum manet supra, vbi egimus, an relatio paternitatis, & filiationis distinguantur ab entitatibus fundamenti, & termini; sed formalitas illa, quæ potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem est formalitas accidentalis: ergo à parte rei datur in creatis sine vlla fictione intellectus formalitas quædam accidentalis, quæ nec esse, nec concipi, nec definiri potest essentialiter, nisi per aliud, & in ordine ad illud. Deinde in creaturis datur sine vlla fictione similitudo, & dissimilitudo vnius respectu alterius. Item datur diversitas, & disconvenientia; nam hæ sunt veræ propositiones, homo quatenus animal convenit cum equo, & disconvenit cum arbore, & Petrus, quia est homo, convenit cum Paulo, & disconvenit cum Bucephalo; sicut Angelus convenit in esse entis creati cum homine, & disconvenit vere, & realiter sine fictione cum Deo in ratione entis creati finiti, & limitati. Item albedo opponitur realiter nigredini, & disconvenit cum illa, convenit cum alia albedine, & non opponitur ipsi: ergo datur à parte rei in creaturis sine fictione convenientia, vel disconvenientia, similitudo & dissimilitudo; atqui tales formalitates necessario sunt vnius in ordine ad aliud, quia nihil respectu sui ipsius est dissimile, & oppositum realiter actu, & formaliter: ergo tales formalitates nec esse, nec concipi, aut definiri possunt essentialiter, nisi in ordine ad aliud.

Declaratur amplius, nam sicut homo est quædam essentia absoluta sine fictione intellectus, ita independenter à ratione convenit illi similitudo in ratione animalis cum equo, dissimilitudo, aut disconvenientia in esse corporei cum Angelo, & sicut à parte rei Deus est independens à quocunque, ita Angelus est dependens à Deo. Item B. Virgo est mater Dei, quia quatenus concepit, & peperit vere, & realiter sine fictione, non potest intelligi, nec concipi sine filio, & sine ordine ad illum; imo si non daretur aliquis intelligens per subtractionem cõcursus ad intelligendum, in quo casu nullum posset fingi ens rationis, ex sola naturali generatione, & conceptione, ei conveniret vera, propria, & perfecta maternitas, quia genuit filium eiusdem speciei, & essentiæ humanæ cũ ipsa: ergo iam dantur à parte rei formalitates, quæ nec esse, nec concipi, nec definiri possunt, nisi per aliud; atqui tales formalitates, v.g. maternitatis, convenientiæ, & disconvenientiæ possunt destrui, & separari à subiectis, in quibus sunt, conservatis eisdem subiectis, vt supra late demonstravimus: ergo sunt accidentales formalitates, ac proinde erunt relationes prædicamentales, quia nihil aliud est relatio prædicamentalis, nisi entitas illa, quæ habet totum suum esse in ordine ad aliud.

SECTIO III.

Opinio Caietani licet argumentis supra positis oppugnata sit, specialiter tamen refellitur.

PRimo, quia nullum datur à parte rei vniversale formaliter; sed si Ad, vt Ad, in relatione esset ens rationis, & non reale, daretur vniversale formaliter à parte rei: ergo Ad, vt Ad non est ens rationis, sed reale: maior est evidens; minor sic probatur, quia per vos datur à parte rei formale In, relationis; sed illud formale In vt sine fine ratione Ad, est vniversale formaliter: ergo datur vniversale formaliter à parte rei: minor sic probatur;

probatur, quia illud est vniversale formaliter à parte rei, quod à parte rei est, & non est individuum, aut singulare specificum, id est nec habet differentiam specificam, nec individualem, ratione cuius contrahatur ad esse determinatum particulare: v. g. si à parte rei daretur ratio animalis sine differentia specifica, nec individuali, & separata ab omni differentia contrahente rationem illam ad esse talis speciei, esset sine dubio vniversale illud Platonicum, quod omnino, & mere fictitium dicitur ab omnibus Doctoribus, quod ex eo dicebatur vniversale, quia erat ratio communis separata ab individuis, & ab omni differentia singularizante.

32 Sed illa ratio In, non habet à parte rei differentiam individualem, & specificam, à quibus determinetur, & contrahatur: ergo illa ratio In, est vniversale Platonicum à parte rei.

33 Dices, illud In habere pro differentia individuali, & specifica, per quam sit individuum singulare, rationem, & formalitatem illam Ad, vt Ad.

34 Sed contra manifeste primo, quia omnis differentia individualis, & specifica identificatur à parte rei omni modo tam realiter, quam modaliter, ac tandem ex natura rei (quod vt certum docet Caietanus, & probat, vt ipse ait, evidenter contra Scotum, in quo sequitur aperte D. Thomam multis in locis, imo & claram veritatem, vt supra probavimus late) cum ratione communi; sed ens rationis non potest identificari vere, & realiter cum ente reali, & vos asseritis Ad, vt Ad non esse formalitatem realem, sed proprie ens rationis fictum: ergo Ad, vt Ad, non potest esse differentia individualis, & specifica, quæ contrahat rationem In relationis.

35 Secundo contra, quia Ad vt Ad est ens rationis; sed ens rationis non datur à parte rei: ergo Ad vt Ad non datur à parte rei vere, & realiter: ergo vere, & realiter formalitas In, non habet à parte rei differentiam specificam & singularem, licet habeat eam per fictionem intellectus: sicut homo non habet identitatem cum bruto à parte rei vere, & realiter licet habeat illam per fictionem intellectus, quia talis identitas non datur vere, & realiter à parte rei, sed fingitur; vnde à parte rei non datur chimæra, licet detur per intellectum; sed Ad vt Ad non datur in formalitate In, nec formalitas In identificatur cum Ad vt Ad, licet identificetur per rationem cum illa: ergo formalitas In, non habet à parte rei differentiam, sed potius est separata ab omni differentia individuali, & specifica, licet non sit separata per rationem: ergo ratio In, est vniversale Platonicum à parte rei, licet per rationem sit singulare.

36 Declaratur amplius, quia cui negatur ratio superior negatur ratio inferior, sicut quia albedini negatur esse animal, negatur esse hominem, & quia Bucephalo negatur esse hominis, negatur esse huius hominis; sed Ad vt Ad negatur esse ens reale: ergo Ad vt Ad negatur esse differentiam specificam, & individualem: ergo Ad vt Ad non constituit rationem In, in esse singularis, & determinati entis realis; quia quod non est differentia realis, non determinat realiter: ergo ratio In manet indifferens, indeterminata, ac proinde vniversalis.

37 Dices, sufficere differentiam rationis ad hoc, vt determinetur ratio In ad esse relationis.

38 Contra, quia differentia debet proportionari cum ratione superiori, quia contrahens, & contrahibile proportionantur: vnde in vna entitate non potest esse ratio superior substantia, si differentia sit accidens, nec ratio superior potest esse res positiva, & differentia negatio realis; quia nullo modo proportionantur in esse contrahibilis, & contrahentis substantia, & accidens, positivum, & negatio; quia maxime differunt, & distant: sed magis distant, & minus proportionantur ens reale, & ens rationis, ens fictum, & ens verum, quam substantia realis, & accidens reale, &c. ergo à fortiori ens fictum, & ens rationis non poterit esse differentia entis realis ad constituendam speciem, & singularem entitatem realem relationis, sed potius in statu reali manebit ratio illa In relationis in esse vniversalis, & indeterminatæ v.g. licet homo habeat differentiam in statu reali, in statu intentionali manet vniversalis; quia licet in statu reali habeat differentiam, non habet in statu intentionali, quia à genere ad genus non valet illatio: ergo econtra licet in statu ficto, & per rationem ratio In, relationis non sit vniversalis, sed potius determinata, quia in illo statu habet differentiam rationis, nihilominus in statu vero, & reali erit vniversalis, quia in statu vero, & reali non habet realem differentiam.

Confirmatur, quia in vno prædicamento non 39
possunt esse ens reale, & ens rationis, entia enim rationis à prædicamento expelluntur; quia nullam habent veram convenientiam, (ratione cuius abstrahatur vnus conceptus genericus, & specificus, qui omnino necessarij sunt ad prædicamentum constituendum, quia linea prædicamentalis necessario constat generibus, & speciebus) quia non potest vera relatio intercedere inter ens rationis, & ens reale; sed convenientia est relatio: ergo nulla datur convenientia vera, vt verè abstrahatur conceptus communis dictus, ac proinde habebunt maximam diversitatem, ratione cuius non poterunt coniungi in eodem genere, & specie: ergo à fortiori propter eandem diversitatem non poterunt coniungi in vnico individuo, vbi coniunctio, quia est identitas, est arctior, & strictior; imo si in vno individuo coniungerentur, coniungerentur vt genus, & species, seu constitutiva superiora, & inferiora eiusdem individui; sed genus, & species constitutiva superiora, & inferiora eiusdem singularis individui in eodem prædicamento, seu linea prædicamentali constituuntur, vt videre est in animali, & homine quatenus constituunt Petrum quæ sunt in eodem prædicamento substantiæ: ergo si ab eodem prædicamento expelluntur ens reale, & ens rationis, à fortiori debent expelli à constitutione eiusdem relationis individuæ.

Deinde, quia chimæra expellitur ab omni præ- 40
dicamento vt quid fictitium, & nihilominus sola vnio est fictitia, & cæteræ partes reales; quia autem constat ex tali vnione rationis, absolute exulat à prædicamento; sed relatio per vos constat ex differentia rationis, & ratione generica realis: ergo absolute debet expelli, sicut quid chimæricum à prædicamento reali.

SVBSECTIO I.

Secundum argumentum ponitur.

QVia si Ad vt Ad relationis esset ens rationis, 41
tota relatio esset ens rationis fictum; sed to-

ta relatio non est ens rationis: sed à parte rei dantur veræ, & reales relationes, vt late probatum est *sectione superiori*, & vt ipsæ Caietanus innumeris suæ doctrinæ locis sequendo D. Thomam, docet præcipue *1.p.q.* 28. *art.* 2. *& lib. de ente, & essentia*; quibus locis data opera probat, dari relationes reales in creaturis, & distingui realiter tanquam rem à re à suo fundamento

42 Ergo Ad, vt Ad, quod est differentia constitutiva relationis, non est ens rationis, sed reale. Maior est evidens, quia ex ente rationis, & ente reali non fit ens reale, sed potius constituitur concretum rationis, vt patet ex constitutione vniversalis, generis, speciei, &c. genus enim, species, & reliqua vniversalia formaliter sunt concreta rationis, licet materiale illorum sit natura realis; item Chimæra est ens rationis absolute, ac simpliciter ex sola vnione rationis, quæ est vnum ex constitutivis illius, licet aliæ partes essentiales chimæræ sint reales, v.g. essentia hominis, Leonis, aquilæ, & equi, ex quibus constituitur essentialiter.

43 Et ratio evidens à priori est, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu; atqui ens reale est bonum, & perfectum, & ens rationis est malum, & imperfectum, comparatione entis realis: ergo ad hoc, vt aliquid sit ens reale, debet esse ex integra causa reali, itavt nihil illius sit rationis, & è contra vt sit ens rationis, sufficit ex defectu cuiuscunque constitutivi, itavt quodcunque constitutivum illius deficiat à ratione entis realis ex eo quod sit ens rationis.

44 Sed per vos relatio constituitur essentialiter ex ratione communi reali In, & ex differentia Ad, vt Ad, quæ est ens rationis: ergo tota relatio simpliciter, & absolute est ens rationis fictum, ac proinde nulla dabitur à parte rei in creatura relatio realis, cuius oppositum supra probavimus manifeste.

45 Declaratur exemplis, quia si daretur aliquod compositum ex ratione animalis in communi, & ex differentia ficta per intellectum, totum illud deberet esse individuum fictum per rationem sine dubio, & id quod daretur à parte rei esset vniversale Platonicum scilicet ratio illa animalis, quæ de se est communis, si aliunde à parte rei non haberet talis ratio animalis aliam differentiam realem; sed vos ponitis à parte rei formalitatem In, quæ de se est ratio communis tam absolutis, quam relativis sine aliqua differentia reali, sed solum cum differentia rationis ficta, scilicet Ad vt Ad, ex qua & ex ratione communi In, componitis relationem: ergo relatio taliter compositа non est vera, & realis, sed potius ficta, & per rationem, & id quod reale est, scilicet illud In, quod ponitis sine differentia reali à parte rei, erit sine dubio à parte rei vniversale Platonicum v.g. si dicerem, albedinem esse quoddam compositum ex ratione In, communi, seu ex ratione qualitatis, vt sic, (ratio enim, In, est ratio accidentis in communi, ac proinde communis, sicut ratio accidentis vt sic,) & ex differentia disgregativi visus, quæ non realis, sed solum per rationem fictum ens esset, proculdubio albedo illa esset ficta, & non vera, & ratio In, seu ratio accidentis vt sic esset vniversalis: ergo similiter in nostro casu si in constitutione relationis ponitis rationem In, quæ nihil aliud est, quam ratio accidentis vt sic de se communis, & indifferens ad omnia accidentia, & ad illam rationem determinandam, & singularizandam in constitutione relationis, nullam differentiam realem ponitis, sed solum Ad, vt Ad, quæ est differentia rationis, & ficta: ergo relatio non erit realis, sed ficta, & ratio illa communis accidentis, seu In, remanebit vniversalis, quod est summum absurdum, quia à parte rei verè dantur relationes reales, & omne quod datur, aut existit, est singulare, & non vniversale, vt supra *disp. de vniversali in communi* demonstravimus: ergo nullo modo est toleranda opinio Caietani.

Dices, illam rationem In à parte rei existen- 46
tem non esse communem, nec vniversalem, sed potius esse determinatam, & singularem per differentiam propriam realem.

Sed contra, & interrogo, an talis differentia 47
sit in ordine ad terminum vere, & realiter, vel non sit in ordine ad illum (inter hos enim terminos nullum datur medium, quia sunt termini contradictorij, affirmatio nimirum, & negatio eiusdem de eodem) si est in ordine ad illum vere, & realiter, concedis tuis ipsis verbis, vere, & realiter dari differentiam Ad, quia ad terminum necessario debet dari formalitas Ad, vnde necessario teneris fateri in relatione non solum dari esse In reale, sed etiam verum, & reale Ad, quod antea negaveras.

Si autem talis differentia non sit in ordine ad 48
terminum vere, & realiter, erit differentia absoluta, ac proinde constitutum ex ratione In communi, & ex tali differentia absoluta à parte rei non erit à parte rei relatio, sed potius quid absolutum; sicut quantitas est quid absolutum, quia constat ex ratione communi In, & ex differentia absoluta, & minime relativa, seu quæ vere sit Ad, terminum: ergo nulla dabitur à parte rei relatio, & si aliqua datur, erit rationis.

Imo nec dabitur vlla relatio rationis, quia om- 49
nis relatio rationis est ad similitudinem veræ relationis; sed nulla datur vera relatio: ergo nulla datur, ad cuius similitudinem fabricetur relatio rationis: v.g. si non daretur negatio, aut privatio realis, nulla daretur negatio, aut privatio rationis, quia hæc necessario fingitur ad similitudinem illius.

Confirmatur argumentum principale, quia si 50
Ad vt Ad relationis est rationis, in illo Ad debet necessario includi ens, quia ens transcendit omnes differentias vltimas, vt videre est in relationibus divinis, in quarum Ad, includitur ens; sed non includitur in illo Ad, relationis creatæ ens reale, alias illud Ad non esset rationis, sed reale, quia ens reale, quod transcendit differentias, constituit necessario illas in esse entis realis, ex eo quod absolute, ac simpliciter identificatur à parte rei ratio entis transcendens, & ratio vltima, quam transcendit, vt à nobis cum D. Thoma, & ipso Caietano probatum est in metaphysica contra Scotum: ergo includitur ens rationis; atqui non ens rationis per se existens, & substantiale, tum quia in sententia Caietani, & Thomistarum non datur substantia rationis, tum etiam quia est ad constituendum accidens quod est relatio: ergo includitur in differentia Ad ens in alio, seu accidens vt sic; atqui ens in alio est verum, & formalissimum In: ergo in Ad includitur formalissimum In, ex quo In, & Ad, fiet complete relatio, quia ad relationem complete constituendam sufficit In, & Ad; sed ibi datur Ad rationis, & in illo Ad includitur In rationis: ergo iam datur adæquata constitutiva relationis, quæ adæquate sit ens rationis secundum omnes suas partes; vnde

super

superfluum erit illud In reale, imo impertinens vt supra probavimus.

51 Præcipue, quia ad vnum Ad sufficit vnum In, vt videre est in cæteris accidentibus, & ad vnam differentiam sufficit vna ratio communis, & etiã quia melius coniunguntur In rationis. & Ad rationis quam In reale, & Ad rationis: ergo si Ad rationis constituit prædicamentum relationis, etiam In rationis constituit ipsum, & totum prædicamentum erit entium rationis: vnde non erit verum prædicamentum, quia verum prædicamentum debet constare ex veris, & realibus entibus, vt videre est in reliquis.

52 Explicatur amplius, quia totum esse relationis est ad aliud se habere: ergo si esse Ad est quid rationis, eo ipso etiam esse In erit rationis, ac proinde tota relatio erit ens rationis: probatur consequentia, quia intellectus non potest fingere illud esse Ad extra fundamentum; sed potius in fundamento, quia est quædam affectio intrinseca in fundamento, vt referat illud ad terminum: ergo illud esse Ad fictum est fictum, cum In in fundamento; sed illud In, non est reale, quia nullum ens rationis est realiter in aliquo; sed per rationem; ergo ipsum In illius Ad est ens rationis, quia ipse intellectus, qui fingit Ad fingit non minus ipsum Ad esse in fundamento, ac proinde tam Ad quam In sunt ficta per intellectum, ac proinde sunt entia rationis: ergo tota relatio cum toto suo esse est ens rationis.

SVBSECTIO II.

Tertium argumentum principale pro nostra sententia ponitur.

53 QVia in sententia Caietani, & D. Thomæ contra Scotum gradus superior, & differentia contrahens illum, non distinguuntur; sed sunt idem à parte rei formalissime: sed ratio In in relatione prædicamentali est ratio superior, & Ad vt Ad in illa relatione est differentia contrahens, & distinguens ipsã ab absolutis entibus: ergo ratio In, & ratio Ad sunt idem in relatione realiter omnimodo: ergo ratio Ad non est rationis: patet hæc consequentia, quia id quod est vere reale, non potest esse ens rationis fictum; sed ratio Ad est ratio In, quia identificatur cum illa, & non distinguitur ab ipsa, ac proinde debet prædicari de illa, & affirmari de ipsa, & ratio In, est ens reale: ergo ratio Ad est ens reale, quia quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; sed ens reale, & ratio Ad sunt idem in ratione In: ergo ratio Ad, & ens reale sunt idem inter se; ergo ens reale prædicatur de ratione, Ad, quia quidquid prædicatur per Verbum substantivum de aliquo subiecto, prædicatur etiam de eo, de quo prædicatur tale subiectum, quod aliter contingit in prædicationibus de verbo adiectivo, quando intercedit distinctio virtualis inter aliqua, vt videre est in prædicationibus divinis, nam quia hæc est vera prædicatio, intellectus est omnipotentia, voluntas est omnipotentia, est vera prædicatio: ergo intellectus est voluntas, & nihilominus non potest dici, Pater generat per intellectum, sed intellectus est voluntas: ergo Pater generat per voluntatem; tunc sic, quando aliqua ratio superior non distinguitur ab inferiori, prædicatur per Verbum substantivum de ea; sed ratio In, quia est gradus superior, non distinguitur à ratione Ad, à parte rei, quæ est gradus inferior, seu differentia: ergo ratio In, vere, & realiter prædicatur de illa: sed ens reale vere, & realiter prædicatur de ratione In per vos: ergo ens reale vere, & realiter prædicatur de ratione Ad substantive: ergo est verum dicere Ad vt Ad est ens reale, quia quidquid dicitur de superiori, dicitur de differentia illius à parte rei; illa minor sic probatur, quia illud est prædicatum superius, in quo plura assimilantur, & conveniunt, potestque de illis pluribus prædicari; sed in ratione In, assimilantur, & conveniunt accidentia absoluta & respectiva, ac proinde de illis omnibus prædicatur ratio In, & ideo hæc est vera prædicatio, quia sicut relatio est in subiecto, aut fundamento proprio, ita albedo, quantitas, & accidentia absoluta sunt in subiectis propriis: ergo In convenit illis, & de illis omnibus prædicatur: ergo est ratio superior respectu illorum.

Ratio autem Ad, solum convenit relationi, 54
& est ratio qua formaliter vltimo constituitur in esse relationis, & per quam vltimo differt ab absolutis: ergo est differentia relationis, & gradus inferior respectu rationis In. Vrgetur ideo animal non distinguitur à rationali, & homo à petreitate, quia animal, & homo sunt rationes superiores, & rationalitas, & petreitas sunt differentiæ illarum, & ideo rationale, & petreitas non possunt esse entia rationis: sed necessario debent esse entia realia, quia non distinguuntur; sed potius identificantur cum animali, & homine; constitutiva enim metaphysica distinguuntur à physicis quod metaphysica non distinguantur inter se, physica autem distinguantur; sed constitutio relationis per In, & Ad est constitutio metaphysica rationis superioris, & inferioris: ergo In, & Ad non distinguuntur à parte rei; sed potius sunt idem realiter: ergo si In per vos est ens reale, & non ens rationis, Ad etiam erit ens reale, & non rationis; alias idem erit reale & non reale, rationis & non rationis, quod est impossibile; impossibile enim est idem simul esse, & non esse.

Confirmatur: ratio In realis, seu accidens 55
reale vt sic, est prædicatum transcendens omnes differentias particulares; nam v. g. disgregativum visus transcenditur ab accidenti reali vt sic, quia disgregativum est etiam accidens reale, & ens in alio; sicut substantia vt sic quatenus abstrahit à completa, & incompleta transcendit omnes differentias substantiales, constituitque ipsas essentialiter, tanquam ratio superior; sed ratio In est accidens reale: ergo transcendit omnes differentias, à quibus contrahitur; atqui ratio illa, In, realis provt abstrahit à completa, & incompleta contrahitur in relatione per differentiam Ad: ergo transcendit talem differentiam Ad; ergo est de essentia illius, & constituit illam essentialiter: ergo Ad vt Ad in relatione non est ens rationis; quia illud de cuius essentia est, & cuius constitutivum essentiale est ens reale, & non ens rationis, debet necessario esse ens reale, & non rationis: ideo enim rationalitas est ens reale, & non rationis, quia constituitur essentialiter ab ente reali, quia transcendit ipsam essentialiter; sed In reale transcendit Ad relationis, & constituit essentialiter illud: ergo Ad vt Ad est ens reale, & non rationis.

Declaratur:

56 Declaratur: nam audita hac voce Ad non potest intellectus non concipere ordinem vnius ad aliud; iam ergo apprehenditur ordo, vt est alicuius, & ad aliud; vt autem est alicuius habet rationem, In, quia non est illius nisi existendo in illo: ergo nullo modo potest adæquate, & perfecte cognosci sine ratione In, ratio Ad, aut certe donec illud Ad concipiatur esse in aliquo, nullum conceptum rei ea vox in nostro intellectu efficere potest, vt cuicunque compertum est, quamvis ergo illa vox Ad, non ita expresse significet rationem In, quia tamen ita connexæ sunt ratio Ad, & ratio In, vt Ad sine In cogitari nequeat, fit vt audita voce Ad non possit non apprehendi ratio In quod non habet vox In, quia audita illa, non statim apprehenditur ratio Ad, quia latius patet, quia non omnis forma, quæ est in alio, est ad aliud; sicut è contra omnis ratio Ad, quæ relatio est, seu ad aliud, est necessario in alio, vnde colligitur necessario rationem In, esse de conceptu Ad, non autem è contra; præcipue, quia In est vnio ad subiectum, vel ordo ad illud, quem dicit ipsum esse, Ad: sed Ad rationis non potest vniri realiter ad subiectum, nec potest dicere relationem realem ad illud: sicut chimæra non est similis, nec dissimilis realiter equo, quia sicut ipsa est rationis, similiter accessorium illius, relatio nimirum, quia accessorium sequitur principale, vt est axioma Iurisperitorum, debet esse etiam rationis: ergo si In est reale, vnio, & ordo erit realis: ergo vtrumque extremum illius vnionis, & ordinis est reale; sed vtrumque extremum est subiectum, in quo est Ad, & ipsum Ad, quod vnitur tali subiecto: ergo subiectum, & Ad sunt entia realia, vt vnio sit realis, alias vnio erit rationis, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: ergo Ad vt Ad, quod vnitur per illud, In, est reale, & non rationis.

57 Deinde, quia in sententia Caietani nomen analogum non significat aliquam rationem abstractam ab analogatis: sed proxime denotat ipsa analogata, ex quo sequitur in omnibus modis intrinsecis prædicamentorum, etiam in ipso Ad, intrinsece includi rationem, In, quæ hoc nomine, Accidens, significatur: probatur sequela, quia ratio accidentis per vos est analoga, ad relationem, qualitatem, quantitatem, &c. nam relatio est modus, & qualitas res, & admodum, & rem nihil est vnivocum per vos. Præterea, quia relatio habet aliquid rationis, & quantitas est tota realis; sed ad ens rationis, & ad ens reale nihil datur vnivocum: ergo ratio In, seu ratio accidentis est analoga. Denique, quia maior convenientia datur inter materiam primam, formam equi, & quantitatem, quæ sunt adæquate realia, quam inter accidentia adæquate realia, & modum, qui partim habet aliquid realitatis, & partim aliquid rationis; sed inter materiam, formam, & quantitatem non datur vnivoca convenientia, sed analoga: ergo à fortiori inter relationem, & quantitatem non est vnivoca: sed analoga convenientia. Tunc sic nomen analogum non significat aliquam rationem præcisam, & separatam ab inferioribus; sed significat omnia inferiora esse talia, quale est nomen, id est omnia includere quod significat nomen analogum: sed nomen analogum denotat In, seu accidens reale, & accidens reale sunt inferiora, qualia est ipsum accidens reale; ergo inferiora seu plura significata per illud nomen analogum In, sunt realia, & non rationis; atqui illa plura significata per illud nomen analogum sunt quantitas, qualitas, & relatio: ergo quantitas, qualitas, & relatio adæquate, & totaliter sunt realia, & non rationis, ita vt nihil sit in illis, quod non sit reale: sed Ad, vt Ad est in relatione constituendo ipsam per modum differentiæ: ergo Ad, vt Ad est reale, & non rationis.

SVBSECTIO VLTIMA.

Vltimum argumentum ponitur.

58 TAndem P. Suarez destruit assertum illud Caietani (asserentis, Ad rationis esse commune vnivocum relationibus rationis, & realibus) hoc discursu, quia ens rationis non est aliquid simpliciter: sed potius est vere, & realiter nihil, & sic est aliquid fictum; ergo non potest habere veram similitudinem cum ente reali, in qua convenientia fundari solet vnivocatio, & vnitas conceptus: ergo nec potest aliquis verus conceptus, & essentialis esse communis enti reali, & rationis, & ideo merito Sonzinas asserit non magis posse ens esse vnivocum ad ens reale, & rationis, quam sit vnivocus homo ad hominem vivum, & mortuum, & vt alij dicunt, quam sit Deus vnivocus ad Deum verum, & ad fictum, seu idolum; habent autem hæc dicta eandem rationem veritatis in ente in communi, & in tali ente scilicet relatione, quia sicut ens rationis non est verum ens sed fictum, ita relatio rationis non est vera relatio sed ficta, vel quasi picta per intellectum.

59 Dices, hoc verum esse de integro, & completo conceptu relationis, de quo procedit ratio facta, non tamen ita procedit de præciso conceptu ipsiusmodi vltimo constitutivi relationis, qui per hanc vocem, Ad, significatur.

60 Verum tamen contra hanc evasionem eandem vim habet ratio facta; nam vel illud esse Ad provt est modus constituens relationem realem, est etiam realis, vel est tantum ens rationis, hoc secundum dici non potest, alioqui relatio realis non habebit propriù, & formale constitutivum; quæ est implicatio in adiecto, quomodo enim potest ens reale vt sic per id, quod reale non est, constitui, quia quod nihil reale est, nihil reale potest constituere; si autem illud Ad in relatione reali est modus realis, rursus interrogo, an in relatione rationis sit etiam verus, & realis modus, vel tantum per intellectum confictus; primum dici non potest, quia repugnat relationi rationis, de cuius essentia est, vt non dicat habitudinem in re existentem; sed in mentis comparatione, quia contradictionem implicat, quod ens fictum existens tantum obiective in intellectu per modum realem, & in re ipsa existentem constituatur; est ergo illud esse, Ad, in relatione rationis purum ens rationis: ergo sicut non potest dari conceptus communis vel vnivocus ad ens reale, & ens rationis, vel ad relationem realem, & rationis secundum completum conceptum relationis: ita nec esse Ad vt sic præcise conceptum potest dicere vnum communem conceptum vnivocum ad esse Ad relationis realis, & rationis, quia non magis potest esse inter hæc vera similitudo, & convenientia, quam inter quæ-

libet

libet alia entia realia, & rationis, nec magis potest in his, quam in cæteris intelligi, qualis sit ille conceptus abstrahens à formalitate reali, & rationis, aut qualis esse possit contractio, vel determinatio talis conceptus ad ens reale per modum realem, & ad ens rationis per modum rationis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

61 AD primum ex Aristotele desumptum respondeo, distinguendo duplicem mutationem; vnam propriam, & per se intentam à natura; aliam communem, & quasi per accidens; propria, & per se mutatio est quæ per se intenditur à natura data opera, proceditque à principio quasi intrinseco rei, per quam mutationem movetur corpus, vt bene notat P. Rubius ad recipiendam in se aliquam perfectionem absolutam, vt materia ad recipiendam formam substantialem vel accidentalem, vt quantitas, qualitas, &c. communis mutatio dicitur, quæ non procedit à principio per se ordinato ad talem mutationem, nec per se primo intenditur à natura; sed quasi per accidens sequitur, & per primum genus mutationis non potest acquiri, aut fieri relatio, quia natura non intendit per se productionem relationis, cum non sit perfectio absoluta rei; sed sequitur quasi per accidens in vtroque extremo ad acquisitionem alicuius formæ absolutæ, atque per se intentæ in eis, vel saltem in aliquo eorum vt in exemplo adducto de Albo Romæ facto de novo, ex cuius mutatione intrinseca mutantur omnia alba, quæ sunt in mundo, & acquirunt novas relationes: bene ergo docet Aristoteles ad relationem non terminari per se mutationem, aut motum proprijssimum, & per se; sed acquiri sine illo, non tamen docuit Aristoteles, quod sine mutatione reali, saltem per accidens intenta, & communi acquiratur relatio, cum verum sit, ac necessarium, vt subiectum quomodocunque acquirat de novo respectum realem, aliter se habeat nunc, quam prius à parte rei, quæ est definitio mutationis realis; satis est autem per mutationem communem realem acquiri, vt sit verum ens reale. Vnde absolute, ac simpliciter negatur, relationem sine aliqua mutatione reali acquiri, quia resultantia relationis de novo mutatio intrinseca realis est in subiecto, in quo resultat relatio, licet verum sit, quod talis mutatio non sit per se intenta à natura, quod non tollit, vt id quod resultat per illam mutationem communem sit aliquid reale à parte rei & non fictum per intellectum.

62 Ad secundú respondeo dicendo, tale argumentum non probare, relationem non esse aliquid reale; sed potius probare relationem non distingui ab absolutis, ex quo non sequitur, nihil reale esse; sed potius ex vi illius argumenti probatur esse à parte rei aliquid, nam sicut ipsa absoluta sunt aliquid, ita relatio, quæ non distinguitur ab absolutis · sed est idem cum illis aliquid est reale, id est res absoluta à parte rei, seu eadem entitas cum absolutis, sicut, v. g. ex eo quod rationale non distinguatur realiter ab animali non debet colligi: ergo rationale nihil est à parte rei, & etiam quia omnipotentia, & cætera attributa non distinguantur à Deo, vllo modo à parte rei, non ideo debet colligi, talia attributa nihil esse; sed potius recte colligitur, esse aliquid reale divinum infinitum, & increatum: ergo similiter ex eo, quod relatio non distinguatur ab absolutis, non debet colligi, non dari relationem à parte rei; sed potius dicendum est, dari relationem à parte rei non distinctam ab absolutis; nam P. Franciscus Suarez, sine dubio sentit, relationes prædicamentales non distingui ab absolutis fundamentis, & nihilominus nunquam negavit relationem realem prædicamentalem; sed potius concessit, tam vere dari illam, sicut absolutum, quia est idem cum absoluto; neque vllus Philosophus (etiam adversarij) negavit, dari relationes reales, & veras transcendentales, & nihilominus omnes dicimus, non distingui à rebus absolutis, quia sunt adæquate de essentia illarum; neque passio definit constituere speciale genus entis metaphysicum, scilicet prædicamentum passionis distinctum à prædicamento actionis, ex eo quod sit idem cum actione, & non distinguatur vllo modo à parte rei ab illa formaliter. Tandem secundum fidem catholicam est certissimum, dari veras, proprias, & reales relationes in divinis, & nihilominus tales relationes non distinguuntur realiter; sed potius realiter identificantur cum divinitate absoluta: ergo similiter licet relationes prædicamentales nihil sint præter absoluta, (de quo supra late egimus, vbi probavimus data opera distingui relationem à parte rei ab absolutis) quia identificantur cum illis, nihilominus erunt veræ, & reales.

Neque refert, quod relatio, vt relatio præs- 63
cindatur ab absolutis, quia non præscinditur, vt aliquid per rationem confictum; sed vt à parte rei existens vere, & realiter.

Ad tertium concedo maiorem, nego minorem; 64
ad probationem illius, concedo item maiorem, & nego minorem, ad probationem illius concedo antecedens, & nego consequentiam quoad primam partem, quoad secundam concedo, id est in quantum docet, respicere terminum, & tandem nego vltimam partem illius: nam licet relatio habeat totum suum esse in ordine ad terminum, nihilominus est modus fundamenti existens in illo, & ideo ipsi adversarij asserunt in illo antecedenti conceptum relationis esse rationem referendi fundamentum ad terminum; sed non potest relatio referre fundamentum ad terminum, nisi inhærendo in fundamento: ergo inhæret in illo tanquam accidens, aut modus accidentalis illius; sed accidens respicit fundamentum, vt subiectum: ergo relatio respicit illud, & ordinatur ad ipsum, qui ordo est communis respectu accidentium absolutorum, & relativorum, præter hunc autem ordinem relationes habent ordinem ad terminum, seu sunt ipsi ordines ad ipsum, per quam rationem distinguuntur ab accidentibus absolutis.

Ad confirmationem concessa maiori, distinguo 65
minorem, quia duobus modis comparantur aliqua, primo ex natura rei, quia rationes naturales eorum non sunt tales absolute; sed ad alterum, vt sunt similia, aut æqualia; pater, & filius, & talis comparatio non est opus intellectus, seu rationis; sed sine dependentia à ratione reperitur in natura aliquarum rerum, alia est comparatio, quam non habent res ex propria natura,

quia non sunt distinctæ, aut cum sint, solum absolutè concipiuntur in ordine ad aliud, & talis comparatio est opus rationis; primam igitur comparationem includunt in suo conceptu relationes reales, aliam vero relationes rationis, & ideo prima comparatio tanquam realis pertinet ad hoc prædicamentum: secunda vero tanquam non realis excluditur ab eo.

66 Ad argumenta secundæ sententiæ patet ex dictis *subsect. vltima* in probatione nostræ conclusionis contra Caietanum, vnde respondeo, Ad relationis realis, & Ad relationis rationis non convenire inter se vere, sed fictitie, & per rationem; ac proinde nihil vere commune dari vtrique; ratione cuius nihil potest abstrahi ab vtroque Ad. Vnde falsum est dicere, quod in probatione antecedentis docent adversarij, videlicet ita esse ad aliud relationem generis, sicut relationem paternitatis, nam relatio generis non est vere, & proprie ad aliud; sed fictitie, relatio autem patris est vere, & proprie ad terminum genitum, & sic nulla datur similitudo vera in hoc modo referendi.

67 Ad secundum concedo maiorem quoad primam partem; nam Ad vt Ad, ponit aliquid in fundamento, quod refert, quia non posset referre illud, si non esset intrinsece in illo; vnde ad probationem concedo Antecedens, & consequens, & nego minorem illam vltimam vt patet ex dictis, & magis liquebit ex dicendis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum relatio secundum formalem rationem relationis dicat perfectionem?

SECTIO I.

Sententia aduersaria proponitur.

1 PRIMA sententia asserit, relationem realem nullam dicere perfectionem in suo conceptu formali, ita multi ex Thomistis. Probatur primo, quia si relatio quatenus relatio est, diceret perfectionem, sequeretur, quod in diuinis vna persona diceret perfectionem distinctam à parte rei ab ea, quam alia dicit; sed hoc est absurdum: ergo relatio, vt relatio nullam dicit perfectionem: maior sic probatur, quia vna persona constituitur relatione reali, per quam non constituitur alia; sed per vos relatio est perfectio: ergo vna persona habet perfectionem quam non habet alia: minor illa sic probatur, quia vnaquæque persona est infinite perfecta: ergo habet omnem perfectionem in se; hoc enim sonat esse infinite perfectam; sed si vna persona non haberet perfectionem, quam dicit alia, talis persona non diceret omnem perfectionem, cum non haberet illam, de qua agimus: ergo non esset infinite perfecta quod est falsissimum.

2 Confirmatur, quia ex opposita sententia sequeretur, vnam personam diuinam v. g. Patrem non esse perfectam, quia teste Aristotele 3. *physic. cap.* 3. & 5. *met. cap.* 16. perfectum est, extra quod nihil est, hoc est, cui nihil deest; quare si Patri æterno desit aliqua diuina perfectio, non erit perfectus; sed filiatio est diuina perfectio distincta à paternitate: ergo cum Patri desit filiatio, deerit ei aliqua diuina perfectio, & erit Deus imperfectus.

Vltimo, quia perfectio rei est integritas absoluta, & realis; sed relatio, vt relatio neque est absoluta, nec realis: ergo non dicit perfectionem.

SECTIO II.

Nostra conclusio ponitur, & probatur.

CONCLVSIO; relatio realis prædicamentalis 4 dicit bonitatem, & perfectionem, & probatur.

Primo ex Scriptura Sacra, nam *Genes.* 1. dicitur; vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; sed Deus fecit relationes reales prædicamentales existentes in Angelis, quibus respiciunt Deum, & per quas ad inuicem ordinantur: Deus enim immediate per se ipsum producit, vel per se solum, vel simul cum creaturis omnem creaturam, quia omnis creatura est ens secundum, & participatum, ac proinde dependens à Deo; atqui relationes reales prædicamentales secundum vltimum sui sunt creaturæ: ergo producuntur, & fiunt omnes à Deo: ergo omnes relationes sunt valde bonæ, hoc est in sua ratione sunt perfectæ, alias quomodo verificaretur locus supradictus Genesis, vidit Deus omnia, quæ fecit, &c.

Hoc ipsum colligitur ex Doctoribus Ecclesiæ, 6 nam D. August. *lib.* 83. *quæstionum, quæst.* 24. omne, quod est, inquit, in quantum est bonum est, & *lib.* 1. *de doctrin. christ. cap.* 32. cum dixisset, Deum esse, qui summe est, ait; at cætera, quæ sunt nisi ab illo esse non possunt, & in tantum bona sunt, in quantum esse ab eo acceperunt, vt sint, & *lib.* 3. *de libero arbitrio, cap.* 15. dixit: quidquid est, sicut esse debet, bonum est, & Boëtius *lib.* 2. *de hebdomadis, cap.* 2. quicquid est inquit, in eo, quod est, bonum est; elegantius Nazianzenus: quomodo, inquit, non bonum, quod à fonte bonitatis profluit, Deus enim plenitudo bonitatis, omnia bona, etiam minutissima perpetravit.

Quæ omnia prius asseruerat Aristoteles *lib.* 1. 7 *Ethic. capit.* 6. dicens, bonum æque dividi, ac ens, & per omnia prædicamenta vagari, & expressius dicit; bonum, & in substantia dicitur, & in quanto, & in quali, & in eo, quod est ad aliquid, vbi D. Thomas, bonum converti cum ente ait, quod in decem prædicamenta dividitur.

Ex quibus omnibus sic argumentor: secun- 8 dum mentem, & verba Doctorum constat, omne ens esse bonum; sed relatio realis creata est verum ens reale: ergo est bonum quod est perfectum. Deinde Aristoteles ait, bonum esse in eo, quod est ad aliquid; sed id, quod est ad aliquid, est relatio: ergo in relatione est bonitas, seu perfectio.

SVBSECTIO

SVBSECTIO I.

Rationibus probatur nostra sententia.

9 PRimo, quia omnis entitas creata, cui nihil deficit, ex sua integritate, & complemento, & est opus perfectissimi artificis est perfecta, & bona; sed relatio secundum quod relatio est, & quatenus existit à parte rei est entitas, cui nihil deficit ex proprio complemento, & integritate, & est opus Dei perfectissimi Artificis: ergo est bona, & perfecta entitas; maior est certa, quia nihil est bonum, & perfectum, nisi quod ex integra parte est tale; ideo homo dicitur perfectus in ratione hominis, & qualitas dicitur bona, & perfecta, quia nihil deficit ex ijs, quæ pertinent ad complementum, & integritatem illorum: ergo illa entitas dicitur perfecta, cui nihil deficit ad proprium complementum, & integritatem; vnde vt ait D. Dyonis. bonum est ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu, id est bonum, & perfectum est, quod ex omni parte integrum est, & nihil deficit ad talem integritatem, & complementum. Secunda pars illius maioris est clara, quia opus perfectissimi artificis debet secundum exigentiam proprium proprium conceptum, & capacitatem assimilari artifici: ergo si perfectus est artifex, perfectum debet esse opus quantum rei natura exigit, præcipue si sapientissime, & data opera fiat ab illo. Minor prima, & præcipua patet quoad secundam partem; quia omne ens creatum est opus Dei perfectissimi artificis; sed relatio est ens creatum participatum, & productum à Deo: ergo est opus Dei perfectissimi artificis. Prima pars illius minoris sic probatur, quia cui nullum prædicatum essentiale & existentiale deficit, nihil deficit, quod pertinet ad complementum, & integritatem illius, sed relationi nullum prædicatum essentiale deficit, quia omnia identificantur inter se, vnde aut omnia debent deficere aut nullum, & idem est de existentia, quia existentia relationis est indivisibilis, & simplex quia est existentia relationis quæ simplex, & indivisibilis entitas est; sed id, quod indivisibile est, aut totum datur, aut nihil: ergo in relatione existente nihil existentiæ deficit, quia tota, & adæquata essentia relationis actuata per existentiam existit à parte rei, alias aliquid essentiæ relationis esset in statu pure possibilitatis, & aliquid in statu actualitatis, & existentiæ; quod est impossibile, in existentia simplici, vt dixi, & carente partibus. Item non deficit aliquid inhærentiæ, seu vnionis ad subiectum, siquidem tota entitas relationis vnita manet proprio fundamento, neque aliquid relationis manet invnitum quod est impossibile, tum quia relatio est modus, & modus nec diuinitus potest esse separatus à subiecto; tum etiam quia licet esset res naturaliter quando est accidens, non potest esse separata à subiecto, vt videre est in accidentibus Eucharistiæ, quæ solum supernaturaliter, & per miraculum divisa manent à subiecto.

10 Ergo nihil deficit relationi ex ijs, quæ pertinent ad adæquatam integritatem relationis, & complementum illius, quia in relatione triplex tantum est formalitas complens, & constituens relationem, prima essentialis, secunda existentialis, tertia, quæ ad hanc sequitur, quæ est inhærentia (præter has autem nihil reperitur, quod integret relationem, & constituat illam in statu completo, suæque naturæ proportionato) sed ex his nulla deficit in relatione: ergo nihil deficit, quod pertineat ad complementum, integritatem, & perfectionem relationis.

Vrgetur, ac declaratur amplius: Nam inter 11
Theologos quæritur, & interrogatur, vtrum Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ creationis? & Thomistæ adhuc de potentia Dei absoluta negant, potuisse peccare, & reliqui dicunt naturaliter, & de facto non peccasse, & reddunt rationem, quia cum Angeli tanquam opus à perfectissimis manibus Dei proficiscantur in primo instanti, maxime conveniens fuit, vt nullo defectu etiam à propria Angelorum libertate originem ducente laborarent, quo magis patefieret, & splenderet perfectio, & excellentia tanti artificis. Item ipsi interrogant, an materiale peccati sit bonum? & omnes vno ore fatentur, excepto vno, vel altero peccatum solum pro formali esse malum, pro materiali autem bonum; cuius rationem volentes tribuere, nullam reddunt, nisi Deum concurrere ad materiale peccati, formalitatem autem soli creaturæ imputari, quia malum, vt malum eo modo, quo peccatum est non oritur à Deo: atqui relatio est opus Dei, quia ipsam immediate producit sapientia, & omnipotentia Dei: ergo relatio est bona, ac proinde dicet secundum suam rationem formalem perfectionem, & bonitatem.

Ideoque merito ait Pater Suarez, quo modo 12
intelligi potest ens reale sine aliqua reali perfectione; nam qua ratione aliquis finxerit, posse hoc intelligi in entitate relativa, poterit aliquis idem fingere in qualibet entitate accidentali, vel etiam in quolibet modo reali quod nimirum nullam dicat perfectionem, etiam si reale aliquid sit, quod tamen in vniversum concedere de omnibus accidentibus, aut modis realibus omnino falsum est, nec potest sufficiens ratio differentiæ assignari inter relationem, & alios modos, si supponamus relationem esse veram rem, seu realem modum; nam licet relatio dicat ordinem ad terminum, tamen secundum totum id, quod est, afficit subiectum, & inest illi, vnde nihil iuvat illa distinctio de relatione secundum esse In, vel secundum esse Ad, nam si esse Ad sit verum, ac reale, necesse est, quod afficiat subiectum, quod refert ad terminum; vnde sicut relatio etiam secundum esse Ad ponit in subiecto aliquid reale, ita etiam ponit aliquid bonitatis vel perfectionis, neque est verum relationem secundum esse Ad, præscindere ab esse In, sicut non præscindit ab esse entis, & accidentis; quia illud esse, In, est transcendens ad omnia accidentia, & modos eorum, neque etiam est verum esse Ad abstrahere à reali, & rationis, nisi voce tantum; nam relatio rationis absolute, & vere non est relatio: ergo si relatio est verum ens reale suo modo integrum, & perfectum, & vere productum à perfectissimo artifice Deo sapientissime, & perfectissime operante, erit sine dubio bona, & perfecta.

Confirmatur ex creatis; nam quotiescunque vi- 13
demus artificem creatum excellentem, apprimeque callentem artis magisterium, aliquid operari sine dubio experimur, quodcunque opus maxima perfectione operari, vt in omnibus etiam minutissimis operibus clarissime pateat, omnes alios superare artis perfectione, ne minus perfecto opere, aut

defectuoso honor,& gloria tanti artificis,aliquomodo minuatur,extenuetur,& defloreſcat in diſcrimineque,& periculo verſetur;ex quo inter omnes Hiſpanos vagatur tritum illud axioma vulgare; *el hombre de opinion y fama ha de temblar de hazer obra por minima que ſea, conque deſaeſcade el buen nombre y ſe desdore en la opinion, que ha adquirido*;quod vt maxime rationi conſonum inter prudentes viros maxime commendatur, ratione cuius renuunt brevi tempore quidquam operari,vnde quando ipſis aliquod opus commendatur, multum temporis intervallum exigunt ne opus aliquomodo imperfectum evadat, quo ſuo honori,& famæ conſulunt;atqui Deus eſt ſummus & perfectiſſimus artifex, omniaque propter ſuam gloriam operatur: ergo in omnibus etiam minutiſſimis operibus effectibuſque ſuæ perfectionis excellentiam debet oſtendere; ſed relatio creata quatenus creatura eſt opus Dei:ergo in ſua ratione formali debet continere perfectionem ſibi,tantoque ipſius artifici debitam.

SVBSECTIO II.

Aliæ rationes ponuntur.

14 OMnis entitas creata convenit cum Deo in ratione entis realis, & relatio convenit in ratione entis realis reſpectivi, & talis convenientia,vt late in metaphyſica probatum manet, eſt vnivoca;atqui in nullo poteſt Deus vnivoce convenire cum aliquo,quin ſit bonum, & perfectum illud,in quo convenit,quia talis convenientia eſt ſecundum prædicata, quæ formaliter reperiuntur in Deo;ſed quidquid formaliter reperitur in Deo, dicit perfectionem,quia Deus vndequaque,& adæquate eſt perfectus;atqui Deus convenit vnivoce cum relationibus creatis in ratione entis realis reſpectivi:ergo ratio entis realis reſpectiva eſt ratio ſecundum ſe perfecta; ſed in relatione quatenus relatio eſt,datur formaliter ratio entis realis reſpectivi: ergo in relatione datur perfectio formaliter. Virgetur, ideo dicimus in homine dari perfectionem ſibi debitam,quia in homine datur formalitas entis realis ſubſtantialis, cuius ſimilis vnivoce formaliter datur in Deo;nam ſi quidquid eſt in Deo formaliter eſt perfectio, ex eo quod Deus adæquate,& totaliter ſit perfectus, evidenter ſequitur, quidquid reperitur realiter in homine vnivoce ſimpliciter,& abſolute,ſimile,& conveniens cum eo prædicato,quod formaliter reperitur in Deo, eſſe perfectionem; ſed in relatione datur ratio entis realis reſpectivi formaliter, quæ vnivoce, ſimpliciter, & abſolute convenit cum prædicatis formaliter repertis in Deo: ergo talis ratio eſt perfecta in relatione;ratione cuius dixit D.Thomas 1.*p.q.5.art.1.* omne ens in quantum eſt actu eſſe perfectum,quia actualitas dicit perfectionem reſpectu potentialitatis, vnde comparata relatio realis intrinſeca cum denominatione extrinſeca, maxima perfectio eſt;quare ſi comparemus maternitatem formalem B.Virginis cum eſſe dextro,vel cum eſſe viſo in pariete,perfectior, & excellentior eſt talis maternitas, quod etiam cæci fatebuntur ſine dubio, imo perfectior eſt maternitas formalis B.Virginis,quam albedo, nigredo, & aliæ entitates huiuſmodi,imo quam multæ qualitates ſpirituales, vt v.g.vbi quod habet anima ſeparata in hoc,vel illo loco;quis enim poterit in dubium revocare, an eſſe matrem formaliter Dei in Virgine,ſit perfectio maxima.

Atqui maternitas formalis eſt relatio formali- 15
ter ſecundum vltimum relationis: ergo relatio creata ſecundum vltimum illius dicit perfectionem.

Dices,talem maternitatem ſecundum quod maternitas eſt,non dicere perfectionem in ſe, ſed in generatione,ex vi cuius reſultat.

Sed contra, quia quando aliquis eſt effectus 16
naturaliter, & neceſſario reſultans, aut dimanans ab aliqua cauſa perfecta ſecundum omnem rationem ſibi debitam participat perfectionem à cauſa;ſed relatio maternitatis Virginis reſultat, aut dimanat,vt ita dicam, naturaliter, & neceſſario omnino ex vi generationis Virginis in Chriſtum ſecundum omnem integritatem, & complementum tam eſſentiale,quam exiſtentiale debitum relationi: ergo participat à generatione perfectionem ſibi debitam;ſicut quia lux eſt cauſa neceſſaria alterius lucis, & eſt in ſe perfecta altera lux, quæ dimanat ab ipſa naturaliter,& neceſſario participat perfectionem ſibi debitam ab illa;ſed generatio B. Virginis reſpectu Chriſti eſt generatio perfecta,& eſt cauſa neceſſaria, & naturalis dimanationis, & reſultantiæ relationis maternitatis: ergo influit perfectionem in talem relationem,ac proinde talis relatio eſt perfecta in ſuo genere relativo.

Ideo generatio eſt perfecta, quia in ſe habet 17
omnem ſibi debitam integritatem, quare licet ſit relatio eſſentialiter, quia tamen nihil ei deficit in ratione relationis tranſcendentalis, & generationis ſuo ordine eſt perfecta, licet non ſit tam perfecta,ſicut terminus, ad quem generandum ordinatur,quia perfectio non conſiſtit in indivisibilis ſed relatio prædicamentalis maternitatis ita eſt integra,& completa in ratione relationis, vt nihil ex integritate,& complemento ſibi debito deficiat:ergo talis relatio eſt perfecta, licet non ſit æque perfecta,ac generatio cuius effectus,vel quaſi effectus eſt.

Præterea,quia in generatione datur duplex con- 18
ceptus,alius relationis, alius relationis tranſcendentalis; ſed generatio Virginis reſpectu Chriſti non habet ſuam maiorem perfectionem propter rationem illam tranſcendentalem,quia etiam generatio equi eſt relatio tranſcendentalis,& nihilominus non habet tantam perfectionem, ac generatio Chriſti:ergo ſumma perfectio, quæ datur in generatione Chriſti non eſt,quia eſt tranſcendentalis, ſed quia eſſentialiter reſpicit Chriſtum, qui Deus eſt ſimul tanquam terminum ſuæ tendentiæ, ſed etiam maternitas formalis reſpicit eſſentialiter Chriſtum Deum,non tranſcendentaliter ſed prædicamentaliter:ergo à tali tendentia in Deum habebit aliquam perfectionem ſibi proportionatam,licet non ſit æqualis in perfectione generationis.

Declaro amplius hoc;quia ipſo lumine naturali videtur oſtendi manifeſte ab ſpecificativo refundi perfectionem in ſpecificatum;vnde quo perfectius fuerit ſpecificativum,perfectius erit ſpecificatum,& ideo ſcientia,quæ tendit in Deum formaliter eſt perfectior ſcientia, quæ tendit in creaturam formaliter, & vnio hypoſtatica humanitatis Chriſti perfectior eſt vnione humanitatis Chriſti ad ſuam perſonalitatem,quia vnio hypoſtatica terminatur ad Deum, & hæc terminatur ad creaturam: ſed relatio maternitatis in Virgine terminatur

terminatur essentialiter, (etiam si vt prædicamentalis relatio terminetur) ad perfectissimum terminum formalem, scilicet Christum Deum: ergo à tali specificativo refunditur in talem maternitatem formalem maior perfectio, quam datur in maternitate Ioannis: ergo talis maternitas ex vi suæ tendentiæ essentialis, & formalis, & non solum ex parte generationis habet formaliter perfectionem; patet hæc consequentia; quia quidquid convenit superioti, convenit inferiori; sed specificato vt sic convenit habere formaliter perfectionem ab specificativo formali; sed relatio prædicamentalis maternitatis in Christum Deum est specificatum essentialiter à perfecto specificativo, ac proinde est inferior respectu specificati vt sic à perfecto specificativo: ergo sicut specificativum vt sic à perfecto specificativo accipit formaliter perfectionem, ita similiter maternitas formalis, quia est tale specificatum à perfecto specificativo habebit perfectionem formalem ac certam à tali specificativo.

19 Declaratur amplius: quia quando respondent adversarij maternitatem formalem Virginis esse perfectiorem denominatione extrinseca visi in pariete, & denominatione dextri in lapide non ratione sui, sed ratione generationis, vel negant omnino, aut extrinsece aut intrinsece habere talem relationem maternitatis aliquam perfectionem, saltem derivatam à generatione, vel licet concedant illam in generatione maternitatis, dicunt nullo modo habere à se, sed à generatione; si hoc secundum dicant, non est contra nos, quia nos non asserimus, relationem in sua perfectione esse omnino independentem ab alio, sed solum volumus vere, & proprie habere in se formaliter perfectionem, etiam cum dependentia à causa; sicut absolutum creatum habet perfectionem per vos, etiam si eam habeat acceptam à causa, quare talis solutio pro nobis erit, & à nobis stabit.

20 Si autem primum dicant, falsum videtur; tum ex communi modo loquendi sanctorum Patrum, & omnium Theologorum innitentium authoritati Scripturæ sacræ, ipsi enim maximis encomijs, & laudibus extollunt maternitatem Virginis, quam toto tempore vitæ Virginis, Christi, &c. videbant in B. Virgine, itavt docerent esse maximam perfectionem B. Virginis tali maternitate condecorari; quare vt hæc summa perfectio intacta, sarta, tecta, illibataque conservaretur, collecto, & convocato Concilio generali definivit Ecclesia sub nomine maternitatis expresso, B. Virginem esse vere, & proprie matrem Dei: ergo talis articulus de fide debet intelligi, vt sonat, & non aliter, ac in rigore, & proprietate sonat, præcipue quia est in favorem Virginis, & favores debeant ampliari, odia autem restringi, vt est communis Iurisperitorum axioma; sed maternitas formalis proprie, & tigorose sumpta est relatio formalis; sicut paternitas in divinis est formaliter relatio: ergo maternitas quatenus relatio formaliter est perfectio in Virgine quam defendit, & laudat tota Ecclesia sancta; imo quando ipsum Concilium sub nomine maternitatis intelligeret generationem Virginis in Christum, nullus deberet excipere ab hac definitione, & à laudibus sanctorum Patrum, & Theologorum ipsam relationem formalem maternitatis, quandoquidem in rigore, & proprietate, quod sonat maternitas est potius relatio concipientis Christum, &c. quam generatio: nam eo modo se habet hoc nomen, mater, in sua significatione, ac nomen pater in sua; sed nomen, pater, vt de se patet ex supradictis significat potius relationem, quam generationem formalissime: ergo etiam nomen mater, sub quo definitus est articulus, potius significat relationem maternitatis, quam generationem, & conceptionem præcedentem ad illam.

Sed etiam si non primario hoc nomen, mater 21
significaret relationem maternitatis, nihilominus nullus potest dubitare, quod tale nomen comprehendat, & extendatur per suam significationem ad talem respectum, seu relationem maternitatis: ergo si encomia illa, & definitio Conciliorum, per quæ significatur maxima perfectio Virginis sunt in favorem illius, & privilegia amplissima Virginis; necessario dicendum est, extendi ad quameunque rationem, & formalitatem comprehensam sub hoc nomine Matris, quia hoc non derogat perfectioni Virginis, nec minuit illam, sed potius auget, quia per illa significatur, non solum conceptionem, partum, & generationem Virginis respectu Christi esse perfectionem formaliter in ea, sed etiam respectum & relationem prædicamentalem, quæ maternitas formalis dicitur esse perfectionem, ac proinde esse maximam perfectionem omnem formalitatem, quam habet Virgo in ordine ad Christum, vt filium seu genitum, in quo plus perfectionis conceditur Virgini, quam si ipsi concederetur perfectio sola generationis, siquidem conceditur illa, & alia distincta ab ipsa.

Item, quia generatio solo vno instanti fuit in 22
Virgine, quia est actio instantanea, & conceptio, seu portatio in vtero, & partus, licet multum temporis duraverint, nihilominus non duraverunt per totam vitam Virginis, & per vitam Christi, & tamen Ecclesia tota, & Sancti laudant, & dicunt, esse perfectionem maternitatem, quæ post conceptionem, & partum perseverabat in Virgine, ratione cuius toto ore proprie, & rigorose dicebatur mater Christi; sed talis maternitas, qua respiciebat Christum, vt filium erat relatio formalis prædicamentalis, quæ adhuc transacta generatione permanet in matre concipiente: ergo talis relatio formalis prædicamentalis maternitatis ratione sui habet maximam perfectionem, & ideo asserunt Doctores, perfectiorem esse relationem maternitatis in Virgine, quam relationem paternitatis Petri respectu Ioannis; sed omne comparativum supponit positivum: ergo maternitas, quæ comparata cum paternitate est in comparativo perfectionis, supponit in se positivum perfectionis ante illam comparationem, ac proinde erit positive perfecta.

SVBSECTIO III.

Tertium argumentum principale ponitur.

QVia omnis relatio est actus fundamenti, exi- 23
stitque in ipso fundamento ipsum formaliter constituendo in esse relati: sed actus quatenus actus est perfectio actuabilis per illum: ergo omnis relatio quatenus relatio est formaliter perfectio. Maior est certa, quia nihil aliud est actus, nisi formalitas, quæ per modum formæ advenit alicui, vt ipsum actu constituat in aliquo esse formali: ideo enim anima rationalis est actus materiæ, quia est forma actuans materiam, & actu consti-

tuens illam in esse animatæ;sed relatio est forma subiecti actuans illud,& constituens ipsum actualiter in esse relativi,& respectivi : ergo relatio est actus subiecti,seu fundamenti : minor illa est manifesta, quia omne determinans potentialitatem passivam alicuius,& actuans illam, perficit talem potentialitatem;sed id,quod perficit aliud,est perfectio illius:ergo omnis actus est perfectio actuabilis per illum.Maior hæc probatur, quia omnis potentialitas passiva est perfectibilis , vnde,tanto magis perfectibilis est , quanto magis est potentialitas passiva,quia dicit imperfectionem , & capacitatem vt perficiatur;atqui non est perfectibilis,nisi in ordine ad proprium actum:ergo omnis potentialitas passiva perficitur ab actu , & actus proportionatus tali potentialitati perficit illam: exemplis manifestatur:Ideo enim intellectio perficit intellectum, & volitio voluntatem , suppositalitas naturam,forma materiam, & accidens absolutum subiectum proptium,quia intellectio est actus intellectus , amor actus voluntatis, accidens absolutum actus subiecti , & tandem forma substantialis actus substantialis materiæ primæ:ergo omnis actus , quia actus est,perficit potentialitatem passivam,cuius actus est.

24 Minor illa est evidens , quia nihil potest dare, quod non habet:sed perficere est dare perfectionem:ergo nihil potest perficere nisi in se habeat perfectionem;vnde quidquid perficit,est perfectio in se,præcipue si perficiat in genere causæ formalis dando propriam entitatem ; nam perficere est dare perfectionem ; sed perficere in genere causæ formalis est dare suam propriam entitatem,& exhibere illam:ergo propria entitas,quæ datur,media qua formaliter perficitur subiectum est formaliter perfectio : nam eo modo denominatur forma in abstracto,quo denominatur in concreto effectus formalis illius;sed id,quod perficitur per actum in genere causæ formalis est perfectum: ergo actus, qui per modum formæ constituit tale concretum in esse perfecti erit perfectio formaliter.

25 Dices,relationem non esse intrinsecam formalitatem, sed potius extrinsecam denominationem, ac proinde non posse esse perfectionem simpliciter respectu fundamenti , & subiecti ; ideo enim actio,qua producitur ex nihilo Angelus , non est perfectio Dei , quia est denominatio extrinseca respectu illius;sed relatio,vt relatio est denominatio extrinseca:ergo relatio, vt relatio non est perfectio fundamenti.

26 Sed contra primo,quia denominatio extrinseca tota est ab extrinseco , id est incipit à forma extrinseca denominante,& terminatur in subiectum denominatum;sed relatio non est tota ab extrinseco,sed potius ab intrinseco ad extrinsecum, vnde oppositio modo incipit,& terminatur,ad denominatio extrinseca:ergo relatio non est denominatio extrinseca, sed potius est formalitas intrinseca intrinsece afficiens subiectum, & constituens in ratione entis respectivi : maior est evidens , vt inductione patet , nam esse dextrum totum est à dexteritate extrinseca subiecto , & esse visum totum est à visione extrinseca,&c. à qua vt à forma extrinseca incipit , & quasi desinit in subiectum extrinsece denominando ipsum , & ratio evidens est,quia si non esset tota ab extrinseco , male vocaretur denominatio extrinseca , sed potius si sumeretur totaliter ab intrinseco,vt album tota vocaretur intrinseca denominatio ; si partim ab extrinseco , & partim ab intrinseco deberet denominari partim intrinseca , & partim extrinseca id est mixta ex vtraque ratione ; vnde absolute , ac simpliciter solum extrinseca debet dici,quæ tota sumitur ab extrinseco.

Minor illa clara est,quia pater v. g. non dicitur 27
talis quia solum habet terminum à se genitum,sed potius quia respicit talem genitum per respectum quem habet in se;vnde talis denominatio incipit ab intrinseco, & desinit in extrinsecum genitum, alias non respiceret per paternitatem pater suum filium , vt videre est manifeste exemplis clarissimis;nam paries quatenus visus formaliter ex vi talis esse visi nullo modo respicit visionem , neque dexterum ex vi extrinseci esse dexteri nullo modo respicit dexteritatem , nec amatum quatenus amatum respicit amorem , sed potius amor respicit amatum , & visio visum quod extrinsece constituitur per visionem,& visio respicit visum, & amor amatum , quia sunt in se denominationes intrinsecæ respiciendi , quæ quatenus tales non debent incipere ab extrinseco , sed potius incipiendo ab intrinseco debent desinere in extrinsecum , sed denominatio patris est denominatio respicientis extrinsecum terminum : ergo incipit ab ipso patre intrinsece , & desinit in ipsum genitum extrinsecè.

Secunda pars illius minoris est clara , quia si 28
denominatio extrinseca provenit , & incipit ab extrinseco,& desinit in subiectum denominatum, & denominatio relativa è contra incipit ab intrinseco relativo , & desinit in extrinsecum genitum ,qui sunt modi oppositi incipiendi , & desinendi : ergo oppositio modo se habet denominatio relationis ac se habet denominatio extrinseca.

Quod autem pater non dicatur pater ex eo so- 29
lum , quia habet filium , sed potius quia respicit illum ab intrinseco est manifestum ex divinis relationibus,nam pater æternus non dicitur vere,& proprie pater præcisè , & solum quia habet filium,sed potius quia habet in se paternitatem intrinsecam per quam respicit filium , & refertur ad illum,vnde talis denominatio patris incipit ab intrinseco in patre , & desinit in filium , & non è contra incipit à filio,& desinit in Patrem;& hoc totum quia est vere pater , & vere respicit filium: sed B.Virgo est vere mater,& vnus homo est vere pater respectu alterius à se geniti : ergo B. Virgo non dicitur mater , quia præcisè habet filium genitum , sed potius quia intrinsece respicit filium per relationem existentem intrinsece in ipsa;sicut pater dicitur talis, quia ab intrinseco respicit filium.

Aliàs si hæc denominatio non esset ab intrin- 30
seco,non denominaret vllo modo patrem quod sic demonstro:quia deberet incipere ab extrinseco,& iterum finiretur in extrinsecum;vnde nec in principio,nec in fine,ac proinde nunquam haberet aliquam rationem,propter quam pater denominaretur talis , nam inciperet ab ipso genito,vt vos dicitis , ratione cuius in vestra sententia est denominatio extrinseca respectu patris;atqui non desineret in patre,nec terminaretur ad ipsum , sed potius in ipsum genitum:ergo non est quare denominandus esset per talem denominationem pater in esse patris ; quia omnis denominatio,aut est quia incipit ab ipso , & in seipso est sine tendentia ad aliud , & hæc est denominatio absoluta intrinseca;alia est , quia incipit ab extrinseco,& desinit

desinit in subiectum denominatum, & hæc vocatur omnino extrinseca denominatio, alia autem est, quæ incipit à denominato, & desinit in aliud extrinsecum, & hæc vocatur denominatio intrinseca respectiva, vt est denominatio intelligentis obiectum, itaque omnis denominatio, sive intrinseca, sive extrinseca est, quia vel incipit à denominato vel desinit in denominatum: sed denominatio Patris, si est à genito, & incipit ab illo, nec incipit à generante, nec desinit in ipsum: ergo nullo modo denominat patrem: ergo vt denominet illum non debet incipere à genito: sed potius debet incipere à generante, & desinere in genitum, & sic erit denominatio intrinseca, & non extrinseca.

31 Quod autem non desinat in patrem denominatio patris, seu relatio paternitatis patet evidenter, quia in illud desinit relatio, ad quod terminatur, & ad quod tanquam in vltimum finem tendit, & à quo specificatur tanquam à termino formali, quia terminari, & desinere in termino, & fine est, vnde in fine, seu termino viæ desinit, & terminatur motus, & in fine, seu termino vitæ à quo terminatur, & finitur, desinit vita; sed terminus paternitatis non est ipse generans; sed potius genitum, aut filius, vnde paternitas non tendit ad generantem, nec respicit illum: sed potius respicit, & tendit in filium, & genitum, quia filius, vel genitus, vt abstrahamus ab opinionibus, est terminus formalis specificativus paternitatis: ergo paternitas desinit formalissime, & terminatur nullo modo ad generantem; sed potius ad filium, vel ad genitum: ergo si per vos etiam incipit à genito, vel à filio, neque incipit à generante, neque desinit in illum: ergo nullo modo pertinet ad illum, ac proinde nullo modo denominat ipsum; quia denominatio adæquate dividitur in eam, quæ denominat; quia incipit à subiecto denominato, vel quia desinit in ipsum, quod adeo verum est, vt nulla denominatio possit reperiri ab aduersarijs, quæ non comprehendatur sub aliquo ex ijs membris vt inductione manifesta per omnes denominationes discurrenti evidenter patet.

32 Atqui paternitas vere proprie, & realiter denominat patrem, sicut maternitas denominat Virginem Mariam: ergo pertinet ad ipsam; sed non, quia desinit in ipsam, & terminatur ad ipsam, cum certum sit terminari ad Christum, & desinere in ipsum: ergo ideo pertinet ad illam, & denominat ipsam formaliter matrem, quia incipit à formalitate intrinsece existente in ipsa, per quam Virgo intrinsece respicit, & terminatur ad Christum: ergo nullo modo est denominatio extrinseca; sed potius perfectissime intrinseca.

33 Ratio autem à priori videtur esse, quia omnis relatio est tendentia fundamenti ad terminum; sed tendentia est in tendente, & non in termino, ad quem tendimus: ergo relatio est in relato, & non in termino, quem respicimus per illam; maior est euidens, quia relatio est respectus; sed respectus est tendentia ad terminum, quem respicimus: ergo relatio formaliter est tendentia. Minor est clara, quia tendentia facit tendere, & reddit tendens ad extrinsecum terminum: ergo debet esse formaliter in tendente, intrinsece, vt faciat illud tendere in extrinsecum terminum, alias non posset reddere tendens in illud; v. g. motus localis, quia est tendentia moventis se in locum extrinsecum, debet necessario esse in mouente se intrinsece, & non in loco extrinseco, & quia intellectus per intellectionem tendit in obiectum, & voluntas per amorem tendit in amatum, intellectio est intrinsece in intellectu tendente, & non in obiecto extrinseco, ad quod tendit intellectus per intellectionem: ergo omnis tendentia, per quam aliquid tendit formaliter ad aliquem terminum extrinsecum, non debet esse in termino extrinseco: sed potius in tendente intrinsece: quis enim posset dicere, saxum, quod immobile est in flumine, tendere ad aquas fluminis: certe nullus etiam amens potest hoc dicere, vnde potius dicendum est, aquas fluminis tendere formaliter, & impetum facere formaliter in saxum immobile, quam saxum tendere in aquas fluminis, & ratio est, quia tendentia per motum localem est in aquis, & non in saxo, vnde talis tendentia non potest constituere subiectum in esse tendentis, nisi intrinsece existat in illo.

Dices, verum esse de tendentia motus localis, 34
non autem de tendentia relationis prædicamentalis, quia per motum localem mouetur ipsum, quod tendit ad locum extrinsecum, & non locus ad mobile.

Sed contra, quia vel conuenit motui locali 35
inhærere intrinsece in tendente per illum, quia tendentia est sub ratione communi tendentiæ, vel quia talis tendentia est, scilicet motus localis, vel propter coniunctum ex ratione tendentiæ vt sic, & talis tendentiæ, quia inter hos terminos nullum datur medium; v. g. homo est risibilis, & hoc debet conuenire illi, aut propter totum coniunctum ex animali, & rationali, aut propter rationem genericam, aut propter differentialem, quia in vnoquoque subiecto, vt de se patet, non datur amplius quam genus, differentia, vel totum constitutum.

Sed non conuenit motui locali esse intrinsece 36
in subiecto propter differentiam, nec propter coniunctum ex ratione differentiali motus localis, & ratione tendentiæ vt sic: ergo conuenit illi esse intrinsece in subiecto, quod tendit, propter rationem superiorem tendentiæ vt sic: sed quidquid conuenit alicui propter rationem communem multis non solum illi, sed omnibus participantibus, & habentibus in se talem rationem communem conuenit secundum illud axioma de omni, vt v. g. quia Petro conuenit risibilitas propter rationem communem hominis, conuenit etiam Paulo, Antonio, &c. quia habent talem rationem communem hominis: sed relatio prædicamentalis habet rationem tendentiæ in terminum extrinsecum: ergo conuenit illi sine dubio esse intrinsece in subiecto, quod tendit per illam in terminum extrinsecum, aut ordinatur in illum.

Minor illa, in qua est difficultas, est manife- 37
sta, quia quidquid conuenit alicui subiecto, aut propter differentiam aut propter coniunctum ex illa, & ex ratione generica, nullo modo potest conuenire alijs, quibus non conuenit talis differentia, aut tale coniunctum, vt v. g. quia rugibilitas conuenit leoni, aut propter coniunctum, aut propter differentiam leonis, talis rugibilitas nullo modo potest conuenire aut homini, aut equo, quia neque conuenit coniunctum, nec conuenit differentia leonis: vnde quando conuenit

non

non solum talis speciei ; sed etiam omnibus alijs speciebus , evidenter colligimus , illud prædicatum convenire tali speciei , nec propter coniunctum , nec propter differentiam: sed potius propter rationem communem omnibus illis speciebus , quia quando alicui convenit aliquod prædicatum secundum quod ipsum non potest alteri diverso ab illo convenire tale prædicatum , vt mille exemplis manifestum est ; sed esse intrinsece in subiecto convenit non solum tendentiæ motus localis : sed etiam tendentiæ potentiarum in obiectum habituum in proprios actus , & actuum vitalium respectu motivorum : ergo esse intrinsece in subiecto denominato per tendentiam non convenit tendentiæ motus localis, aut quia est talis tendentia, hoc est propter coniunctum , aut propter differentiam illius ; sed potius propter rationem communem tendentiæ vt

38 sic.

Dices, ideo talibus tendentijs convenire, quod sint intrinsecæ subiectis , quia sunt vitales , & vitale debet esse intrinsece in eo , quod vi-

39 vit.

Sed contra manifeste, quia tendentia habitus in actum , & in obiectum nullo modo est vitalis , quia habitus nihil vitalitatis in se habet. Item tendentia gravitatis in centrum,& tendentia motus localis fluminis , & vbi , seu præsentia localis in locum, aut spatia imaginaria nullo modo sunt tendentiæ vitales, alias lapis, quando movetur per gravitatem in centrum viveret,&c. quæ sunt absurda manifesta , & nihilominus tales tendentiæ sunt intrinsece in subiectis , quæ tendunt per illas: ergo falsa est solutio de vitalitate tendentiæ.

40 Dices , ideo illis tendentijs convenire , quod sint intrinsecæ subiectis , quod sunt tendentiæ, aut relationes transcendentales respectu subiectorum.

41 Sed contra , quia intellectus v. g. non est relatio transcendentalis respectu animæ rationalis , alias intellectus esset de essentia animæ rationalis , neque tendentia habitus logicæ est de essentia intellectus, sicut gravitas non est de essentia corporis gravis , v. g. panis , alias non posset gravitas panis separari in Eucharistia ab ipsa substantia panis ; sed relatio transcendentalis est de essentia illius, cuius relatio transcendentalis est , vnde ordo materiæ ad formam est de essentia materiæ primæ , & ordo intellectus ad obiectum est de essentia intellectus, quia omnis relatio transcendentalis est de essentia illius, cuius relatio transcendentalis est, in quo distinguitur relatio transcendentalis à prædicamentali ; vnde si habitus esset relatio transcendentalis respectu intellectus , & gravitas respectu panis , non essent accidentia panis, & intellectus ; sed potius essent prædicata essentialia illorum ; atqui habitus est accidens , & non de essentia intellectus : ergo non est tendentia , seu relatio transcendentalis intellectus,& nihilominus habitus , & gravitas intrinsece inhærent in intellectu , & in substantia panis : ergo talis inhærentia intrinseca, aut modus existendi intrinsecus in subiecto quod tendit per tales tendentias non convenit illis , quia sunt relationes, aut tendentiæ transcendentales : sed potius propter rationem tendentiæ, vt sic ; sed relatio prædicamentalis est vera , & realis tendentia fundamenti in terminum extrinsecum : ergo est intrinseca respectu fundamenti. Declaratur amplius.

Quia verum est , relationem transcendentalem habitus esse de essentia illius, ac proinde intrinsece convenire illi per tendentiam,& relationem transcendentalem gravitatis ad centrum esse intrinsecam gravitati, quia sunt de essentia gravitatis , & habitus ; vnde ex vi tendentiæ petunt, vt intrinsece conveniant , ex vi autem talis tendentiæ , scilicet transcendentalis exigunt, vt non quomodocunque conveniant intrinsece ; sed potius essentialiter subiectis immediatis , quorum relationes transcendentales sunt, vnde ex vi differentiæ talis non debet argui quicunque modus intrinsece conveniendi ; sed necessario debet colligi modus intrinsecus essentialis ; atqui habitus non est de essentia intellectus, item,& actus vitalis , & nihilominus intrinsece accidentaliter conveniunt intellectui : ergo non convenit illis respectu intellectus intrinseca inhærentia, & inexistentia, quia sunt relationes transcendentales: sed potius , quia respectu intellectus habent rationem accidentalis tendentiæ: ergo relatio prædicamentalis , quæ est accidentalis tendentia in terminum extrinsecum respectu fundamenti non erit extrinseca denominatio: sed potius intrinseca ratio.

42

Vrgetur efficacius , quia spiratio activa in divinis non est extrinseca denominatio respectu Patris,& Filij , sed potius est intrinseca : atqui spiratio activa non est relatio transcendentalis, vt supra late probavimus; sed potius est tendetia, & relatio quasi prædicamentalis. Item amor creaturarum est tendentia vitalis in illas, & omnipotentia est tendentia Dei in creaturas, & non sunt relationes transcendentales vt in metaphysica late probavimus , & nihilominus sunt tendentiæ intrinsecæ in Deo: ergo tendentiæ non convenit esse intrinsece in aliquo, quia est relatio transcendentalis; sed potius quia est vera , & realis tendentia, ac proinde relatio prædicamentalis in creaturis, quia est vera,& realis tendentia fundamenti in terminum extrinsecum , erit intrinseca in fundamento.

43

44

Dices , ideo spirationem activam seu relationem spiratoris activi esse intrinsecam tendentiam , quia divinæ personæ tendunt per illam.

45

Sed contra, quia si ex sua natura exigeret tendentia , quæ non est relatio transcendentalis , vt esset extrinseca, & non intrinseca , tam in Deo, quam in creatura esset extrinseca denominatio; tum quia Deus non immutat naturas rerum: tum etiam, quia ipse est capax denominationis extrinsecæ , v. g. quia esse cognitum, esse amatum, actu terminans , actu agens sunt denominationes extrinsecæ , non solum in creatura sunt tales : sed etiam in Deo, & ideo in tempore potest Deus constitui in esse amati , cogniti, & actu agentis, & causantis : ergo si relatio , seu tendentia non transcendentalis est intrinseca in Deo, non est quia Dei est: sed potius, quia natura cuiuscunque relationis petit , vt sit intrinseca respectu illius, cui convenit: atqui paternitas, filiatio , &c. sunt veræ,& propriæ tendentiæ in terminos: ergo etiam in creaturis sunt intrinsecæ , & non extrinsecæ denominationes: atqui sunt actus formales respectu fundamenti: ergo sunt perfectiones intrinsecæ absolute,ac simpliciter.

SVBSECTIO

SVBSECTIO IV.

Vltimum argumentum principale ponitur.

46 SI eædem partes, quæ sunt in hoc vniverso, non servarent ordinem, quem inter se servant, sed inordinatæ essent, sane vniversum hoc non esset adeo perfectum, ac modo est: ergo ex ordine partium, qui est quædam relatio aliqua perfectio ei accresceit, sed non posset accrescere talis perfectio, nisi ordo ipse, seu relatio in se formalem perfectionem contineret, quia nihil tribuit perfectionem, nisi quod perfectio est; sed ordo, qui datur inter partes vniversi reddit vniversum perfectum: ergo relatio, seu ordo perfectio est formaliter.

47 Vrgetur: quia sive perfectio sit convenientia, sive amabilitas, aut appetibilitas, relatio, seu ordo dicit convenientiam ad fundamentum, & dicit per se appetibilitatem, & amabilitatem: ergo relatio seu ordo dicit convenientiam. Antecedens quoad secundam partem probatur: quia conveniens est vniverso habere ordinem, & relationem inter suas partes, ex quo mira pulchritudo, & venustas resultat in illo: ergo talis ordo, seu relatio dicit convenientiam respectu vniversi. Deinde relatio, vt relatio v. g. creaturæ ad Creatorem indicat dependentiam, connexionem seu indigentiam; nam cum relatio sit quoddam genus connexionis, sine dubio exprimit quam habet entitas creata cum suo Creatore; sed exprimere hoc, aut indicare conveniens est maxime: ergo relatio dicit convenientiam respecta subiecti: ex quo sequitur quod talis relatio sit amabilis, & per se exceptibilis, quia vt ex illo axiomate patet; bonum autem amabile, vnicuique autem proprium, ideſt, id quod sibi est conveniens, est sibi ipsi amabile, tanto enim amabilior est res, quanto convenientior: ergo si relatio est conveniens, amabilis est; vnde relatio maternitatis divinæ quia conveniens erat maxime, maxime amabilis erat Virgini, & de facto amatur; sicut v. g. relatio, quæ in iusto resultat filij adoptivi respectu Dei, sine dubio amabilis est iusto, quia maxime conveniens est ipsi.

48 Præterea, quia Deus qui in suis operibus perfectissimus est, vt bonum illorum operum appetit ordinem, ac proinde perfectissimo ordine operatur omnia, quod indicatur illis verbis, omnia in pondere, numero, & mensura operatus est Dominus, illa particula, numero, ordinem indicari aiunt Aug. Ambros. Nazianz. & Hieronym. &c. imo vt inferni mala describantur, solet ab Ecclesia dici, vbi sempiternus horror inhabitat, id est cõfusio sine ordine, vt explicat Chrisostomus, quod amplius vrget quæstio illa inter Theologos, & Philosophos agitata, in qua resolvitur hoc mundo quoad ordinem non posse alium perfectiorem produci, quoad res autem, ex quibus cõponitur, sine dubio posse: ergo ordo, & relatio, à quibus tantam vniversus accipit perfectionem sunt perfectiones formaliter, quia sunt participationes infinitæ bonitatis, & perfectionis, à qua non nisi id, quod perfectionem dicit participatur, quia eo modo participatur aliquid ab alio, quo illud aliud est participabile, & id participatur, quod continetur in participabili; sed Deus vt participabilis hoc est, vt omnipotẽs est omne bonum, & bonitas per essentiam & essentialiter perfectissimus: ergo quod creaturæ participant ab eo est bonitas, & perfectio; sed relatio quatenus relatio, & quatenus distinguitur ab omni absoluto est ens participatum: ergo dicit perfectionem, & bonitatem.

Declaratur amplius: quia creaturæ possibiles 49
secundum Doctores gravissimos amantur à Deo, & ideo asserunt Spiritum sanctum procedere ex amore comprehensivo creaturarum possibilium; sicut Verbum divinum procedit ex cognitione illarum, & sine controversia docent omnes Theologi, Deum libere amare relationes actu existentes, quia amare, vt ait D. Thomas, est velle bonum alicui; atqui relationibus vult existentiam, quam tribuit illis, existentia autem bonum est: ergo Deus, qui tribuit existentiam relationibus, amat illas; sed nihil amatur, quod non sit bonum, & nihil amatur perfecte, quod non sit bonum perfectum præcipue à rectissima, & ordinatissima voluntate divina: ergo relatio, quam Deus amat, libere quoad existentiam, dicit perfectionem quoad illam.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

AD primum argumentum respondeo, concedendo maiorem, & negando minorem; ad 50
probationem minoris dico dupliciter posse intelligi, vnam personam divinam esse infinite perfectam, aut in ratione Dei, aut in ratione personæ; si sumatur secundum divinitatem est infinite perfecta in omni genere entis, & sic, aut formaliter, aut eminenter continet omnem perfectionem, tam creatam, quam increatam, quia Deus continet omnem creaturam eminenter, perfectionem autem increatam continet formaliter solum si sit absoluta; si autem sit respectiva, continetur etiam eminenter in divinitate; cum autem vnaquæque persona sit vere, & proprie Deus, & habeat vere, & proprie in se divinitatem, vnaquæque persona continet omnem perfectionem, sive formaliter, sive eminenter; nam perfectiones absolutas omnes increatas continet vnaquæque persona formaliter, relativas autem non continet omnes formaliter, sed aliquam, vel aliquas continet formaliter, alias autem continet eminenter ratione divinitatis, v. g. Spiritus sanctus solum continet formaliter spirationem passivam, paternitatem autem &c. continet eminenter ratione divinitatis; econtra vero pater continet formaliter paternitatem, filiationem autem, & spirationem passivam eminenter, & sic de cæteris; vnde quia hoc modo continet omnem perfectionem, vnaquæque persona dicitur infinite perfecta, quia infinite perfectum est, quod omnem perfectionem continet; sed vnaquæque persona continet omnem perfectionem, aut formaliter, aut eminenter: ergo est infinite perfecta; neque ad infinitam perfectionem requiritur, vt formaliter contineatur omnis perfectio; nam Deus non continet formaliter omnes perfectiones creaturarum, vt sunt in creaturis, quia sunt admixtæ imperfectionibus, & nihilominus Deus infinite perfectus est: ergo bene potest esse aliqua persona infinite perfecta, licet non contineat omnem perfectionem formaliter, dum tamen contineat aut formaliter, aut eminenter; Nec obstat dicere, perfectiones creatas non de-

bere contineri in persona divina formaliter propter imperfectiones, quibus admiscentur; sed perfectiones relativæ nullam dicunt imperfectionem: ergo vt vna persona sit infinite perfecta, necessario debet continere perfectiones omnes relativas formaliter.

51 Sed contra, quia sicut imperfectio creaturæ est impedimentum, vt contineatur formaliter in persona divina, in qua nihil imperfectum potest formaliter contineri propter summam, & infinitam perfectionem illius, ita similiter est impedimentum, vt filiatio v. g. contineatur formaliter in Patre, non imperfectio illius, quia nulla latur in filiatione: sed oppositio, quam habet filiatio realiter cum paternitate, per quam constituitur pater in esse patris, ac proinde cum ipso Patre, & ratio evidens est, quia in eodem subiecto non possunt esse formaliter duæ rationes oppositæ inter se realiter, alias idem opponeretur sibi ipsi realiter, & distingueretur à se ipso realiter, quod implicat ex terminis: ergo licet filiatio non dicat imperfectionem, cum dicat oppositionem realem cum Patre, non poterit esse formaliter in Patre; vnde vt Pater sit infinitus, & infinite perfectus, sufficiet, vt contineat formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem, & relativam sibi oppositam eminenter propter rationem dictam, neque quia deficit formaliter, cum non deficiat eminenter, deficit aliquid ad perfectionem infinitam Patris propter incapacitatem talis continentiæ.

52 Neque ex hoc potest argui, quod vna persona sit perfectior altera; nam licet in Patre v. g. non sit filiatio formaliter: nihilominus est paternitas quæ tam perfecta est, sicut filiatio; vnde sicut in Patre deficit filiatio formaliter, ita in Filio deficit paternitas formaliter; sed quia loco paternitatis est filiatio, quæ æquivalet paternitati in perfectione, quia tam perfecta est, sicut paternitas, ideo ita librantur hæ perfectiones in personis, vt nulla aliam in perfectione superet, licet vna habeat perfectionem relativam distinctam ab alia; superaret sine dubio, & excederet vna persona aliam in perfectione relativa, si persona filij v. g. haberet filiationem, & Pater non haberet paternitatem æqualem in perfectione cum filiatione, & æquivalentem in excellentia ipsi filiationi; sed licet Filius haberet filiationem, quæ est maxima perfectio, nihilominus Pater habet paternitatem, quæ in suo genere est tam perfecta, sicut filiatio in suo: ergo neque Pater excedit in perfectione Filium, neque Filius excedit in perfectione Patrem propter rationem dictam, quia vt ait Athanasius in Symbolo, & in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius, aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales in perfectione; etiam si relationes, & personalitates sint perfectiones, quod meo videri evidenter demonstratur, quia incredibile est, misterium Trinitatis, quod constituitur tribus personalitatibus relativis, &c. nullam perfectionem ponere in Deo: cur enim esset illa multiplicatio personarum, & pluralitas relationum quatenus talium formaliter in ente summe perfecto, si illarum, quatenus tales sunt, nulla est perfectio? præcipue, quia nihil potest esse magis imperfectum in se, & absolute spectatum, quam id quod nullam dicit perfectionem, quia imperfectio non est positivum quid; sed carentia perfectionis; si ergo paternitas v. g. nullam perfectionem adfert, profecto valde imperfecta est.

Dices, non quamcunque negationem perfectionis esse imperfectionem; sed solum negationem perfectionis debitæ in esse; paternitati autem, aut filiationi divinæ nullam deberi perfectionem secundum propriam rationem, & ideo negationem perfectionis in tali entitate non esse imperfectionem. 53

Sed contra, quia nulla videtur esse maior imperfectio alicuius; quam esse tale ens cui nulla debeatur perfectio secundum propriam rationem, vt v. g. formalitas peccati est summa imperfectio, quia ipsi nulla perfectio debetur; sed potius illi repugnat omnis perfectio, & nihilum rigorosum, ac proprium est imperfectio summa, quia illi nulla debetur perfectio; sed relationibus divinis formaliter, vt talibus nulla per vos debetur perfectio: ergo summa datur in eis imperfectio; sed hoc est summum absurdum: ergo sine dubitatione dicendum est, relationes, & personalitates divinas quatenus tales dicere perfectionem. 54

SVBSECTIO I.

Amplius confirmantur dicta.

QVia divina essentia ex sua infinita, excellentissima, & eminentissima fœcunditate habet communicabilitatem realiter respectu multorum suppositorum, & personarum, ita vt talis communicabilitas sit fœcunditas divina; sed fœcunditas divina est summa perfectio, de quo nullus vnquam dubitavit; nam si fœcunditas, seu potentia ad extra, seu communicabilitas respectu creaturarum, quæ omnipotentia dicitur est sine dubio summa perfectio in Deo, à fortiori fœcunditas, & communicabilitas, non respectu creaturarum; sed respectu divinarum personarum complentium ipsam divinitatem erit summa, & infinita perfectio divinæ naturæ: ergo habere etiam personas, & suppositа, in quibus sit, & quibus intrinsece communicet se divina natura ex vi propriæ, & infinitæ perfectæ fœcunditatis, est summa perfectio divina; sed suppositа, & personæ sunt relativa, & sunt divinæ relationes, quatenus tales: ergo divinæ relationes quatenus tales dicunt perfectionem in Deo, nam communicari suppositis, & personis nullam afferentibus perfectionem non videtur ad perfectionem pertinere, neque esse conveniens naturæ adeo perfectæ; sed maxime conveniens est naturæ divinæ talis communicatio: ergo est maxima perfectio illius, vnaquæque enim res habet perfectionem entitatis suæ accommodatam; vnde si relatio illa consideretur, vt forma suppositi, sicut dat constitutionem formalem sibi accommodatam, ita etiam formalem perfectionem: quia talis constitutio in esse suppositi, & personæ quam tribuit vnaquæque relatio est maxime perfectio naturæ, subsistere enim complete est magna perfectio, quia est quasi exercitium, aut actus secundus substantiæ completæ in ipsa existens; atqui exercitium intrinsecum alicuius gradus perfectissimi est perfectio talis gradus, vt v. g. intellectio est perfectio gradus intellectivi, & visio actualis est perfectio potentiæ visivæ, quia sunt exercitia intrinseca, per quæ in vltima

vltima actualitate cõstituuntur tales entitates; sed gradus subsistentiæ in vltima actualitate debita sibi constituitur per personalitatem, & subsistentiam completam: ergo subsistentia completa, & personalitas divina quatenus talis formalissime, & reduplicative est magna perfectio; sed quatenus talis est relatio formalissime: ergo relatio quatenus talis formalissime est formalissime perfectio; vnde Caietanus 3.*p.q.*3.*art.*1. concedit, relationes divinas, vt subsistentes sunt, dicere perfectionem, etiam infinitam; nam D. Thomas etiam ibi id significat, nihilominus sentit Caietanus, relationes, vt relationes sunt, non dicere perfectionem.

56 Sed hæc duo cohærere non possunt, nam relationes divinæ sunt subsistentes, non solum ratione essentiæ, sed ex proprijs, & ideo in tribus personis tres sunt subsistentiæ personales, quidquid autem personale est in divinis formalissime, & secundum quod ipsum, relativum est, quia secundum quod ipsum formalissime, & expresse ratione personalitatis vna persona distingnitur ab alia realiter, quia vna persona opponitur alteri realiter: sed neque datur distinctio realis, neque oppositio in divinis, nisi per relationes formaliter; in divinis enim omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio: ergo personalitas formaliter vt talis est relatio; sed personalitas quatenus talis est perfectio: ergo relatio quatenus relatio, & secundum proprium rationem est perfectio.

57 Vnde necessario colligitur sicut dantur tres personalitates in divinis, & tres relationes realiter distinctæ, ita dari tres perfectiones realiter distinctas in divinis, quod nullo modo potest negari secundum dicta; nam si personalitates, & relationes personales secundum proprium conceptum sunt perfectiones, & tales personalitates sunt tres realiter distinctæ: ergo sunt tres perfectiones personales aut relativæ realiter distinctæ; quia quæ sunt personalia, sunt propria, quæ autem propria sunt multiplicantur in personis, quatenus talia sunt: ergo perfectiones personales, & relativæ multiplicabuntur, quia perfectiones illæ personales, quia relativæ sunt, includunt oppositionem vt iam dixi, nam perfectio paternitatis consistit in hoc, quod subsistat in ordine ad Filium, & è contrario in filiatione, quod subsistat in ordine ad patrem: sed oppositio in divinis causat distinctionem, & multiplicationem: ergo perfectiones relativæ, & personales multiplicantur, & plurificantur realiter, etiamsi perfectio absoluta sit vna, & non plures, & etiamsi tales relationes solum distinguantur ratione à perfectione illa absoluta, quia distinctio rationis inter perfectionem relativam, seu personalem & essentialem, seu absolutam quatenus talis est, infert distinctionem realem inter relationes ipsas, quia relatio, & essentia distinguuntur ratione tanquam incommunicabile, & communicabile; sed eodem modo distinguuntur ratione inter se, ratio essentiæ, & perfectio relationis: ergo eodem modo infertur plurificatio, multiplicatio & distinctio realis inter perfectiones relativas quatenus tales sunt.

58 Et ideo sancti Patres plurali numero vtuntur, dum loquuntur de perfectionibus personalibus, vt significent aperte pluralitatem earum: nam Damascenus *lib.*1.*de fide.cap.*11. sic ait: Patrem, & Filium distingui perfectionibus personalibus.

Pater autem Vasquez, aliter sentit, & ideo ait, 59
relationes divinas dicere perfectionem simpliciter divinæ essentiæ ratione distinctam ob omni perfectione, quam habet divinitas ex omnibus attributis absolutis, nihilominus tamen ait, hanc perfectionem in Deo tantum esse vnam, nec multiplicari realiter in personis, vt autem hæc conciliet inter se, advertit bonum dupliciter dici, primo quasi absolute, quod est perfectum, quia nihil ei deest, & hoc est bonum transcendentale, cuius bonitas non est aliud, quam rei integritas, & non requirit distinctionem in re ab ipso bono, sed tantum rationis; alio modo dicitur bonum comparative quod alteri est conveniens, & sic bonitas consistit in convenientia vnius ad aliud, requiritque distinctionem realem inter illos, vt bonitas realis sit, ideoque hoc bonum non necessario convertitur cum ente; ex quibus colligit, relationes divinas pertinere ad perfectionem transcendentalem Dei, quia pertinent, inquit, ad integritatem Dei, non enim esset Deus integre constitutus in sua substantia, nisi haberet intra se tres relationes; illæ tamen vnam tantum integritatem Dei constituunt, & ideo ex illis tantum consurgit vna perfectio Dei absque compositione, quia illa integritas est per summam identitatẽ cum essentia.

SVBSECTIO II.

Refutatur præcedens sententia.

PAter Franciscus Suarez efficacissime hanc 60
sententiam P. Vazq. refellit; primo quidem, quia nullus sanctorum Patrum, aut Theologorum ita loquutus est, quod argumentum in hac præsertim materia validum est, præcipue vero contra adversarios, quia propter hoc solum, aut maxime nolunt admittere tres perfectiones relativas reales, quia Patres, vt ipsi aiunt, non sunt ita loquuti: secundo quia inde sequitur, Patrem per se sumptum non esse integre Deum; probatur sequela, quia tres relationes sunt de integritate Dei, & constituunt talem integritatem, & Pater non est tres relationes simul, nec tres relationes simul sunt de constitutione illius: ergo non est integer Deus, consequens autem est manifeste falsum; nam secundum fidem quælibet persona est perfectus Deus, esse autem perfectum Deum, & esse integre Deum idem sunt, quia si integritas aliquomodo in Deo admitti debet, non est nisi perfectio eius, vt ipse P. Vasq. docet.

Vrgeo amplius, quia negari non potest, quin 61
vnaquæque persona suam habeat integritatem propriam, illo modo loquendi admisso, nam in primis vnaquæque est integer Deus, vt dixi, quæ integritas est communis: ergo vnaquæque habet integritatem Dei; (sed hæc non multiplicatur) præterea vnaquæque est integra persona, nec enim dici potest ex tribus personis integritatem divinæ personæ consurgere, nec negari potest, quin vnaquæque persona sit integrum suppositum multo magis, quam sit quælibet persona creata, quia vnaquæque persona divina quatenus talis completa est vltimo in esse personæ, non enim persona divina potest esse incompleta, quia incomplementum dicit imperfectionem; vnde vnaquæque persona sicut habet proprium complementum, ita habet propriam integritatem personalem; hæc autem integritas personalis eo ipso quod personalis

est, multiplicatur in divinis personis, quod significavit aperte Damascenus *lib. 1. de fide, cap.* 10. dicens, non ex tribus imperfectis vnam compositam naturam compositam intelligamus; sed in tribus personis perfectis vnã simplicem substantiam super perfectam, & ante perfectam, Et *c. 11.* perfectas inquit, ipsi hypostases, personasque dicimus, vbi expresse, & clare significat, & vnamquamque personam secundum se spectatam perfectam esse, & integram, & non posse ex personis, quatenus distinctæ sunt, vel quod idem est ex relationibus, vt tales sunt, & oppositionem inter se habent, vnam perfectionem consurgere.

62 Et patet facile descendendo ad rationes quasi specificas illarum personarum, quia Pater est integer Pater, & sic de Filio, & Spiritu Sancto; aliàs si Pater non esset integer Pater, deficeret sine dubio illi aliquid, quod ad complementum, & integritatẽ talis personæ requireretur; v. g. homo cui deficit brachium, aut caput etiam si per potentiam Dei absoluta viveret, (vt narratur in historijs de D. Dyonisio Areopagita, vivente, & movente se sine capite) non diceretur in genere integrali, aut in compositione integrali integer, & completus homo, licet essentialiter sit homo, sicut v. g. anima D. Petri non dicitur integer Petrus, quia deficit aliquid ad integritatem essentialem requisitam, v. g. corpus, & vnio; si autem nihil deficiat Paulo ex ijs, quæ ad integritatem illius pertinent, sine dubio Paulus perfectus, & integer homo dicitur: sed Pater æternus ita omnia habet, quæ ad integritatem, complementum, & perfectionem propriam requiruntur ad constituendum Patrem perfectum, vt nihil ex illis deficiat: ergo Pater est inter, & complete Pater, & sic de cæteris personis; si igitur transcendentalis bonitas, & perfectio nihil aliud sit, quam rei integritas, sicut multiplicantur integritates personales, ita & bonitates, aut perfectiones transcendentales relativæ; neque refert, quod hæ tres integritates personales in vna essentiali identificentur, quia non propterea confunduntur; sed inter se manent realiter distinctæ: si ergo multiplicationi illarum rerum, & entitatum relativarum non obstat, quod in vna entitate absoluta identificentur, cur obstabit multiplicationi integritatum, seu bonitatum personalium quod in vna essentiali identificentur. Nam sicut ex tribus relationibus, seu personalitatibus, licet identificentur cum essentia, non consurgit vna relatio, aut personalitas, ita similiter propter talem identificationem non resultabit vna personalis, aut relativa perfectio: sed potius sicut non obstante identificatione cum essentia manent tres relationes realiter distinctæ, & vnaquæque est integra, & completa relatio, ita similiter talis identitas non potest esse ratio, vt resultet ex tribus perfectionibus relativis vna perfectio relativa; sed potius adhuc stante tali identitate cum essentia manent tres perfectiones relativæ, & vnaquæq; est integra & cõpleta perfectio relativa distincta ab alia, quia vnaquæque persona ad propriam integritatem non indiget alia persona; quo circa si velimus illo vocabulo integritatis vti, dicere possumus ex tribus personis consurgere integritatem Trinitatis, vel melius consurgere integrum numerum personarum, non vero integritatem Dei, nec vnam integritatem personalem, quia non sola Trinitas, sed quælibet etiam persona est integer Deus, & vnaquæque est integra in esse personæ; v. g. ex tribus Angelis resultat integer numerus ternarius, & nihilominus vnusquisque Angelus est integer in ratione Angeli: ergo similiter licet tres relationes, & tres personæ constituant integrum numerum ternarium, nihilominus vnaquæque relatio, & persona provt distinguitur ab alia est integra, & completa in esse personæ, & relationis, ac proinde vnaquæque persona sub ratione personæ, & quatenus relativa persona est, erit perfecta formaliter, ac proinde relatio, vt relatio est, dicet perfectionem; sed dantur tres relationes: ergo tres perfectiones.

Dices, ideo contingere casum positum in Angelis, quia illæ bonitates sunt partiales, & non vniuntur per identitatem; sed per vnionem, quod aliter contingit in tribus relationibus divinis. 63

Sed contra; nam hinc solum fit relativas integritates personarum divinarum non esse partiales, quod est verissimum, non tamen esse distinctas, & totales in suo ordine, scilicet in ratione personali, imo Damascenus loco citato inde probat ex duabus divinis personis, vt distinctæ sunt, non posse vnam aliquam perfectionem componi, quia vnaquæque est per se, & totaliter subsistens: habet ergo vnaquæque suam totalitatem, integritatem, & perfectionem. 64

Et præterea licet in Trinitate non sit pars compositionis, nec pars quantitatis continuæ, tamen secluſa omni impefectione, invenitur ibi quasi pars numeri, eo scilicet modo, quo numerus consideratur, vt quoddam totum, & vnitas vt eius pars: ergo licet integritas personalis in se totalis sit, vt ita dicam, potest esse quasi partialis comparata ad numerum, seu multitudinem: ergo hoc non obstat, quominus illæ perfectiones relativæ, & personales plures sint realiter inter se distinctæ. 65

Tandem declaratur hæc difficultas, quia si relationes sunt de integritate Dei, inquiro an hæc integritas dicat in Deo vnam aliquam perfectionem simplicem vel compositam? hoc posterius non dicetur, cum sit contra simplicitatem Dei, & ideo dixit Damascenus vbi supra, perfectas hypostases, personasque dicimus, vt nullam in divina natura compositionem dicamus. Si vero dicatur prius, inquiro rursus, an illa perfectio sit absoluta, vel relativa? nihil enim est in Deo, quod sub altero istorum membrorum non comprehendatur, vt constat ex doctrina omnium Patrum, & Theologorum, probata in Concilio Florentino; si ergo illa perfectio est absoluta, non potest formaliter includere tres relationes, aut ex illis integrari, quia omne absolutum commune est, relationes autem non sunt communes, multo vero minus dici potest respectiva, quia omnis perfectio relativa habet oppositionem cum alia, & ideo non potest simplex relativa perfectio ex relationibus oppositis integrari: ergo nulla intelligi potest in Deo vna, & simplex perfectio, vel integritas, quæ ex tribus relationibus consurgat. 66

Dices, perfectionem illam, quæ integritas Dei dicitur, nec absolutam tantum, nec tantum relativam esse; sed comprehendere vtramque. 67

Sed hæc evasio non satisfacit; sed confundit omnia, vt difficultatem effugere videatur, quia hic non agimus de essentiali perfectione Dei: sed de personali, & de illa, quam relationes divinæ nostro modo intelligendi addunt vltra perfectionem essentialem, quam esse ratione distinctam ab essentiali 68

essentiali perfectione etiam authores, cum quibus disputamus, supponunt: illa ergo perfectio ex solis relationibus, vt sic consurgit: ergo relativa tantum debet concipi, & non mixta, & præterea licet demus esse simul absolutam, & respectivam, cum includat in se tres relationes realiter distinctas, non potest habere vnitatem perfectionis, nisi per modum collectionis, & numeri, esto non sit per modum compositionis. Probatur assumptum, quia in illa perfectione includitur verus transcendentalis numerus rerum; ex numero autem rerum distinctarum, vt tales sunt non conficitur vnum, nisi vel compositione, vel collectione, vel omnino per accidens; dico autem vt tales sunt, quia personæ divinæ vt sunt vnum in essentia, non vniuntur in perfectione personali, sed in essentiali tantum. Absurdum autem videtur dicere, integritatem Dei vt sic collectivam esse, & non omnino simplicem, & indivisam. Accedit tandem quod illa integritas dicitur esse perfectio simpliciter simplex: vnde sequitur, cuilibet personæ divinæ sigillatim sumptæ deesse aliquam perfectionem simpliciter simplicem, quia nulla earum habet illam integritatem: nulla ergo illarum erit summe perfecta.

69 Tandem vrgetur, quia multiplicato gradu inferiori, debet multiplicari gradus superior: sed in tribus relationibus multiplicatur realiter ratio relativa, quæ est inferior respectu entis vt sic: ergo multiplicatur in talibus relationibus ratio entis vt sic; sed non potest multiplicari gradus entis, quin multiplicetur attributum illius: atqui attributum entis est bonitas: ergo in tribus relationibus multiplicatur bonitas, ac proinde tres relationes erunt tres bonitates, & perfectiones.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum relatio sit modus, vel res.

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur, & probatur.

1 HÆc quæstio maxime difficilis ab aliquibus iudicatur, & ideo longissime de illa agunt; nos autem brevissime tractabimus difficultatem illius, quia ex supradictis, & postea dicendis facile colligitur explicatio illius, circa quam est prima sententia asserens, relationem prædicamentalem nequaquam esse modum, sed potius rem simpliciter, eo modo, quo quantitas, & qualitas est res; eam tenet Sanchez *in dialectica lib. 5. quæst. 38. 2. conclusione*, probat suam sententiam.

2 Primo auctoritate Divi Thomæ *p. 1. q. 28. art. 2. ad 2.* vbi sic dicit; ad secundum dicendum quod sicut in rebus creatis in illo quod dicitur relative, non solum est invenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum, ita in Deo; sed tamen aliter, & aliter; nam id quod invenitur in creatura præter id quod continetur sub significatione nominis relativi est alia res, in Deo autem non est alia res, sed vna, & eadem, vbi Divus Thomas dicit quod relativum, & absolutum sunt alia, & alia res: ergo dicit quod sunt realiter distincta vt res distinguitur à re.

3 Secundo istæ relationes creatæ sunt accidentia essentialiter, quia ponuntur in prædicamento relationis, quod est prædicamentum accidentium relativorum, sed proprium accidentium est inesse: ergo hæc accidentia relativa in sunt substantijs: ergo realiter tanquam res à re ab illis distinguntur. Probatur consequentia, quia in esse accidentis, seu in existentia accidentis realiter distinguitur ab existentia sustantiæ, vt patet in Sacramento Eucharistiæ, vbi manent accidentia in sua existentia, & non manet existentia substantiæ vllo modo.

4 Tertiò essentia relationis est distincta ab essentia fundamenti: ergo inhærentia accidentis relativi est distincta ab inhærentia actuali accidentis absoluti, quia essentia correspondet existentiæ, vt potentia proprio actui, & sicut potentiæ sunt distinctæ, & actus: ergo distinguntur tanquam res à re; siquidem habent proprias essentias, & existentias realiter distinctas.

SECTIO II.

Nostra sententia ostenditur.

5 COnclusio: relatio creata est modus, & non res absolute. Hæc est communis inter Doctores, & expressa sententia Divi Thomæ plurimis suæ Doctrinæ locis, vbi relationem modum asserit esse.

6 Probatur primo, quia modus, vt modus nullam habet potentialitatem respectu sui effectus formalis, & res potest habere saltem per potentiam Dei absolutam potentialitatem respectu illius, quia res v.g. quantitas in Eucharistia separatur ab omni subiecto, vnde nullum tribuit effectum actu, sed solum in potentia: sed relatio nullam habet potentialitatem in reddendo suum effectum formalem adhuc Divinitus: ergo relatio vt relatio non est res, sed modus. Maior latissime probata manet *in metaphys. disp. 1. proæ. quæst. vlt. concl. 2. & disp. de subsist. quæst. vtrum illa sit modus, vel res.* Minor sic probatur quia relatio est habitudo, seu respectus vnius ad aliud essentialiter: ergo essentialiter petit vt sit inter vnum, & alterum, ita vt nullo modo possit nec esse, nec intelligi sine vno, & altero inter quæ sit, (quod adeo verum est, vt omnino impossibile iudicetur, omnibusque etiam adversarijs dari paternitatem actualem in generante possibilem respectu possibilis termini, quia necessario petit relatio actualis fundamentum actuale, & terminum actualem) sed alterum est terminus extrinsecus ad quem terminatur relatio, vnum autem est fundamentum illius: sed fundamentum relationis est in quo intrinsece est relatio, & quod intrinsece afficit illa: ergo relatio actu existens non potest adhuc Divinitus esse sine actuali afficientia intrinseca vnius extremi, quod est fundamentum: atqui impossibile est quod actu afficiat aliqua forma subiectum, sine eo quod actu tribuat suum effectum formalem: ergo impossibile est, vt relatio actu existens tribuat in potentia effectum formalem; sed necessario adhuc Divinitus actu illud tribuit, actuque constituit relatum ad terminum, & non in potentia, nam res non constituitur apta referri per relationē vt sic,

sed per fundamentum proximum relationi, proprius autem effectus formalis relationis est actu referre, alias nec requireret coëxistentiam termini, nec vere diceretur totum esse eius positum esse in respectu ad aliud: sed hoc est habere nullam potentialitatem respectu sui effectus formalis: ergo relatio nullam potentialitatem habet respectu illius: ergo est modus, & non res.

7 Quod autem adhuc per potentiam Dei absolutam non possit dari relatio sine subiecto quod actu afficiat, adeo verum est vt ipse Sanchez adversarius nostræ sententiæ his verbis asserat. Quod si inquiras an Deus possit conservare relationem sine subiecto, Respondeo impossibile esse conservari relationem per se sine eo quod sit in subiecto.

8 Dico autem Tertio, sic ait Sanchez, non potest poni relatio in rerum natura, quin faciat aliquod esse actu relativum, id est referri actualiter ad aliud, & probat sic, quia impossibile est poni relationem in subiecto, quin habeat suum effectum formalem: sed relatio non habet alium effectum formalem nisi constituere relatum: ergo. Maior probatur, quia ex informatione formæ, & subiecto, resultat aliquod esse, & erit hoc quod est esse relatum, nam aliud fingi non potest ex se, verba Sanchez *in sua Logica libro quinto 4. præ. quæst. 33. conclus. 3. & §. & si inquiras*, vbi manifeste ait, adhuc divinitus non posse esse relationem, sine eo quod actu sit in subiecto, & respectu cuius tribuat suum effectum formalem actu, & non in potentia: ergo ex sententia, & verbis Sanchez, relatio actu existens nullam habet potentialitatem respectu sui effectus formalis: ergo est modus, & non res.

9 Deinde vrgeo, nam ipse Sanchez §. *& si inquiras an Deus, &c.* sic ait impossibile esse conservari relationem, sine eo quod sit in subiecto, quia individuatur penes hoc subiectum.

10 Sed contra, quia quantitas panis consecrati individuatur à substantia panis, quia tu asseris omne accidens individuari à subiecto, sed licet individuetur ab illa, conservatur in Eucharistia sine tali subiecto: ergo non ideo præcise relatio non potest esse sine subiecto, quia individuatur, alias quantitas illa non posset esse sine substantia panis; vnde aut contradicit sibi Sanchez, nullumque est argumentum illius ad hoc vt vim ingerat insuperabilem suo argumento, debet addere relationem individuari vt modum à subiecto, cuius definitio petit, quia modus est vt non sit vllo modo extra subiectum.

11 Deinde asserit §. & si inquiras quare relatio non potest separari à subiecto, & fundamento, Respondetur quia pendet necessario ab illis.

12 Contra, quia etiam quantitas dependet necessario à substantia panis, & quia dependet vt res, & accidens reale potest Deus separare illud, vt de facto separat à substantia panis: ergo licet relatio dependeat necessario à fundamento si dependet vt res, & non vt modus, poterit esse separata à fundamento divinitus: ergo si non potest separari est quia relatio dependet vt modus, & non vt res, alias nulla erit ratio Sanchez, quia probat relationem Divinitus non posse separari à fundamento: ergo talis relatio est modus.

Secundo, quia Relatio implicat esse, aut intelligi sine termino, quia necessario est ordo ad illud, sed similiter est ordo subiecti: ergo similiter non potest esse sine subiecto. Minor est evidens, nam relatio est ordo fundamenti ad terminum: ergo est modus; patet hæc consequentia, quia modus in hoc distinguitur à forma reali, quia illa potest saltem divinitus esse sine subiecto, modus autem minime, vt videre est in Sacramento Eucharistiæ, vbi accidentia separantur à subiecto, quia sunt res: sed relatio non potest separari à subiecto: ergo est modus, & non res. 13

Confirmatur, quia sicut se habet figura respectu quantitatis, & vbi respectu præsentis, & situs respectu corporis, & actio respectu termini, ita se habet relatio respectu subiecti, nam sicut non potest esse nec intelligi actio sine termino producto, sic non potest esse, nec intelligi relatio, & ordo sine fundamento ordinato, & relato ad terminum: sed figura, vbi, actio propter illam connexionem, & dependentiam sunt modus: ergo similiter relatio erit modus propter eandem rationem. 14

Amplius declaro hoc, demus separari divinitus relationem à fundamento: ergo datur habitudo, & respectus: sed omnis habitudo est inter duo, alias essentia, & definito relationis non esset, nec verificaretur stante relatione, quod est absurdum, cum res non possit esse sine sua definitione, & essentia: sed definitio relationis est habitudo duorum vel vnius ad aliud: ergo datur vnum, & aliud, de quibus interrogo, an essent intrinseca relationi, vel vnum esse intrinsecum respectu illius, & alterum nempe terminus, esset extrinsecum, vel an omnia essent extrinseca relationi. Hoc vltimum non potest dici, nam respectu relationis solum terminus est extrinsecus, fundamentum autem non potest esse terminus: ergo fundamentum non est extrinsecum relationi, nam fundamentum est quod refertur ad terminum extrinsecum; sed id quod refertur non potest esse extrinsecum respectu relationis, nec respectu illius potest esse extrinseca relatio vt supra probatum manet, nam si relatio non potest dari, nec intelligi sine duobus extremis, etiam non potest intelligi, sine eo quod sit ordo vnius referendo illud, & constituendo illud in ordine ad aliud; sed id quod per relationem constituitur est intrinsecum, sicut id ad quod constituitur est extrinsecum, vt vidimus *quæstionibus præcedentibus*: ergo ambo extrema non sunt extrinseca. Item nec potest dici quod relatio sit intrinseca respectu vtriusque extremi, cum terminus, qui est vnum extremum non afficiatur nec possit affici relatione, solum enim est terminus ordinationis relationis, & tendentiæ illius, sicut paries est terminus tendentiæ visionis; sed respectu termini tendentiæ non est intrinseca tendentia, vt patieti non est intrinseca visio: ergo respectu termini non est intrinseca relatio: ergo relatio non potest esse intrinseca ad vtrumque extremum: ergo necessario dicendum est esse intrinsecam respectu vnius, & extrinsecam respectu alterius: sed forma quæ est intrinseca respectu subiecti, est vnitas intrinsece illi, & quod est intrinsece vnitum non est separatum ab illo, vt videre est in animali rationali respectu corporis: ergo adhuc per potentiam Dei absolutam non

potest

potest separari relatio, ita vt maneat sine subiecto: ergo non est res; sed modus, quia nullum prædicatum reperitur, in quo distinguatur modus à re, nisi in hoc, quod res potest conservari divinitus sine subiecto, vel alia entitate à se distincta realiter; modus autem non potest vllo modo separatus conservari, cuius est modus.

16 Vltimo relatio prædicamentalis consistit in actuali exercitio inferendi fundamentum ad terminum; sed modus consistit, in actuali exercitio: ergo relatio est modus, & non res: maior est certa, quia relatio est respectus, ordo, seu referentia fundamenti ad terminum; sed respectus, ordo, seu ordinatio, & referentia sunt actuale exercitium: ergo relatio cuius esse consistit in respectu, seu respicientia, ordine, seu ordinatione, & in referentia consistit in actuali exercitio. Minor illa sic probatur, quia omnis potentia habet suum actuale exercitium; sed posse respicere, posse ordinare, & posse referre sunt potentiæ; ergo habent suum actuale exercitium; atqui non potest esse aliud actuale exercitium posse respicere, nisi respicere, seu respicientia, aut respectus, & nullum aliud actuale exercitium potest assignari posse ordinare, nisi ordinatio: ergo ordinatio, referentia, & respectus, seu relatio consistit in actuali exercitio.

17 Vrgetur, quia propria, & accommodata ratio productionis modi est per resultantiam, vt videre est in figura, vbi, &c. sed relatio producitur per resultantiam, vt patet ex illo axiomate posito fundamento, & termino resultat relatio; ergo relatio est modus.

18 Tandem confirmatur, non est necessarium ad hoc vt exerceat munus relationis, quod consistit in referre, vt sit res: sed solum sufficit vt sit modus: ergo debet esse talis, antecedens sic probatur, quia relatio habet suum esse in actuali exercitio constitutum vt supra probavi, non enim aliud munus habet relatio, vt patet ex Aristotele, nisi habere totum suum esse ad terminum pene recipiendo: ergo habet rationem modi, & rei.

SECTIO III.

Vltimæ argumenta adversaria solvuntur.

19 AD locum Divi Thomæ Respondeo minime ex verbis Angelici Doctoris posse colligi, si recte intelligantur relationem esse rem; nam relationem ipsam, nunquam dixit esse aliam rem; sed fundamentum nomine rei appellavit, quod nos libenter admittimus, certum enim est fundamentum relationis esse rem distinctam à modo relationis, quod clarissime patet ex illius verbis, quæ sic se habent, nam id quod invenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relativi est alia res, hoc est præter relationem, vel præter id quod nomine relationis significamus, quod nihil aliud est quam fundamentum relationis, est alia res à relatione, ac si diceret fundamentum est distincta res à relatione quæ modus est.

Ecce quomodo ex loco Divi Thomæ male intellecto ab adversarijs, ideoque pro se adducto, nostra confirmatur, ac roboratur sententia.

Ad secundum nego maiorem, relatio enim 20
non est accidens reale; sed modus accidentalis, realis, & in hoc sensu concedimus suo modo inhærere relationem, seu adhærere in fundamento, sicut inest figura quantitati, & vbi præsenti. Deinde negatur illa secunda consequentia, ergo realiter, &c. ad probationem illius nego inexistentiam seu inhærentiam accidentis distingui realiter ab existentia substantiæ, nam inhærentia est modus, & modus non distinguitur à re cuius est modus realiter; si autem pro inexistentia accidentis intelligat adversarius existentiam realem accidentis concedo realiter distingui à substantia, ex quo non sequitur relationem distingui realiter, quia non habet existentiam realem, sed modalem.

Ad tertium concedo antecedens, & conse- 21
quens; Deinde negatur consequentia illa: ergo distinguuntur, &c. à principio vsque ad finem, falsa est, & vt talis refellitur.

QVÆSTIO IX.

Quid sit relatio vt sic, & quomodo definiatur.

DATA opera in hunc locum remisi de- 1
finitionem relationis post tot quæstiones agitatas, vt per particulas illius quasi per christallinas, aut oniechinas crustas non impacto vngue perlabamur, recte enim declaratio essentiæ relationis, à recta dictarum quæstionum resolutione pendet, quibus enodatis, enucleatisque, facile enodabitur definitio relationis, quæ vel potest sumi vniversalissime, provt comprehendit relationem prædicamentalem, & transcendentalem, & secundum dici, vel provt solum hoc prædicamentum constituit vniversalissime sumpta, sic definitur ab Aristotele *in hoc prædicamento, & lib. 5. metaphysicæ*, quæ potius ex mente antiquorum Philosophorum, quam ex propria videtur proficisci, & vt ait Averroes ex mente Platonis ad aliquid talia dicuntur quæcunque hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur, quomodolibet alter ad alterum, id est relativa sunt, quæ habent suum esse ad aliud, aut tanquam ad pure terminum, vt pater respicit genitum, aut quomodolibet alter ad alterum, id est non solum vt pure terminum, sed quocunque alio modo ad aliud refertur, sive tanquam ad subiectum, sive tanquam ad obiectum, sive tanquam ad effectum causam, vt accidens dicit ordinem ad aliud tanquam ad subiectum habitus, tanquam ad obiectum creatura ad Deum, tanquam ad causam efficientem à qua producitur.

Item illa particula *quomodolibet* indicat hic 2
definiri non solum propriam habitudinem; sed etiam connexionem vnius cum altero explicatam per modum relationis, quæ quomodocunque relatio dicitur.

Sic definita relatio vniversaliter dividitur in 3
relationem

relationem secundum esse,& secundum dici ; relatio secundum esse dicitur quæ re vera habet proprium esse cum habitudine ad aliud, vt relatio quæ datur in scientia respectu sui obiecti vocatur relatio secundum esse, id est relatio, quæ proprie talis est secundum suam entitatem.

4 Relatio secundum dici, definiri solet quod sit res,quæ concipitur, explicaturque per modum respectus, cum in re ipsa verum respectum non habeat, quæ potius descriptio, quam definitio est,ideo enim secundum dici dicitur, quia hæc relatio in dici, vel in explicari tantum relatio est, id est quia dicitur & explicatur, ac si esset relatio, & per modum relationis, vel relatio secundum dici nominatur, & hoc provenit ex imperfecto modo nostro concipiendi, & explicandi, nam cum aliqua absoluta non possimus explicare vt in se sunt, ea explicamus ac si essent relativa propter aliquam connexionem quam habent cum alijs, v. g. omnipotentia Dei, quæ absoluta ab omni respectu ad creaturas,quia tamen habet cónexionem necessariam cum creaturis possibilibus, & non possumus illam, ac si relativa esset, & relationem, seu respectum diceret ad creaturas,quia autem talis connexio non est vere relatio, & explicatur per modum relationis,secundum dici,id est, secundum loquutionem, aut secundum modum loquendi relatio dicitur,ac nominatur. Aliter explicatur ab aliquibus hoc modo,tunc enim datur in aliquo,aiunt, relatio secundum dici,quando intellectus explicat illud per similitudinem ad aliud, cuius habet propriam speciem, vt quando explicat intellectus Angelum per iuvenem pulchrum, tunc Angelus,seu res illa dicit relationem, secundum dici ad rem illam materialem, non quia duæ illæ res se respiciant per vnos respectus, sed quia quod non aliter potest explicari vt in se est, explicatur per similitudinem ad illam, & idem est quando volumus explicare velocitatem Angeli, & illam explicamus per alas, hæc relatio non est formaliter in obiecto intrinsece, sed formaliter est in actu intellectus cognoscente rem absolutam ad modum relativæ.

Alij autem vniversaliter asserunt, relationem secundum dici esse relationem rationis, 5
quod falsum reputo ; nam aliud est ad explicandam relationem secundum dici, vti relatione rationis,& fingere illam,aliud est ipsam relationem secundum dici esse relationem rationis, verum enim est medium ad relationem secundum dici esse ens relativum rationis fictum, falsum autem, ipsam rem quam relationem secundum dici nominamus esse relationem rationis, relatio enim secundum dici est connexio realis omnipotentiæ ad creaturas explicata per ens rationis fictum ; vnde sicut falso diceret aliquis, qui assereret velocitatem Angeli esse ens rationis,quia explicatur per tale ens,sic similiter falso dicet, qui asseruerit relationem secundum dici esse relationem rationis,quia explicatur fingendo ens rationis;quare absolute dicendum est, relationem secundum dici, nihil aliud esse nisi connexionem realem explicatam ad modum relationis, fingendo illam per rationem, vt explicetur illa connexio, quæ explicatio conformis est menti Divi Thomæ,qui relationem secundum dici semper ac de illa agit, segregat relationem rationis, imo relatio rationis non secundum dici, sed secundum esse ab ipso Doctore appellatur.

Relatio realis secundum esse dividitur in 6
transcendentalem, & prædicamentalem, quæ divisio, vt optime adnotat Pater Suarez, habet fundamentum in Aristotele in hoc capite, vbi tradit vtriusque relationis definitionem, maximeque necessaria est talis divisio tam ad metaphysicam, quam ad sacram Theologiam, vbi de Divinis relationibus agitur, inter quas quædam possunt transcendentales appellari, quia constituunt substantialiter tres Divinas personas, vt sunt relationes paternitatis, filiationis, & spirationis passivæ, à qua Spiritus sanctus in suo esse personali constituitur, quædam vero prædicamentales, seu vt melius loquar ad modum prædicamentalium nominari potest, quia convenit personis iam constitutis in esse tam essentiali,quam personali, in quo relationi prædicamentali assimilatur, quæ advenit fundamentis iam plene in suo esse constitutis, tandem maxime necessaria est hæc divisio ad concipiendum quod sit proprie relatio, quæ hoc prædicamentum constituit.

Relatio transcendentalis est respectus, qui 7
ita transcendit essentiam cuius est, vt sine eo nec esse, nec concipi possit : melius. Relatio transcendentalis est respectus essentialiter constituens rem,v. g. in scientia creata datur relatio transcendentalis, quia talis scientia essentialiter constituitur vera, & propria habitudine ad obiectum, & idem potest dici de potentia &c. hanc relationem tradidit Aristoteles, dum dixit : illa sunt ad aliquid, quæ id quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur, vbi illa particula, dicuntur,præsertim in vsu Philosophorum frequenter vsurpari solet pro verbo essendi, vt ipsemet Arist. dixit, qualitatem esse, qua quales quidem dicuntur, vnde si in hoc sensu sumatur verbum illud, dicuntur, solum convenit relationibus transcendentalibus ; si autem particula illa, dicuntur, vsurpetur, vt vult Pater Suarez cum rigore, & proprietate, & ideo sub disiunctione in illa definitione positum esse, & esse ad aliquid quæ id quod sunt aliorum sunt, vel aliquomodo aliorum esse dicuntur, vt indicetur non esse de ratione relationis vt sic, quod sit ad aliud, sed vt sit, vel dicatur ; tunc talis definitio non solum comprehendit relationes transcendentales,sed etiam secundum dici ; nos autem, quia in primo sensu males constituendi ea quæ ad aliquid sunt,sicut æqualitas, & similitudo ex eo dicuntur ad aliquid, quia æquale, & simile ad aliquid sunt. Denique alia dicuntur ad aliquid secundum accidens,scilicet subiectum ipsum relationis,vt homo, vel album dicitur ad aliquid, quia ei accidit esse duplum,vel simile. Hæc Aristoteles.

Hæc definitio Philosophi ad clariorem me- 8
thodum sic reducitur à Patre Suario. Est actus cuius totum suum esse est ad aliud : sed hæc definitio multas patitur difficultates in sententia ipsius. Prima est, quia non convenit omni definito, nam relatio immediata fundata in substantia identificatur cum illa, & sic est substantia realis ; sed ista est vera relatio, & ipsi non competit definitio, cum substantia realis non

non sit accidens: ergo non recte traditur illa definitio.

9 Dices illam relationem esse accidens prædicamentale.

10 Contra primo, quia vel accidens prædicamentale est verum, & proprium accidens reale, vel non. Si primum, non convenit relationi fundatæ in substantia propter rationem dictam; si secundum: ergo in definitione relationis vt sic, ponitur vt genus, non verum nec proprium prædicatum, sed improprium, & metaphoricum: ergo tota definitio non est recta, sed impropria, sicut si definiens Deum dicerem Deus est ignis independens, vel homo est arbor inversa rationalis, quæ definitiones sunt malæ & imperfectæ, seu impropriæ, quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu; sed in dicta definitione illud prædicatum accidens non convenit propriè relationi: ergo tota definitio est impropria, ac defectuosa.

11 Nec valet si dicas, ideo poni accidens quia concipitur per modum accidentis.

12 Contra, quia etiam Pater æternus concipitur per modum senis canitie plenum, & nihilominus non potest dici dum Pater æternus definiri vult, est senis canitie plenus, nam talis definitio esset impropria. Item impropria esset definitio Angeli, si diceretur est invenis alatus, maxima condecoratus pulchritudine, & nihilominus ad modum juvenis sic concipitur Angelus: ergo perperam definitur relatio, dum dicitur est accidens ex eo solum quod ad modum accidentis cognoscitur.

13 Secundo contra, quia accidens prædicamentale est accidens reale, & physice, quia est accidens ex natura sua, accidens autem logicum tantum est accidens ratione nostra in modo prædicandi: sed relatio immediate fundata in substantia est substantia realiter, & substantia realis non potest esse accidens reale: ergo relatio immediate fundata in substantia non est accidens prædicamentale.

14 Tertio, quia actio qua educitur calor de potentia subiecti, est accidens, & habet totum suum esse ad producendum proprium terminum, & nihilominus non est relatio prædicamentalis: ergo illa definitio convenit aliis à definito.

15 Definitio etiam Hurtado in eadem prima inconvenientia, quæ sic se habet. Relatio prædicamentalis est cuius totum esse est ad aliud accidentaliter adveniens immediato fundamento; ipse autem explicans particulam cuius, sic ait. Sumitur loco generis, id est accidens inquam extrinseca denominatio orta, ex coexistentia termini.

16 Contra quam particulam sic insurgo, nam in sententia Hurtado, Paternitas nihil aliud est, quam terminus generans, & terminus genitus, sed vterque terminus non est accidens; sed potius sunt duæ substantiæ. Patet consequentia, quia Petrus generans est homo, & Ioannes genitus etiam est homo & vnus, & alter homo, sunt duo homines, & duo homines sunt duæ substantiæ, & duæ substantiæ minime sunt accidens: ergo falso dicitur ab Hurtado perperamque definitur relatio dum dicitur cuius, id est, accidens. Declaratur, nam perperam definiret aliquis, qui definiens Trinitatem personarum Divinarum diceret, est accidens, quia sunt tres substantiæ inter se ordinatæ: ergo similiter malè definiet, qui definiens duas substantias creatas ordinatas inter se diceret esse accidens.

17 Secundo, quia etiam falso dicit in sua sententia dum explicans ait, idest extrinseca denominatio orta ex coëxistentia termini; nam in sua sententia, primo relatio non est solum denominatio extrinseca, sed duæ intrinsecæ entitates termini, & fundamenti, nam ipse Hurtado ait relationem non distingui ab vtraque entitate; atqui denominatio extrinseca saltem distinguitur à parte rei à subiecto denominato: ergo male dicit relationem esse denominationem extrinsecam.

18 Tertio, illæ particulæ, accidentaliter adveniens immediato fundamento, multa contra ipsam sententiam Hurtado continent absurda ipsi contradicentia. Primo quia Hurtado ait *paragrapho trigesimoprimo, disputat. decimaquinta, sect. tertia*, igitur similitudo formaliter est idem cum fundamento, & termino, quæ verba nescio quomodo congruant cum verbis dictæ definitionis, nam fundamentum & terminus non possunt accidentaliter advenire fundamento, alias idem sibi accidentaliter adveniret, nam dum dico fundamentum, & terminus, fundamentum dico inadæquate: ergo si fundamentum & terminus accidentaliter advenit fundamento, fundamentum advenit accidentaliter fundamento, vnde idem sibi accider.

19 Vrgetur, quia vt postea videbitur, ipse Hurtado asserit relationem in recto esse fundamentum, in obliquo dicere terminum; vnde absolute relatio est fundamentum: ergo si relatio advenit accidentaliter fundamento sibi ipsi accidentaliter advenit, quod est absurdum dignum tam indignæ sententiæ.

20 Deinde, quia totum non advenit accidentaliter partibus, nam totum est finis per se intentus respectu vniuscuiusque partis; finis autem intrinsecus, & per se intentus non potest accidentaliter advenire medio intrinseco, nam sicut falso, & ignoranter diceretur hoc, homo accidentaliter advenit materiæ, aut formæ, à quibus essentialiter componitur, ita incongrue dicitur relationem accidentaliter advenire fundamento, cum relatio nihil aliud sit, quam terminus, & fundamentum formaliter, præterea quia ad fundamentum non datur fundamentum, alias procederetur in infinitum: sed relatio est idem quod fundamentum in recto, & in obliquo terminus, vt ipse Hurtado ait §. 30. ergo relationi non datur fundamentum, quia idem non datur ad se ipsum: ergo relatio non advenit accidentaliter fundamento.

21 Declaratur, quia sicut non possumus tribuere binario Angelorum subiecto, cui adveniat, qui binarius nihil aliud est, quam ipsi duo Angeli; sic similiter non possumus tribuere re-

lationi fundamentum, cui accidentaliter adveniat, cum relatio nihil aliud sit, quam ipsi duo homines generans,& genitus;ergo falsa est sententia Hurtado,ex quo colligo definitionem ab ipso traditam potius congruere nostrę,quam suæ opinioni asserenti relationem esse accidens distinctum à fundamento, & termino, quæ cum secum veritatem contineat, fateri cogit Hurtadum tali definitione, quod supra *sect.* 3. negaverat, ex quo liquido constat magnum veritatis imperium, quæ tandem tandem in sua sententia, velint nolint, nescio qua occulta vi cogit, vt ad tantæ imperatricis genua devoluti ipsius luminis splendorem ac maiestatem servi venerentur.

22 His opinionibus funditus labefactatis nostrę definitionis, dicimus, solum convenire transcendentalibus, in quibus relationibus, licet vsurpemus hos terminos relatio scientiæ ad obiectũ, quibus indicari videtur distinctio relationis, à re cuius est, nihilominus si recte hoc negotium ratione ponderetur, non possumus ratione absolute distinguere scientiam à relatione, nec intellectum à suo respectu transcendentali quem dicit ad intelligibile, quia cum tota essentia intellectus sit formaliter perceptiva obiecti, & in hoc sita sit tota essentialis constitutio huius potentiæ, ac proinde essentialiter constituatur adæquate per ordinem ad obiectum adæquatum, & specificatur ab illo; inde est vt non possit complete concipi intellectus sine tali ordine, quod ita aliqui intelligunt, vt dicant tantum differre grammaticaliter relationem transcẽdentalem,& subiectum illius vt ens, & entitas, alij autem dicunt differre sicut ens, & perseitas; omnes autem probatiores metaphysici conveniunt in hoc, vt relatio transcendentalis, ita sit de essentia rei cuius est relatio, vt transcendat, & imbibatur in essentia illius, & hac de causa vocatur transcendentalis, nisi mavis cum alijs hoc nomine, & appellatione insigniri, quia transcendit varia,ac fere omnia genera entium, prædicamentorumque,ac per illa omnia vagatur,& sic à prædicamentali distinguitur, quia hæc ad certum aliquod prædicamentum limitatur, & pertinet; distinguitur etiam à relatione secundum dici, quia relatio secundum dici non requirit in re sic concepta, seu relative denominata veram, & propriam aliquam habitudinem,quæ ratione sui illi conveniat:sed tantum denominationem ex modo nostro concipiendi, & loquendi, quod interdum contingit ex imperfectionẽ nostræ conceptionis (vt supra dixi) & locutionis interdum ex eo quod res etiam cum perfectione conceptæ cognosci non possint sine concomitantia aliorum,etiam si illa alia sint extra essentiam rerum conceptarum, non propter habitudinem, ac dependentiam; sed propter altiorem connexionem in ratione causæ eminenter continentis suos effectus, vt omnipotentiarespectu creaturarum possibilium, vel vt aiunt Theologi non posse Deum perfecte videri, aut comprehendi, quin in eo cognoscantur creaturæ: item non potest cognosci anima rationalis, quæ habet connexionem cum intellectu, & cum actibus ratiocinandi, licet sit sine aliqua relatione transcendentali ad ea, sine eo quod cognoscatur per modum habentis relationem ad illa.

23 In calce huius explicationis adverte, quod relatio transcendentalis vere relativum essentialiter constituit, nam si vera, & propria relatio est, & talis relatio essentialiter constituit rem: ergo res ab illa constituta vere, & realiter relativa transcendentaliter dicitur, vnde non potest talis res omnino absoluta dici, sicut Pater æternus, qui relatione transcendentali constituitur, non dicitur absoluta persona; sed respectiva, vnde tria genera entium reperiuntur, primum quod est omnino absolutum, vt Deus, omnipotentia, substantia completa, secundumsua prædicata essentialia, &c. quæ quia nullo modo ordinantur ad aliquid extrinsecum, & quia ab extrinseco absolvuntur, absoluta dicuntur,id est, omnino ab extrinseco soluta ex eo quod ordine, & habitudine ad ipsum sunt:secundum genus est eorum, quæ relativa essentialiter sunt, vt sunt potentiæ,actiones, & omnia accidentia, & partes essentiales, & materia, & forma, & hæc minime absoluta simpliciter nuncupãtur;nam si essentialiter sunt relativa: ergo essentialiter non sunt non relativa, vt sunt absoluta, sicut, quia homo essentialiter est rationalis, non potest non esse non rationalis; imo nec accidentaliter possunt dici absoluta, si absolutum sit id quod dicit negationem relationis, nam causaliter non convenit aliquid prædicatum, nec per accidens potest carere illo, solum enim potest tale ens dici absolutum prædicamentaliter, si careat relatione prædicamentali, nam licet sit relativum transcendentale, bene potest absolvi à respectu prædicamentali, & in hoc sensu solet dici communiter à Divo Thoma, eiusque Sectatoribus relationem transcendentalem non extrahere ab absolutis, nam cum relatio prædicamentalis si purus respectus, & non deruit à natura ad aliud munus, nisi vt sit pura ratio respiciendi terminum, vt sit terminum, quod non habet transcendentalis,cum non solum respiciat;sed constituat, verbi gratia, potentiam in ratione intellectus potentis percipere obiectum, inde est vt ralatio prædicamentalis absolute relatio dicatur, & quod à tali relatione absolvitur, licet transcendentali respectu constituatur,soleat dici absolutum, & non extractum ab absolutis relatione transcendentali. Tertium genus entis est, quod pure respectivum dicitur, nempe, quia relatione prædicamentali constituitur, quæ per Antonomasiam relatio dicitur,quæ quartum hoc prædicamentum constituit,de ipsaque in præsenti controvertitur, vt est pater, simile, causa, &c. qua advertentia soluta manet quæstio, an aliqua relatio sit de essentia absoluti inter Thomistas, & Scotistas ventilata, oppugnataque ac propugnata.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

Quid sit relatio prædicamentalis, & quæ eius definitio.

1 ARISTOTELES sic definit relationem prædicamentalem ad aliquid: sunt quorum esse est ad aliud se habere, id est, est quædam entitas, cuius totum esse est ad aliud respiciendum, v. g. paternitas nullum aliud esse habet, nisi referre generantem ad genitum, ad cuius intelligentiam pleniorem, nonnulla sunt observanda, primum in hoc capite semper numero plurali appellasse, ac definisse, ea quæ sunt ad aliquid, vel quia numero plurali, pro singulari vsus est, vt putat Sotus, vel ad denotandum, vt verisimilius videtur naturam relativorum, quæ semper sunt bina; vnum ad alterum, vt explicant Albertus, & Amonius, quia relatio semper inter duo extrema versantur.

2 Secundum in concreto definisse ad aliquid, non quidem eo quod concretum solum per se prædicamentum constituat; sed, vel quia sic, & non in abstracto prædicantur accidentia de substantia, vel quia nobis notiora sunt concreta, vel denique, quia vt bene notat Scotus *in præsenti quæst. 25. ad 2. argumentum*, cum relatio inter omnia entia sit debilissimum est minimæ inter se cognoscibilitatis, clarius enim cognoscitur, quatenus informat sua essentia à fundamento, & termino dependet, ita & in sua cognitione, ex tali autem definitione in concreto recte abstracti definitio colligitur hoc modo, relatio est id, quo aliquid, id ipsum quod est ad aliud se habet; vel clarius id quo aliquid formaliter refertur ad aliud, vt æqualitas, & similitudo. Tertium sciendum est ex eodem Aristotele *5. met. tex. 20.* res dici posse ad aliquid quatuor modis, iuxta primum dicuntur per se ad aliquid, quia in conceptu illorum includitur relatio, huiusmodi sunt concreta relativa, vt duplum, simile, æquale iuxta secundum modum dicuntur ad aliquid, quia genera eorum sunt ad aliquid.

Est quidem ad aliquid, vt Divus Thomas, Averroes, & Amonius advertunt non per se, & vt tali nomine significatur; sed quoniam genus eius quod est scientia est ad aliud, scilicet ad scibile. Tertio modo relationes ipsæ, & abstracta nomina dicuntur ad aliquid, quia concreta sunt ad aliquid, id est, quia sunt rationes formales quibus pulchrum definitionis ædificium relationis veluti fortissimis innixum fundamentis, sic consurgit, relatio est modus realis accidentaliter adveniens immediato fundamento vt ipsum ad terminum actualem referat, ponitur modus vt excludantur divinæ relationes, quæ non sunt accidentia modalia; sed substantiæ; ponitur actualis, vt excludantur relationes rationis, &c. interponitur accidentaliter adveniens rei, vt excludantur omnes relationes transcendentales, primo, quia non adveniunt accidentaliter rebus quorum sunt.

Secundo, quia nulla transcendentalis habet proprie fundamentum, cum sit de essentia rei 3
quam constituit, fundamentum enim distinguitur à re quæ fundatur in ipso.

Tertio, quia licet aliqua relatio transcendentalis petat actualem terminum, non tamen omnis, nec relatio transcendentalis vt sic, quatenus comprehendit omnem relationem transcendentalem; è contra vero omnis relatio prædicamentalis petit necessario vtrumque actualem, actuque existentem; item ponuntur particulæ illæ fundamento, & vt referat, vt distinguatur ab absolutis accidentibus, quæ nec habent proprie fundamentum; sed subiectum, nec referunt ad terminum. 4

Relatio autem prædicamentalis, vt sic licet afficiat proprium subiectum, non tamen sistit 5
in illo; sed ipsum ordinat ad terminum, & in hoc posita tota ratio formalis relationis, itaque licet similitudo v. g. secundum totam rationem suam, etiam relativam concipienda sit vt forma afficiens rem quam denominat similem, tamen tota illius affectio in hoc posita est vt illam ordinet, seu referat ad aliam, & in hoc sensu communiter dicitur totum esse relationis esse ad aliud.

His iam satis determinatis, discrimina, quæ 6
reperiuntur inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem omnium Doctorum vestigijs insistens, vt meliusque vtriusque relationis natura eluceseat, opere pretium duxi in lucem edere publicumque referre.

Primum discrimen, quod ab aliquibus so- 7
let assignari est, quod relatio prædicamentalis petat distinctionem realem à termino, relatio autem transcendentalis non petat, nisi distinctionem rationis, & ideo asserunt dari relationem transcendentalem, inter scientiam divinam, & divinam essentiam, & inter divinum amorem, & divinam bonitatem.

Sed contra, quia hoc falsissimum est, vt 8
communis fert Theologorum sententia, quia vtraque relatio perit distinctionem realem à termino, cum omnis relatio sit respectus, & omnis respectus sit in ordine ad aliud; vnde si aliud est terminus relationis debet necessario distingui realiter à relatione, quia id quod ab aliquo aliud est distinctum est ab illo: ergo si relatio respectu termini est ad aliud, terminus erit distinctus à relatione realiter, quod patet in divinis, nam pater æternus est alius à filio, quia distinctus realiter ab illo, & non est aliud, quia sunt idem in essentia.

Confirmatur, quia relatio paternitatis in divinis 9
cum subsistantialiter constituat primam personam, & idem est de filiatione, est relatio non prædicamentalis; sed transcendentalis, & nihilominus distinguitur realiter à filio, qui est terminus talis relationis: ergo omnis relatio etiam transcendentalis petit distinctionem realem à termino, quæ sententia adeo expressa est Divi Thomæ, vt *1. p. quæst. 41.* solum propter hanc rationem negat æqualitatem inter personas divinas esse relationem realem, nam ipse negat ad se ipsum referri relatione reali,

quod non solum vt principium in metaphysica, sed etiam in Theologia receptum est, nam totum mysterium distinctionis realis inter diuinas personas fundatur in relationibus realibus, quibus personæ inter se referuntur, iuxta illud axioma, omnia sunt vnum in Diuinis, vbi non obuiat relationis oppositio. Hæc omnia sic demonstrantur, nam relativa sunt realiter opposita, quatuor enim reales oppositiones numerantur à Philosopho, contraria nimirum, privativa, contradictoria, & relativa, sed idem non potest sibi ipsi opponi realiter, quia cum summa vnitate, quam petit identitas non potest dari summa diversitas realiter, quæ est oppositio: atqui hæc oppositio relativa exercetur inter relationem, & terminum: ergo relatio, & terminus distinguntur realiter.

10 Illa autem exempla adducta ab adversariis falsissima sunt, vt bene advertit Pater Suarez *secundo tomo metaph. disputat. 57. section. 3. numero quarto*, nam scientia, vel amor Dei non dicunt respectum realem transcendentalem ad ipsum Deum, sed potius talis scientia, & amor sunt absolutissima ab omni respectu reali, quia per se primo non respiciunt aliquod obiectum extra se; vnde sicut ibi non distinguntur actus, & obiectum nisi ratione, ita nullus intervenit respectus actus ad obiectum, nisi rationis, & ratio vniuersalis est, quia cum respectus, & habitudo realis sit tendentia quædam ad alterum vt diximus, in quo distinguitur ab absoluto, non potest intervenire verus, & realis respectus eiusdem ad se ipsum; nulla in re interveniente distinctione, saltem ex natura rei, & ideo inter genus, & differentiam non datur respectus transcendentalis actus, & potentiæ, quia genus, & differentia non distinguntur à parte rei: vnde firmum, ratumque debet inter omnes relationes tam prædicamentalem quam transcendentalem esse terminum reperiri distinctionem realem, & veram.

11 Primum, esto discrimen inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem, quod respectus prædicamentalis talis sit vt à natura non sit per se intentum, & ideo numquam fiat primario, sed resultet, & consequatur posito fundamento, & termino teste Aristotele 5. *Physic.* cui in hoc omnes consentiunt, at vero respectus transcendentalis per se maxime intentus à natura est, & ideo forma essentialiter includens talem respectum sæpè fit per se formaliter, ac per se primo, vt per actionem videndi fit actus visionis includens transcendentalem ordinem ad obiectum, & vnio per actionem vnitiuam, & ratio huius discriminis, quia relatio prædicamentalis non est in rerum natura instituta, ad aliquod peculiare munus obeundum, sed ad hoc solum res alias comitari dicitur, vt præcise aliquæ res se respiciant ex vi alicuius rationis, seu fundamenti realis, quod in ipsis supponitur, & ideo talis relatio, nihil aliud est quam respectus consurgens posito fundamento, & termino; nunquam autem per se fit, respectus autem transcendentalis, vt asserit eximius Doctor Suar. conuenit alicui formæ vel entitati, aut modo entis, quatenus à natura per se est institutus, & ordinatus ad aliquod peculiare munus, quod potest per se fieri per relationem, vt inclusus in forma dicente talem respectum, cum enim talis forma in proprio conceptu essentiali illius talem respectum includat, non potest ille respectus minus esse per se intentus, aut minus per se fieri quam ipsa forma, cum actio, & intentio agentis per se tendat ad totam formam producendam vsque ad specificam rationem eius, & ex hoc sequitur quod relatio prædicamentalis, sicut nunquam per se sit, numquam per se agat.

Ex hac prima, alia secunda notanda differen- 12
tia consurgit inter relationem prædicamentalem, & modos dicentes relationem transcendentalem, vt vnio, actio, & passio &c. nam licet habeat aliquam similitudinem, & proportionem, habitudinem inquam, hæ formæ dicuntur includere, tamen relationes prædicamentales consistunt in puro respectu, quia munus earum in hoc solum consistit, vt sint puræ rationes referendi subiectum ad terminum; aliiuero modi habent proprium aliquod esse per quod exercent munus aliquod, ad quod natura sua ordinantur, quod non solum sit referre, seu ordinare ad aliud v. g. motus, actio, vbi non possunt dici puri respectus, nam habitudo motus ad terminum est habitudo viæ, per quam ipse terminus in suo constituitur; vnde non dicit habitudinem ad terminum, vt pure terminum, atque eadem proportio datur in actione, & passione.

Major difficultas in vnione hypostatica da- 13
tur, nam talis vnio dicitur à Theologis attingere Verbum vt pure terminum, sed si attente concipiatur hoc facillime soluitur; nam vt bene ait Pater Suarez, vnio hypostatica dicitur à Theologis attingere Verbum Diuinum vt purum terminum, vt per illam particulam purum excludant omnem causalitatem propriam quantum circa Verbum videretur habere tanquam ipsum Verbum, vt sic habet circa talem vnionem, non est tamen Verbum pure terminus illius vnionis in eo sensu, in quo hic dicitur de termino relationis prædicamentalis, quia illa vnio vt est realis modus humanæ naturæ, non vtcunque respicit Verbum, sed realiter illi coniungit humanam naturam, & realiter attingit Verbum ipsum, tanquam alterum extremum illius vnionis, à quo intimo, & realiter pendet, quamuis sine propria causalitate; sic igitur vniuersaliter conuenit modis relatis transcendentaliter aliquod reale munus exercere vel vniendo, vel causando, vel constituendo, vel percipiendo, aut cognoscendo obiectum, vel aliquid aliud simile efficiendo, vt videre est in inhærentia accidentis, quæ non solum ordinat, & refert accidens in quo est sistendo in hac ratione, sed vniat illud subiecto, & vniendo refert vbi locat, redditque præsens corpus; actio producit terminum, & ideo talia entia quæ transcendentalem respectum includunt, sunt ita ad aliud, vt totum suum esse non habeant ad terminum, vt pene terminum gerendo se circa illum sub mera ratione respectus, sed sub ali-

qua

qua alia ratione, vt diximus exercendo circa illum aliquod munus ad quod huiusmodi entitates ex natura sua ordinantur; at vero relatio vt supra satis late explicatum manet, habet totam suam essentiam in puro respectu sitam circa terminum, nihil aliud exercendo in subiecto nisi ordinare illud ad extrinsecum, quod clarissime expressit Divus Thomas *p. 1. quæst.... art. 1.* vbi sic ait, ea quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectus ad aliud, quid clarius?

14 Vrget Hurtado, quia sicut cognitio respicit obiectum illud repræsentando, ita similitudo illum physice assimilando: ergo similitudo illum non respicit, vt pure terminum magis, quam cognitio: patet consequentia, quia cognitio est assimilatio intentionalis obiecti, similitudo autem est assimilatio physica, quæ minus habet de respectu termini vt termini, quam intentionalis.

15 Sed hæc aut in pura æquivocatione, aut in non recta intelligentia consistunt, ac proinde facillime solvuntur.

16 Nam duplex est similitudo, alia est quæ dicitur imago, & hæc dicitur maxima similitudo, consistitque in repræsentando prototypon, cuius similitudo dicitur vt anima rationalis, quia repræsentat tribus potentijs in vna essentia indivisibili mysterium sanctissimæ Triados, in quo dantur tres personæ in vna indivisibili essentia, ideo imago, aut similitudo dicitur. Alia similitudo datur, quæ talis dicitur, non quia repræsentat, aut ex eo quod sit imago rei; sed quia est purus respectus, qui reperitur in ea, quæ habent similes qualitates essentias inter se convenientes, nullumque officium exercent, nisi vnum referre ad aliud, seu reddere habentia qualitates in vno gradu ad invicem respicientia, & hæc similitudo, licet similitudo sit, reddatque simile, nihil aliud est nisi pura habitudo, & reddens pure respiciens id quod secum convenit, ex quo sequitur, quod talis similitudo sit in ordine ad purum terminum nihil faciendo circa illud, nisi respicere ad illudque pure referri, quod non habet cognitio, cum non sit huius secundi generis similitudo, nam cognitio est imago vitalis obiecti ad illud repræsentandum instituta ratione, cuius non solum refertur intellectus ad obiectum, sed illud perfecte callet ac percipit cognoscendo quæ sit natura illius, quod maximum emolumentum, maximamque perfectionem secum adfert ad potentiam; vnde non potest dici, quod eodem modo respicit cognitio obiectum, ac respicit relatio prædicamentalis, nec potest dici quod relatio prædicamentalis, quia physica similitudo est, habet minus de puro termino, quam cognitio, quia similitudo intentionalis; nam cognitio licet sit intentionalis non definit esse physica perceptio, repræsentatio, & vitalis imago obiecti intentionalis est, quia media illa intellectus intendit percipere obiectum physica, quia vere, & realiter est imago obiecti, repræsentatque illud, quod non habet relatio prædicamentalis, cum solum respiciat terminum qui habet albedinem sicut fundamentum, vnde relatio prædicamentalis terminum respicit, vt purum terminum, cognitio autem quomodocumque sumatur, non respicit obiectum vt purum terminum, sed vt res, in qua repræsentatur, & percipitur per illam, & circa quam aliud munus præter respicere exercet.

17 Sed demus in hoc distingui à relatione prædicamentali, saltem distinguitur, quia relatio est modus, & cognitio, aut adæquate, aut inadæquate, vt videbitur *libris de anima.*

18 Tertium discrimen quod reperitur inter has relationes est, quod relatio prædicamentalis sit quædam forma omnino extra essentiam rei quam immediate constituit, ac proinde accidentaliter advenit immediato fundamento, quia advenit illi realiter iam constituto in suo esse essentiali, & absoluto ad quod comparatur, vt completa forma in suo accidentali genere afficiens ipsum, & referens ad aliud, respectus vero transcendentalis à parte rei est de essentia illius rei, quam immediate constituit, vel adæquate, & simpliciter, vel inadæquate cum distinctione rationis includentis ab incluso, ita vt non absolute comparetur, veluti completa forma ad illam rem, quam proxime actuat, vt eius essentia, sed comparatur, vt incompletum prædicatum, & consequenter non adæquate constituens rem in illo genere ad quam pertinet, eamque non proprie referat ad aliud per modum formæ physicæ constituentis, sed potius per modum metaphysicæ differentiæ, qua essentialiter ordinetur ad aliud. Hoc totum discrimen patet discurrendo per vtrasque relationes, nam homo potest existere sine paternitate, & albedo sine similitudine, & ratio est quia similitudo est modus accidentalis ex natura rei distinctus à termino, & fundamento, ortus ex coëxistentia vtriusque.

Dices, homo non potest existere sine relatione effectus ad Deum, sed quid contra nos. Nam licet hoc sit verum non colligitur esse de essentia rei, nam etiam homo non potest esse adhuc per potentiam Dei absolutam sine dependentia, & actione Dei terminata ad ipsam, & nihilominus dependentia est modus ex natura rei distinctus à tota entitate, & essentia hominis, quod ex eo oritur, non quia sit de essentia illius: sed quia homo est ens ab alio, & non potest existere, quin illius causa existat, relatio autem transcendentalis est de essentia rei, nam materia, & forma per suum conceptum quidditativum se respiciunt, & intellectus ex vi propriæ quidditatis respicit obiectum; ratio à priori est, quia transcendentalis dicitur, quia transcendit, vel penetrat totam entitatem, quæ in suo conceptu connotat aliquid à se distinctum, & licet hoc verum sit, nihilominus alicui rei potest esse accidentalis relatio transcendentalis, vt relatio transcendentalis intellectus est accidentalis respectu animæ, & respectu cognitionis intellectui, &c. sed hoc non est respectu rei, quam immediate constituit; sed respectu illius, cui mediate competit, nam respectus illi sunt de essentia intellectionis, & intellectus, quia talia subiecta non mediate; sed immediate constituunt, inde ortum habet, vt recte notat Hurtado relationes transcendentales per omnia prædicamenta vagare, imo ab aliquibus dicuntur transcendentales, non quia

transcendunt rem ; sed quia omnia prædicamenta percurrunt ad ea quæ pertinent , ea tamen prædicamenta communiter vocantur simpliciter absoluta , quia relativa simpliciter vocantur sola prædicamentalia , quapropter Divus Thomas *opusc.* 48. *tract.* 5. *cap.* 1. has relationes transcendentales vocat secundum dici , quia dicunt quasi primo rem alterius prædicamenti, & quasi secundario habitudinem , sicut scientia ad obiectum , tamen illud genus relationis non proprie secundatio competit rei cum sit essentialis ; sed vocatur secundus , quia communiter non æque primo concipitur,ac res cuius est,v.g. ratio qualitatis in intellectu.

19 Quartum discrimen est, quod omnis relatio prædicamentalis petit terminum actu existentem , ita vt nec per potentiam Dei absolutam possit dari actualis relatio prædicamentalis, sine actuali termino. Ratio huius sumenda est ex ijs quæ supra dicta sunt de esse relationis prædicamentalis , videlicet quod relatio consistit in puro respectu , & non sit per se intenta; sed mere resultans , xe naturaenim huius sic explicata colligo illam vt sic non posse esse , nisi supponatur fundamenti , & termini coëxistentia , vnde actualitas , & existentia vtriusque ex qua ipsa resultat , & qua ablata desinit , tum quia non habet in rerum natura relatio alium productionis modum, tum etiam quia ob hanc solam rationem potest dici relationem per accidens fieri à natura.

20 Relatio vero transcendentalis est huiusmodi, vt licet aliqua necessario petat terminum actu existentem , vt videre est in vnione , visione, actione productiva, &c. quæ non possunt dari sine terminorum existentia , nihilominus non omnis relatio transcendentalis petit hoc , vt videre est in relatione potentiæ ad obiectum , & scientiæ ad scibile , &c. & ratio est , quia non est de essentia potentiæ v. g. visivæ aut intellectivæ , videre, & intelligere actualiter ; sed posse videre , & posse intelligere ; vnde relatio transcendentalis illorum non petit terminum actualem ; sed tantum possibilem , cum terminus relationis illarum potentiarum sit ipsum obiectum quod cognoscitur ab illis:atqui obiectum potentiæ non potest petere esse actuale:ergo nec terminus relationis transcendentalis talis potentiæ.

QVÆSTIO XI.

Quotuplex sit relatio prædicamentalis.

1 ARIST. 5. *met. cap.* 15. agens de prædicamento relationis illud in tria genera divisit ex triplici ratione fundandi.

2 Primum genus est illarum relationum,quarum ratio fundandi est vnitas, vel multitudo;sed hæc vnitas non est propria vnitas;sed potius est convenientia in aliqua ratione: clarius est esse hæc entitas , sicut alia in aliquo prædicato , sive accidentali , sive substantiali , vel vt alij explicant , est coëxistentia duorum , ex quibus vnum habet aliquam rationem , sicut aliud habet illam , v. g. Petrus , & Paulus habent rationem fundandi relationem identitatis , quia conveniunt in essentia hominis , hoc est, ita Petrus est animal rationale , sicut Paulus, & ratione huius convenientiæ resultat in illis talis relatio similitudinis in essentia , quæ identitas dicitur; multitudo autem , quæ est alia ratio fundandi relationem huius generis , quæ & diversitas solet dici , nihil aliud est quam disconvenientia in aliquo prædicato, v. g. equus disconvenit cum equo in essentia , quia equus non est animal rationale, sicut homo , sed potius est animal irrationale , in quo opponuntur , & maxime diversificantur , & ratione huius disconvenientiæ resultant inter illos relationes diversitatis, quibus ad invicem referuntur , itaque in hoc genere relationum dantur hæc duo subalterna genera,v.g. quæ diximus vnitatis , & diversitatis , & hæc in alias species vlterius dividuntur , nam Arist. ait in vnitate fundari in æqualitatem , similitudinem , & identitatem , eadem sunt inquit , quorum substantia est vna ; ecce relationem identitatis innixam in convenientia essentiali;æqualis, quorum quantitas est vna,ecce relatio æqualitatis consurgens ex convenientia inter quantitates , similia quorum qualitas est vna , ecce relationem similitudinis innixam convenientiæ qualitatum , itaque inter duas qualitates conveniunt v. g. duæ albedines , resultat relatio similitudinis,& inter duas qualitates disconvenientes , vt inter albedinem , & nigredinem resultat relatio disconvenientiæ , & diversitatis inter alias qualitates eiusdem magnitudinis resultat relatio æqualitatis , & inter quantitatem maiorem , & minorem resultat relatio inæqualitatis; inter duas essentias convenientes resultat relatio identitatis,& opposita inter duas essentias non convenientes.

3 Adverte quod si detur propria vnitas in fundamento proximo, v. g. si detur vna numero albedo ; si vero duo alba per potentiam absolutam, minime resultare posse propriam relationem similitudinis , & sic de cæteris quod probatur;nam ideo Divus Thomas ait non posse dari actionem similitudinis realem inter Divinas personas , quia datur vna essentia numero in illis; sed inter duo subiecta datur vna numero albedo; ergo non datur propria realis similitudo inter illa.

4 Secundum genus est cuius ratio fundati est actio & passio , vt sunt omnes relationes causæ , & effectus , vt est filiatio , & paternitas,relatio creaturæ,&c. etiam huc reducuntur omnes relationes Magistri ad discipulum , & è contra, servi ad Dominum,& Domini ad servum, mariti ad vxorem , superioris ad inferiorem,relatio autem effectus habet pro ratione fundandi passionem,relatio vero causæ actionem.

5 Tertium genus relationis , quod habet pro ratione fundandi mensurationem , & dependentiam,& quæ reperiuntur inter duas res , quarum vna ab alia , tanquam ab obiecto specificante, v. g. videre est in potentia respectu obiecti , in scientia respectu scibilis , in hoc tertio genere assignat Arist. discrimen magnum , quod differt à cæteris , nimirum , quod in cæteris dantur aliquæ relationes mutuæ, aliæ vero non mutuæ;in hoc

hoc vero omnes relationes sunt non mutuæ, nam licet potentiæ referantur ad obiectum, obiectum autem minime refertur relatione prædicamentali ad potentiam, & sic est in scientia respectu scibilis, &c. quia autem mutuo non se respiciunt illa extrema, & solum datur respectus ex parte vnius extremi, dicuntur relationes non mutuæ, sicut in cæteris generibus, quia mutuo se respiciunt, ad invicemque referuntur, dicuntur relationes resultantes in extremis primi, & secundi
6 generis relationes mutuæ.

Aliqui vt Pater Hurtado negant in hoc genere dari relationem prædicamentalem, quod aperte pugnat cum Aristotele, nam ipse agens de relatione prædicamentali divisit illam in hæc tria genera: ergo ex sententia Aristotelis hoc genus etiam est relatio prædicamentalis, nam in bona divisione omnia membra dividentia participat divisum, nec valet dicere cum Hurtado scientiam sæpe esse de obiecto non existente, & esse relationem transcendentalem, eamque non indigere alia relatione.

7 Non inquam hoc aliquid momenti importat; nam scientia non dicit relationem prædicamentalem dum obiectum non existit, sed statim ac actuale est, & actu existit, resultat relatio prædicamentalis in scientia, quod convincitur evidenter; nam potentia generativa dicit relationem transcendentalem ad generabile, & nihilominus dum actu generat, & genitum actu existit, resultat in potentia generativa patris relatio prædicamentalis, & ibi potentia relata transcendentaliter ad generabile refertur relatione prædicamentali ad genitum, ita similiter scientia, quæ ad scibile, & intellectus ad intelligibile referuntur relationibus transcendentalibus quando actu existunt, talia obiecta ad illa referuntur scientia, & potentia relatione prædicamentali, in quo nullum inveniri potest inconveniens.

8 Tandem aliqui volunt contradicere Aristoteli in hoc quod dixit, nimirum quod hoc genus relationis non dicat vllam relationem mutuam, ipsi enim asserunt tam mutuo se respicere scientiam, & scibile, ac Patrem, & filium: sed hoc falsissimum est.

9 Primo, quia omnis ratio obiectiva in qua debebat fundari relatio est aut veritas, aut bonitas: sed veritas, & bonitas addunt supra ens solam negationem vt latissime probatum manet à me in metaphysica, & in negatione non fundatur positivus respectus: ergo nullum obiectum scientiæ, aut potentiæ dicit relationem realem ad potentiam vel scientiam.

10 Secundo, quia tota ratio quare in hoc genere datur relatio, est quia scientia, & potentia mensurantur, & specificantur ab obiecto, ab ipsoque dependent: sed obiectum nec mensuratur, nec specificatur, nec dependet à potentijs, & scientijs; ergo non dicunt relationem ad illas, quod affirmat aperte Divus Thomas *in 1. dist. 30. q. 1. art. 3. ad 3. & 1. p. q. 13. art. 7.* estque hæc veritas tanta consentione recepta vt non liceat, ait Suarez, Philosophis in dubium revocari, ratio supremenda denique est ex peculiari specificationis, & commensurationis, quam habent potentiæ, habitus, & res similes ad obiecta sua, nam formaliter solum consistit in habitudine quam ex natura sua habent ad obiecta secundum quem ei commensurantur, obiectum vero in hoc nullam habet propriam causalitatem, sed rationem termini specificantis; nam licet alioqui posset esse movens, aut active aut finaliter, tamen vt extremum huius relationis sub nulla harum rationum consideratur, sed solum vt est id cui talis res commensuratur, sub hac autem ratione ipsum non concurrit vt ordinabile ad aliud, sed solum vt id ad quod aliud ordinatur, & ideo ex vi talis rationis fundandi non oritur relatio in vtroque extremo, sed in solo illo quod alteri commensuratur: hac ergo de causa relationes huius generis ex propria ratione formali sui fundamenti non mutuæ sunt, quia tria sunt in his generibus quæ rationem causæ induat relationes, quæ in ipsis continentur, fundamentum nimirum, ratio fundandi, & terminus, ipsorum significationem opere pretium duxi explicare: fundamentum significat subiectum illud, ex quo resultat relatio, & in quo remanet intrinsecè, vt ipsum referat ad terminum, seu principium intrinsecum, propter quod vna res aliam respicit; terminus autem significat rem illam extrinsecam, quam respicit; ratio fundandi est id quod præstat vt vna res respiciat aliam, seu est ratio formalis propter quam resultat relatio in fundamento, v.g. in primo genere entitates Petri, & Pauli sunt fundamentum identitatis: convenientia, est ratio fundandi; entitas Pauli est terminus relationis Petri in secundo genere; substantia genita est terminus paternitatis, generatio activa est ratio fundandi, potentia generativa est fundamentum illius. In tertio genere entitas scientiæ est fundamentum relationis, mensuratio, aut dependentia scientiæ ab obiecto est ratio fundandi, ipsum obiectum est terminus illius relationis.

QVÆSTIO VLTIMA

Proprietates relationis adnumerantur.

QVATVOR proprietates assignavit 1
Aristoteles relativis. Prima est habere contrarium, quod si intelligitur de propria contrarietate non ratione sui, sed ratione sui fundamenti debet intelligi hæc proprietas, nam relativa quatenus relativa sunt non habent contrarium, vt docet Aristoteles in prædicamento qualitatis, & ratio est evidens, primo, quia contraria sunt, quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed vna relatio non est forma expellens aliam ab eodem subiecto, & fundamento; imo repugnat quod relatio sive distinguatur ex natura rei à fundamento, sive solum ratione informet, & afficiat fundamentum oppositæ relationis ob essentialem, & realem distinctionem relationis à termino; ergo relativa non sunt proprie contraria.

Secundo, quia contrariorum potest vnum con- 2
cipi sine alio, vt calor sine frigiditate; at vero relationes non possunt, sed licet hæc contrarietas conveniat relationibus ratione fundamenti, hoc non debet intelligi vna respectu omnium relationum illarum, quæ in contrarijs qualita-

tibus fundantur vt in albedine, & nigredine, &c.

3 Alio modo potest intelligi hæc proprietas non sumendo contrarietatem proprie, sed late pro oppositione, & hæc est duplex, alia est relativa, alia est terminativa, illa intelligitur inter relationem vnius extremi, & alteram correspondentem in alio extremo (vt optime explicat Pater Suarez) aut inter vnum relativum, & correlativum eius, hæc inter relationem, & terminum eius, sed cum hoc discrimine quod oppositio terminativa est generalis omnibus relationibus etiam non mutuis, & sic formalissime convenit relationi vt sic, consistit autem hoc, quod relativum vt sic, & terminus habent inter se talem habitudinem, & conditiones ita distantes, vt necessario requirant inter se distinctionem, nam relativum est id quod aliud respicit, terminus autem est id quod respicitur ab alio, atque ita ex proprijs rationibus requirunt alteitatem, vt sic dicam.

4 Oppositio autem relativa non est vniversalis (inquit Suarez) omnibus relationibus realibus vere, ac secundum rem, nam relationibus non mutuis non convenit, quamvis modo nostro concipiendi fingi posset, ac si conveniret, quod ad præsens nihil refert, inter relativa autem realia, ac mutua, ac relationes ipsas intercedit relativa oppositio, quæ non consistit in hoc quod vna respiciat aliam vt terminum, quia iam vtraque oppositio in vnam coïrent oppositionem; sed in hoc quod vna respiciat vt terminum id quod est fundamentum alterius, & è converso seu quod idem est, quia habent oppositas rationes, nam vna refert suum subiectum ad aliud, alia vero è contrario refert illud aliud ad id quod erat subiectum alterius, ex qua talem inter se habent repugnantiam, vt non possint ambæ relationes vni, & eidem simul inesse, quia non potest vnum, & idem esse fundamentum, & terminus respectu eiusdem.

5 Secunda proprietas est quod relatio suscipiat magis & minus, quæ ita intelligenda est, vt relatio non ratione sui, sed fundamenti suscipientis proprie magis, & minus, dicatur etiam suscipere magis & minus, quia ipsa non potest intendi, & remitti in se formaliter loquendo cum essentialiter consistat in indivisibili, vt constat in relatione similitudinis, referente vnum album ad aliud cum quo convenit, non solum in entitate albedinis, sed in gradibus; nomine ergo magis, & minus in relationibus non est propter realem varietatem, relatio enim æqualitatis, v.g. propriæ dictæ non suscipit magis, & minus, vt bene notavit Suarez ex Fonseca *lib. 5. metaph. cap. 15. sect. 2.* quia in indivisibili consistit, nam si ex duobus æqualibus alterum crescat, non fiunt minus æqualia, sed perit æqualitas, inæqualitas vero esse potest maior, & minor propter maiorem, & minorem recessum à perfecta æqualitate; si ergo dicuntur quædam relativa suscipere magis, & minus, id est, denominari magis, & minus, esset alia per accessum, vel recessum ab vno perfecto termino, non per intentionem, aut remissionem, tamen illæ relationes maioris, & minoris inæqualitatis, revera sunt diversæ, & non eadem, quæ augeatur, vel minuatur, quia termini, & fundamenta earum sunt diversæ, & proportiones in quibus consistunt sunt diversa, sunt etiam diversæ, atque ita vnaquæque in suo gradu inæqualitatis in indivisibili consistit.

Tertia proprietas est relata dici ad conversten- 6
tiam, hoc est mutuo inferri ex alio, vt est pater: ergo habet filium; est filius: ergo habet patrem.

Quarta proprietas constat ex supradictis, vbi 7
explicuimus quo pacto relationes sint simul natura, cognitione, & definitione.

DISPVTATIO XIII.

De sex vltimis Prædicamentis.

QVÆSTIO I.

Quid sit actio, & quotuplex, & quid sit passio.

PRIMA conclusio: actio est ratio formalis, per quam causa activa reducitur in actum, & denominatur agens, seu est actus vltimus causæ activæ; dicitur actus vltimus, vt reijciatur omnis forma permanens, qua mediante, agens operatur, sive hæc sit substantialis vt in compositis ex materia, & forma, sive accidentalis, cuiusmodi sunt potentiæ, & habitus, quibus mediantibus causa agit, sed non tanquam per vltimum actum, seu rationem formalem; sed tanquam per primum actum, solum enim actus secundus est ipsa actio, seu actus vltimus, nisi enim omnibus his principijs, quæ actus primos vocamus, superveniat actio, tanquam vltima ratio formalis nihil fiet. 1

Quod autem actio sit ratio formalis, &c. sic 2
probatur, quia causa activa in actu primo præcise considerata non intelligitur agere, nec denominatur agens, sed potens agere; ergo per aliquam rationem formalem reducitur in actum à qua denominatur agens, & agere, sicut intellectus per aliquam rationem formalem denominatur intelligens, & à potentia extrahitur in actum; sed hæc ratio formalis est actio, alias quam denominationem dabit actio? aut quod effectum formale constituet? ergo. Probatur minor, actio denominat agens, ideo enim visio denominat videns, & intellectio intelligens, quia visio est actio videndi, & intellectio intelligendi: ergo actio est essentialiter actus agentis, vt agens est; patet consequentia, quia ratio formalis per quam constituitur agens in actu, est essentialiter actus illius, sicut ratio formalis constituens agens in potentia est potentia illius: ergo actio, per quam reducitur agens ad actum est ratio formalis, & actus illius.

Primo dividitur actio in substantialem, & ac- 3
cidentalem; substantialis est productio substantiæ vt generatio hominis.

Actio accidentalis est productio alicuius ac- 4
cidentis